





OPERÆ

HORARUM SUBCISIVARUM

SIVE

MEDITATIONES HISTORICÆ AUCTIORES

quam antea editæ.

Continentes accuratum delectum memorabilium Historiarum, & rerum tam veterum, quam recentium, singulari studio invicem collatarum, quæ omnia lectoribus & uberem admodum fructum, & liberalem pariter oblectationem afferre poterunt.

CENTURIA PRIMA.

Vna cum Indice locupletissimo.

PHILIPPO CAMERARIO J.F. JURISCONSULTO, ET REIPUB. Noricæ à Consiliis, auctore.

Cum Gratia & Privilegio Cæs. Majest.

FRANCOFURTI,
Typu Hoffmannianu:
Impensis Joachimi Wildij, Bibliopol. Rostoch.
ANNO M DC LVIII.









VOTUM ET DEDICATIO
Auctoris. C. S. S.



Ogitationes, conatus, lucubrationes, labores, operæ, & reliqua, quæ in hoc libro subcisivis horis coacervata cumulataque sunt, hæc omnia potiss. publico bono, deinde Pacis quietis atque veritatis, bonarumque artium & partium, nec non Historiarum Studiosis ingeniis dedicata consecrataque sunto. Quæ libamina, si Reipub. usui, & ejusmodi hominibus instar Pabuli animi grata acceptaque fuerint, & ex iis non solum delectatiunculam, propter varietatem rerum, & similitudinem Historiarum invicem collatarum; sed etiam nonnullam utilitatem hauserint, perceperintve; ex voto auctor litatum censebit. Sin secus, ea omnia, quæ in hoc libro congesta cumulataque sunt, pereant potius, deleantur, irrita infectaque sunto. Hæc sunt præcipua desideria & vota auctoris: Quæ si rata fuerint bene actum est, & ire licet ad inchoatas similes operas dextris & felicibus auspiciis absolvendum. Sin irrita, intermittuntor, & cœpta tineis pascendis seponuntor.

OPERÆ

HORARUM

SVBCISIVARVM

SIVE

MEDITATIONES

HISTORICÆ AVCTIORES


quam antea editæ.



Continentes accuratum delectum memorabilium Hiſtoriarum, & rerum tam veterum, quam recentium, ſingulari ſtudio invicem collatarum, quæ omnia lectoribus & uberem admodum fructum, & liberalem pariter oblectationem afferre poterunt.

CENTURIA PRIMA.

Vna cum Indice locupletiſſimo.



PHILIPPO CAMERARIO I. F.

JURISCONSULTO, ET REIPUB. Noricæ à Conſiliis, auctore.

Cum Gratia & Privilegio Cæſ. Majeſt.

FRANCOFURTI,

Prælo Hoffmanniano:


Impendio Joachimi Wildij, Bibliopol. Roſtoch.

ANNO M DC LVIII.



VOTUM ET DEDICATIO
Auctoris. C. S. S.

*Ogitationes, conatus, lucubrationes, labores, operæ, & reliqua, quæ in hoc libro subcisivis horis coacervata cumulataque sunt, hæc omnia potiss. publico bono deinde Pacis quietis atque veritatis, bonarumque artium & partium, nec non Historiarum Studiosis ingeniis dedicata consecrataque sunto. Quæ libamina, si Reipub. usui, & ejusmodi hominibus instar Pabuli animi grata acceptaque fuerint, & ex iis non solum delectatiunculam, propter varietatem rerum, & similitudinem Historiarum invicem collatarum; sed etiam nonnullam utilitatem hauserint, perceperintve; ex voto auctor litatum censebit. Sin secus, ea omnia, quæ in hoc libro congesta cumulataque sunt, pereant potius, deleantur, irrita infectaque sunto. Hæc sunt præcipua desideria & vota auctoris: Quæ si rata fuerint bene actum est, & ire licet ad inchoatas similes operas dextris & felicibus auspiciis absolvendum. Sin irrita, intermittuntor, & cœpta tineis pascendis seponuntor.*



AUCTOR

LECTORIBUS ET TYPOGRAPHIS

S D.



VNC librum auctori ejus ideo *operas horarum subcisivarum*, *sive meditationes Historicas* appellare visum fuit, quod vel confectis, vel sepositis suis laboribus, plerunque propter gravitatem rerum & negociorum, hac turbulenta tempestate, injucundis, & molestis, quos in sua functione sæpenumero sustinere cogitur, nō nihil defatigatus, & nauseabundo similis, ad historicorum libros varios, sed utilissimos, confugere, & veluti adulto vere in hortulo, amœnissimis & fragrantibus arboribus, plantis & flosculis, referto, animum suum, quemadmodum PABVLO quodā, reficere, ex iis jucunda, memorabilia, & utilia decerpere, atq; sicut apiculæ flores in alveariū suum,

aggerere, & comportare: tum ea, quæ ex aliis audivit, vel ipse vidit, cũ veteribus, & vicissim antiquiora cum recentioribus, non absque peculiari animi voluptate, conferre solitus sit; Non secus ac M. Cicero considerationem & contemplationem in naturæ secretis, apposite atq; luculenter, *Naturale quoddam animorum ingeniorumque quasi pabulum*, appellat. Absoluto itaque & edito ante aliquot annos primo volumine, in centum capita distributo, licet interjecto tempore ulterius in decerpendis, & pertexendis elegantissimis, & suavissimis historiarum flosculis, subcisivo tempore, sicut cœpit, animũ quandoq; defessum oblectare, pascere, & recolligere perrexerit, & omnibus modis alteram centuriam pertexere & in lucem edere, conatus fuerit: tamen hucusque ob molem & cumulum negociorum publicorum, & privatorum, tantũ temporis, & ocij surripere concessum non est, ut inchoatam totam absolvere, & voti sui compos fieri potuerit. Quoniam autem id, quod paulisper differtur, nõ penitus aufertur, cum primus partus subcisivus satis prospere cessent, paulo post secundus, vel deinceps tertius, atq; forte plures, si vita & ocium auctori suppetet, adjuvante Deo, sub singulis centuriis subsequentur. Siquidem teste Thucydide, Similia accidunt donec manet eadem hominum natura: aliás aliquãto mitius, aliás aliquanto atrocius, ut ferunt circũstantiæ.

ſtantiæ. Quare non ſolum lectores rogatos vult, ut ſicut in prima, ita etiam in hac ſecunda editione, quæ nonnullis in locis auctior reperietur, omnia candide & ſincere, ſepoſito felle & acerbitate animi (talis enim in hoc toto opere mens & voluntas eſt auctoris) interpretari, aut ſi fortaſſe errata deprehenderint, ea amanter notare, corrigere, & meliora ſuggerere velint: ſed etiam typographos fideliter monet, ne ſe invito atq; inſcio, neq; has ſuas lucubrationes latinas, neq; ab alio quopiam (ſicut paſſim nunc, quam recte judicēt alii, fieri ſolet) in vernaculam noſtram linguam tranſlatas, veluti ſuppoſititium partum prælis vel typis ſuis ſubjiciant. Hoc n. ſi fecerint, & hæc monita neglexerint, caveant diligenter & attente, ne operam, laborem, & impenſas, cum jactura perdant, & fruſtra collocēt. Etenim daturus tunc operam eſſet, ut hæc altera editio primæ centuriæ, paulo poſt luculētior, & terſior in lucem prodiret: præterea ipſemet tranſlationē Germanicam inchoatam mature abſolvere non eſſet intermiſſurus. Porro ſicut non licet, neque honeſtum eſt, prohibente alicuius rei domino, alium, non conceſſa poteſtate, eam perinde ac ſi ſua eſſet, pro libito uſurpare: ita ſpe gloriolæ, vel lucelli, aliis attributa & conceſſa penſa veluti ſurripere, & ſibimet aliena, quaſi propria, privata auctoritate, aſſcribere, reprehenſione non caret.

Alterum est, quod scire vult auctor Lectores, epistolam sequẽtem ad se, à generis nobilitate illustri, & eximio, magnoque judicio & experientia rerum prædito Viro, Iohanne Bernardo Bonifacio olim Marchione Oriæ, quæ fuit veteribus pars Iapygiæ, quum Noribergæ ex frequentibus peregrinationibus, sese recolligẽs diu sanè subsisteret, & cum sæpius familiariter inviseret, atq; de hoc opere tunc tẽporis inchoato potius quam absoluto inter sese, conferrent, humanissime scriptã, nõ jactantiæ, vel gloriæ captandæ caussa huic operi insertam (novit n. & sibi probe conscius est, ea, quæ illi in commemorata epistola præconia insignia & laudes attribuuntur, ex abundanti studio & amore scribentis potius profecta esse, quam tenuitati sui ingenii convenire) sed ideo editam esse, ut ex illa rectius cognoscatur, quo pacto cum judicio & utilitate historiæ legendæ, & in usum recte sint transferendæ: tum quoq; ut constaret, se non sponte, sed precibus & monitis magnorum virorum adductum esse, ut hoc suum opusculum, nondum suis partibus & membris, sicut par fuisset, absolutum, & expolitum, superioribus annis in lucem prodire pateretur. Eamque ob caussam & alteram epistolam Nobiliss. & dignitate atque virtute reverendi & præstantiss. cujusdam Viri, supprimere noluit. Cui adjecit nunc tertiam quoque Generosi & præstantissimi cujusdam Baronis,

Baronis, continentem multa lectu digna, licet is laudes sibi in ea attributas non agnoscat.

Postremo suas peculiares rationes habuit, quare maxima ex parte, non solum verba historicorum genuina retinuerit, & huic operi inseruerit, sed etiam nonnunquam ex aliorum sententiis & verbis propemodum totum caput veluti cæmento conglutinaverit. Ex quibus non postrema ratio hæc est, ut hoc modo non tam suspicacibus, qui dubitarent de fide historiarum, omne dubium allegatis auctoribus eximeretur, quam cupiditati illorum, qui auctores citatos, vel peregrinando in promptu non haberent, vel obstantibus negociis gravioribus eos legere impedirentur, denique illis, qui iis omnino carerent, & nihilominus ex fontibus nativis res gestas & actiones inter legendum simul haurire & cognoscere satagerēt, breviori compendio subveniretur. Lege igitur, ô BONE, & interpretare ea omnia candide, atq; superbis lividis & maleferiatis affectibus & morsibus amotis, dextre atq; sincere judica, sicut de te ipso, si loco auctoris esses, alios judicare expeteres. Non enim obscurum est, hoc seculum nostrum præter modum scatere (dolendum sane) accusationibus, delationibus, calumniis & obtrectationibus occultis & manifestis eorum, qui secundum Pindarum iis veluti obsonio, sese pascere & oblectare solent,


&hac

& hac ratione gravitatem & auctoritatem aliquam (ah quam umbratilem & parum diuturnam, invisamque omnibus bonis) sibi acquirere præ reliquis student. Velut ille apud Comicum conqueritur: Multis in quæstu est thesaurus stultis in lingua situs, ut quæstui habeant male loqui de melioribus.

Hanc monitiunculam si secutus fueris, votum pro te, quicunq; sis, facit auctor lubens, & hæ Subcisivæ operæ, vel horæ, denuo editæ, tibi instar PABVLI ANIMI, utiles, jucundæ & voluptati sint, utque tibi tuisque, bene & feliciter, omnia tua cœpta, eveniant, non secus ac sibimetipsi. Valete.



SE-



SEQUUNTUR EPISTOLÆ TRES, EX AVTOGRAPHO descriptæ, quarum mentio facta fuit in Præfatione.

Ad Clarissimum, doctissimumque JC. Philippum Camerarium.



Agnum istud ingenium tuum, singularemque prudentiam, Philippe Camerari, mirari satis non queo, nec uti par est, laudare. Nam quum magnis negociis semper sis occupatus, quæ ob Reip. hujus amplissimæ munus tibi delegatum sustines: si aliquando modicum quid otii, vel, ut verius loquar, respirationis tibi conceditur, subcisivis operis, ut ajunt, illud non in corporis cura, non in reliquis voluptatibus, deliciisque, ut pleriq; solent, consumis: sed in amœnissimos Musarum hortos divertens, perque illos spacians, colligis hinc inde, quasi sedula apis varios, jucundissimosq; flores: ex quibus mel conficis, aliorum gustui quale, nescio, meo certe & dulcissimum, & suavissimum. Sic etiam faciebat olim noster ille: verum tanto tu utilius, quanto ea, quæ tractas, iis quæ ille tractabat, sunt præstantiora. Quanquam nunquam inficiabor illius πάρεργα esse mirifica, sed cum tuis nullo modo comparanda. Ille enim dulce potius, quam utile quærebat: tu vero omne tulisti punctum, qui utile, ut Flacci nostri verba usurpem, dulci miscuisti, ex quo lector & delectatus re-

cedat, & monitus: atque hoc profecto meritissimo. Est enim historiæ cognitio adeo humano generi necessaria, ut sine ipsa ambigo an ipsum humanum genus posset subsistere. Non heic recensebo, quid de hac Aristoteles, Isocrates, Cicero, aliique viri doctissimi censuerint: non item nostros pios commemorabo, Eusebium Cæsariensem, Hieronymum, Orosium, tum ex recentioribus Bedam aliosq; complures, qui hac in palæstra magno cum fructu, nec minore gloria desudarunt. Sacrosanctos, duntaxat libros adferam in medium, in quibus & mundi primordium cognoscere fas est, & Dei excelsissimi arcana, tum ipsius Filij ortum vitamque & gesta Cui nam isthæc omnia debemus nisi historiæ? Nam si non extitissent,

Tradidit arcano quæcunque volumine Moses:

si non reliqui veteris, noviq; fœderis fuissent scriptores, ignota prorsus nobis cuncta essent, & abscondita. Itaq; quantum historiæ debeamus, facile quilibet cognoscit, modò mentem habeat hominis. Quum igitur nunc in hoc ludo te exerceas, totusq; incumbas, non est obscurum, rem te facere, ut ajebam, & præclaram nimium & admodum fructuosam. Nam elegantissimo inventu, quæ apud graves historicos sparsa reperiuntur rara, seria, magniq; momenti, reperisti: eaq; postea collecta in penum retulisti tuum. Neq; hoc contentus, quæ similia erant, & ut Græci dicunt παράλληλα, miro artificio & jucunditate conjunxisti: ita ut lector ab eorum lectione satur nunquam, avidus semper sit discessurus. Quod opus quanto desiderio omnes docti expectent, pluribus dicerem, si unus ego ex iis essem. Imo & provinciam hanc perlubenter caperem, ut tamquam eorum scilicet legatus agerem tecum, teq; vehementer orarem, vique justa quidem & honesta cogerem ad edendum. Verum quum is ego sim, qui nullo pacto inter doctos, vel minimos etiam debeam numerari: ab hoc onere, quamvis invitus, desisto: illud cedens viris disertis, eloquentibusque, qui te verissimis

ſimis rationibus eo adigant, ut nullo modo poſſis denegare. Vel potius tibi ipſi hoc onus imponam: nam quùm tu is ſis, qui ſummam virtutem ſumma cum humanitate conjunxiſti, utrique ſummopere detraheres, ſi non faceres. Nam probi hominis eſt, homines quantum poteſt, juvare, humani autem etiam magis: ita ut ſi non faceret, neque probus vocari, neque humanus ullo modo mereretur. Tu ergo hæc etiam atque etiam cogita; nam ſi recte cogitabis, illud certo ſcio, facies, quod omnes docti & petunt & optant. Sed antequam finem faciam, volo te facere participem cuiusdam meæ cogitationis. Annis præteritis quum eſſem juvenis, atque iccirco otioſior, inque huiusmodi auctoribus frequenter verſarer: ſic mecum ratiocinabar: Non mediocrem voluptatem profecto ex hiſtoriarum lectione percipimus, nec non quoque mediocre commodum: ſed quanto perciperemus maiorem, ſi eas diligenter perpenderemus, & examinaremus? Nam plerique corticem duntaxat ſpectantes, atque hoc ſolo delectati & contenti medullam non valent, neque ſciunt, vel curant deguſtare. Quod ſi id quod latet, penitus perſpicerent: & dulcedinem invenirent admirabilem & incredibilem ſimul utilitatem. Eſt ſane pulchrum, magnumque, ex vitio alterius ſuum emendare, ut dicitur ſapientes facere ſolere: tum ex continua hiſtoriarum ſerie id colligere, numquam ſcilicet bene, recteque facta ſua gloria, & compendio fuiſſe fraudata, & numquam pariter impunita & commendata quæ perperam praveque ſunt peracta. Sed illud pulchrius, majusque exiſtimo, ſcire videlicet quonam pacto id fieri debeat, quod quidem tum recte fit, quum quis eas, quas Græci περιστάσεις adpellant accurate ponderat: ſingulatimque in quo quid bene, ac prudenter, quid male, imprudenterque geſtum ſit ſpectat, tum ſi aliter factum fuiſſet, quodnam ſucceſſiſſet eventum, conſiliaque omnia minutatim, diligenterque perſcrutatur, ac rimatur. Poſſetque hæc lucubratio nuncupari Animadverſiones, vel Conſiderationes, vel Meditationes, ſive Contempla-

tiones vel Commentationes, vel aliud simile. Præstitit hoc Nicolaus Machiavellus Italico sermone in primam Livii decadem tantummodo, neq; tamen integram: verum non juxta meum propositum, nam prolixe vagatur, atque occupatur in multis, quæ brevius poterant dici, præterea multa omittit, quæ omitti non debebant; tum de eventis planè nihil: quemadmodum neque semper ostendit, ubi peccatum sit, ubi bene actum. Atque ut exemplum adferam meæ voluntatis: Sumamus eam historiam de Bacchanalibus, quam refert Livius: quanta ibi essent consideranda? Primum, quam facile credamus, etiam ignotis, præsertim in rebus ad religionem spectantibus, id quod hodieque passim fieri cernimus, quodque contrarium omnino facere deberemus. Nam si reliquis in rebus nimium credulos esse non decet: quanto magis in his quæ & arduæ sunt, & plenæ tum periculi, tum etiam difficultatis? Quocirca monemur à Joanne; Ne nos cuivis spiritui credamus, sed prius experiamur, an ex Deo sint illi spiritus. Quod si fecissent Etrusci, nequaquam Græculus ille ignobilis eos decepisset: neque sic postea illa mali labes ex Etruria Romam, velut morbi contagione, penetrasset. Heic dicendum, quanta vis vitii sit, quam cito crescat, quam facile late pervagetur. Tum ponderanda illa scelera, quæ fiebant, singulatim ostendendumque, verum esse, quod Cæsar dixit apud Sallustium, omnia mala exempla ex bonis initiis orta esse, quamque rectissime videatur dixisse Lucretius:

Decad. 4. lib. 9.

1. Ioan. 4.

Tantum religio potuit suadere malorum:

tum quam aptum velum sit illud religionis, ad omnia flagitia, quantumvis turpia & immania, contegenda. Similiter quantũ peccandi licentia & voluptas alliciant homines: quantumque (diceret forte aliquis, qui vini potione non uteretur) vinum detrimenti, & malorum causa sit. Modus deinde patefactionis attendendus: quamque verissimum Servatoris nostri dictum sit: Nullam rem adeo occultam esse, quæ non sit in lucem proditura.

Matth. 10.

ditura,

itura. Diligentissime quoque explicandum esset, quantam m superstitio in imbecillium animis obtineat, quam accura-,fideliterque mysteria celent: ita ut non solum Manichæo-m illud observent:

Iura, perjura, secretum prodere noli:

Sd etiam si torqueantur, tamen constantissime in reticendo prsistant, permulti quoque vitam profundant. Hæc tantum atigi breviter, plurimis prætermissis, quæ ei essent expolien-d, cui scribendi onus incumberet. Nam tota illa narratio cont et res dignissimas consideratione. Quemadmodum & huic smilis, quam scribit Josephus, accidisse Romæ sub Tiberio Cæsare, de Paulina, & Dec. Mundo digna profecto historia, que & articulatim expendatur & exaggeretur, exagiteturque omnibus nervis copiæ & eloquentiæ. Sed his omissis venimus ad Pompeji gesta cum socero Quanta heic venirent ponderanda? Verum multis præteritis arripiamus illud præcipuum. Et quidem recte ne, an secus Romam dereliquerit Cæsare adveniente, aliis disputandum trado. Illud nunc dico, quam male sibi consuluisset de loco, in quem se recepit, ne dican occultavit. Quum enim tum in Græcia militaris disciplina pene omnis extincta esset: quid auxilii ab inertibus & imbellibus erat sperandum. Et quidem Cæsar quum post Pompeji excidium tam facile, matureque totam subegisset Asiam, non immerito irrisisse dicitur Pompeji de Mithridate victoriam: En, inquiens, præclara gens, quam adeo Pompejus gloriari est solicitus vicisse; scripsitq; Romam, vel ut aliqui dicunt, mejus Pontico triumpho inter pompæ fercula trium verborum prætulisse titulum, V. V. V. itaque quam ignava gens esset, manifeste declaravit. Debebat igitur Pompejus, si Romam deserere statuerat, potius in Hispaniam proficisci, ubi & viri admodum bellicosi erant, & ubi probe sciebat, disciplinam miliarem plane vigere, quippe qui ibi strenue militaverat aliquoties præsertim cum Metello côtra Sertorium. Quod

res ipsa perspicue demonstravit. Nam quum Cæsar ibidem infeliciter ultimo prælio pugnasset, desperatis jam rebus, de consciscenda nece cogitavit. Quod si accidit cum Pompei liberis: quid fuisset, si cum ipso Pompejo erat decertandum? præsertim ipsius belli initio, quum Cæsar tantas vires auctoritatemque nondum adquisierat. Fuit igitur error iste non mediocris, de profectione, inquam, in Græciam, Hispaniis posthabitis. Præterea in Græcia quoties erratum? Non heic referam desidiam, pigritiamq; sui exercitus, non luxum, & mollitiem, quum tabernacula cuncta myrto essent ornata, strata omnia floribus referta, mensæ graves vasis magnificis, & preciosis, crateresq; vino spumantes: sic ut verius adparatus videretur, ornatusque litantium, festaque agentium, quam virorum se ad certamen præparantium. Castrorum facies certe similior Daræi, vel Sardanapali potius castris, quam Romanorum, præsertim priscorum illorum Camilli, Fabricii, Maximi, Catonis, Scipionum. Illud vero, si viveret, quonam pacto posset excusare, quum prope Dyrrhachium cum Cæsare conflixit? in quo quidem conflictu quum Cæsarem jam fregisset, pepulissetque persequi victoriam neglexit. Quod quum Cæsar vidisset, negavit eum scire vincere. Heic quam latus campus patet ad detestandam cunctationem omnibus in negotiis maxime noxiam præcipue bellicis, celeritatemq; summopere utilem laudandam: ita ut Lucanus ait:

Semper nocuit differre paratis.

Quo circa elegantissime idem Poeta, quum utrumq; confert, comparat Pompejum quercui:

Qualis frugifero quercus sublimis in agro
Exuvias veteres populi sacrataq; gestans
Dona ducum: nec jam validis radicibus hærens,
Pondere fixa suo est, nudosq; per aera ramos
Effundens, trunco non frondibus efficit umbram.

Et

Et quamvis primo nutet casura sub Euro,
Tot circum sylvæ firmo se robore tollant,
Sola tamen colitur.

Cæsarem autem fulmini

———Sed non in Cæsare tantum
Nomen erat, nec fama ducis, sed nescia virtus
Stare loco, solusq; pudor non vincere bello.
Acer & indomitus, quo spes, quoque ira vocasset,
Ferre manum, & numquam temerando parcere ferro,
Successus urgere suos, instare favori
Numinis, impellens quidquid sibi summa petenti
Obstaret gaudensque viam fecisse ruina.
Quasiter expressum ventis per nubila fulmen
Ætheris impulsi sonitu, mundiq; fragore
Emicuit, rupitque diem, populosque paventes
Terruit, obliqua perstringens lumina flamma.
In sua templa furit nullaque exire vetante
Materia, magnamque cadens, magnamque revertens
Dat stragem late, sparsosq; recolligit ignes.

At profecto magnum discrimen inter fulmen & quercũ. Quare non mirum est, si à Cæsare victus est Pompejus, quũ quercus à fulmine feriatur, non autem contra fulmen à quercu. Hæc pauca posuisse sufficiat exempli gratia: si forte tuum excellens ingenium ad tam insigne opus posset excitare. Dignum certe, meo quidem judicio, opus, in quo & tu, & tui similes doctissimi viri elaborent, ostendantq; quasi speculum, in quo omnes inspiciant vitas omnium, atq; ex aliis sumant exemplũ sibi, Hoc facito, hoc fugito, hoc laudi est, hoc vitio datur. Equidem ego, etsi in doctorum numero non sim censendus, ut dixi jam, sed potius in indoctorum: tamen non formidarem tantam rem aggredi, quantum exiguæ nostri ingenii vires permitterẽt: sed ætas ingravescẽs, tum domesticæ occupationes, molestissimæ illæ quidem, ut tu nosti optime; aliæque non paucæ, neque leves

leves cauſſæ ab eo me prorſus avocant, imo deterrent. Si quid tamen otii rariſſime conceditur, id gravioribus in ſtudiis, hoc eſt, divinis conſumere non ſolum æquum, ut faciam, mihi videtur, verum etiam neceſſarium. Equidem plane cognoſco eſſe properandum: nam ſi homo, ut Varronis verbis utar, Bulla eſt, eo magis Senex: annus enim primus & ſexageſimus admonet me, ut ſarcinas colligam, ante quam proficiſcar è vita. Quod quidem nunquam rectius facere potero, quam eos libros evolvendo, è quibus libris & veram philoſophiam diſcimus, & ſpem certam adquirimus de æterna noſtra fælicitate. Noſtris quidem, (utar nunc Varronis familiari) acerbiſſimis doloribus, variiſque, & undique circumfuſis moleſtiis alia nulla poteſt inveniri levatio. Vale.

L. B. B. M. O.



CLA-



CLARISSIMO VIRO, D. PHILIPPO CAMERARIO JURISCONSULTO, AMICO SUO CHARISSIMO.



Editationes tuas, CAMERARI *doctissime, vix tandem ob frequentes hinc inde profectiones, & varias quibus distrahor occupationes, magna cum voluptate mea perlegi. Ac primum quidem mirari subit, hominem te in republ. illa amplissima provinciam laboriosissimam sustinentem, tot auctorum volumina non solum legendo percurrere: verum etiam ex iis, quæ notatu maxime digna erant, excerpere, & in ordinem aptissimum digerere potuisse. Sed mirari propemodum desino, dum cogito, te in optimis nimirum disciplinis ab ineunte ætate eruditum, & ad labores honestissimos, parentis exemplo perferendos assuefactum. Quod tu profecto in hisce lucubrationibus tuis egregie declarasti. Immensi enim laboris hoc opus esse, & multiplici refertum eruditione, fatebuntur, qui id legent omnes. Cumq; in omni vita genere plurimum expediat, in promptu habere selecta ex veterum monumentis exempla, quibus quid sequendum, quidve declinandum sit, quasi viva voce admoneamur: nescio sane an ullum mihi videre contigerit librum, qui ad eam rem magis fuerit accommodatus, ut vel hac de causa* UTILISSIMUM VITÆ HUMANÆ SPECULUM *jure possit nominari. Proponuntur in eo illustres historiæ, quibus animi generosi ad pietatem, prudentiam, justitiam, magnanimitatem, temperantiam, aliasq; virtutes pulcherrimas præclare informantur. Vitiorum è diverso commemorantur exempla, ut perspecta eorum turpitudine, positis ob oculos pœnis ac calamitatibus, quas illa plerunq; secum trahunt comites,*

ab iisdem homines deterreantur & fugiant. Inveniet hic paterfamilias, invenient graves Rerumpub. consiliarii, invenient etiam ipsi principes, quod non modo oblectare ipsos sed & erudire & meliores efficere possit. Explicantur multa ad Philosophiam naturalem pertinentia, quæ & lectu sunt jucundissima, & utilitatem in vita habent non contemnendam. Taceo jam Oratores, prætereo poetas, qui ex hoc tanquam uberrimo fonte, ceu penu quodam instructissimo, ad institutum suum, depromere plurima iisq; scripta sua locupletare poterunt, & vivis quasi coloribus illustrare, quapropter operam hanc optime collocasse, & lucubrationes istas omnino dignas esse judico, quæ typis describantur, & in manus multorum perveniant, atq; adeo ad omnem posteritatem propagentur: Quæ laudem tibi & honorem pro exhaustis laboribus tribuet sempiternum. Habes breviter, quod petiisti, sententiam nimirum de Meditationibus tuis, meam, cui quin omnes boni & intelligentes subscripturi sint, equidem minime dubito. Vale.




CLA-



CLARISSIMO D. PHILIPPO
CAMERARIO, IC. ET REIPUB. NORICÆ A CONSILIIS, SUO.

S. D.



Ratissimæ mihi fuerunt literæ tuæ ſuavitatis plenæ, & donum literarum Meditationum tuarum Hiſtoricarum, quod munuſculum chartaceum adpellare tibi libuit: ſcilicet non à rei ipſius qualitate ſed ab humanitate tua & modeſtia, quid meum heic judicium deſideras? nimis eſt tenue quam ut res tantas & tanti momenti dijudicet. Verumtamen cum aurifabri aurum quoque orichalci aut ferri ponderibus librent, nec ad libras tantum vel uncias, ſed drachmas quoque examinent, dabo & ego de his ſententiam meam tibi; judiciique mei drachmulam ſuper lancem illam tuam doctiſſimi jactabo viri, non mehercle, quod ſuo pondere multum vel declinare, vel ſuſtinere poſſit, ſed modo ut tibi volenti ſatisfaciam. Multas ob cauſas Opus hoc tuum probo; nam habet quæ pauca alia non deſiderant, imo multa habet unum, quorum utrum aliquid multa alia non continent, ſuavitatem, & dicendi elegantiam rerum varietati & copiæ admixtam: & his iterum docendi vim miram, maxima cum legentium utilitate & fructu conjunctam: plane ut non modo propter res opus, ſed propter operis ipſius elegantiam res videantur digniores. Utrum igitur admirer magis, an ſtudium tuum & induſtriam in tanto opere perficiendo? an Rei ipſius præſtantiam, ſuavitatem, utilitatem? Utrumque (nec ſine cauſa) admiror & ſuſpicio: ſed ultimum illud eo velociores levioresque ceu alas tibi addit, quibus ad ſumma laudis æternæ, & gloriæ æthera advolas, immortalique fama, & nunquam intermoritura apud omnes illos te coronat, qui ex jucundiſsimo hoc & amœniſsimo Hiſtoriarum hortulo floſculos decerpant fragrantiſsimos ingenti cum ſenſuum omnium & animi oblectatione. Cui enim non proſit? Legant ſenes: & invenient qui ſenectutem ſuam bene & probe ad vitæ terminos usque traducere poſſint. Legant juvenenes; diſcent qui adoleſcentiæ annos regere, &

ad honeſtam ſenectutem pervenire queant. Legant Principes: diſcent qui ſubjectis imperare ſalubriter diu poſſint. Legant ſubjecti, diſcent qui obedire cum ſuo commodo, Reip. utilitate Principi debeant: evolvant milites, patresfamilias, parentes, liberi, diſcent qui ſe in bello, domi, erga liberos, erga parentes gerere debeant. Quid multis? huc ſe conferant cujuscunq; ordinis, ſexus, ætatis homines: quisque inveniet quid agendum ſibi, quid fugiendum ſit, invenient omnes ſalubria non modo Exempla, ſed præcepta ſuis quiq; rebus accommodata. Neq; hoc eſt nihil, quod illo ordine & hac verborum elegantia omnia ſunt connexa, ut non modo mira utilitate adficiant lecta, ſed ad legendum quoq; invitent & alliciant ultro omnes, quod ita raro alii prçſtant, ut qui te imitetur, miraculum potius docti quam doctus ſit cenſendus. Pleriq; res pulcherrimas turpiſſimis involvunt verbis, quin & in eo ſuperbiunt, ut verba non curare videantur. Alii verborum lenociniis ſesquiq; pedalibus verbis, res fere nullas includunt; atq; adeo ſuem (quod ajunt) coronant roſis. At Camerarius noſter:

Omne tulit punctum; nam miſcuit utile dulci.

Et non modo illis, qui rebus ſtudent plurimum prodes: ſed eleganti & concinna Oratione & illos oblectas, qui inſigni & ardenti divinæ illius Eloquentiæ tenentur deſiderio. Ut boni fontis eſt proprium, ſitim non tantum ſedare, ſed murmure ſimul & exſilienti limpiditate ſenſus omnes reficere: ſic liber hic tuus & rerum diverſarum ſitim ſedat, & dulcedine ſimul atque ſuavitate incredibili, legentium animos perfundit. Viden' ut Opus hoc tuum, Hiſtoricas tuas Meditationes, non modo probem, ſed admirer? & ſane dignus eſt, quem non ego tantum nullius eruditionis homo, amem, ſed docti omnes, & Hiſtoriarum amatores ſuſpiciant: proinde ſi quod porro tale Opus præ manibus habes, precor tibi non modo à Deo illam ingenii felicitatem, quam heic tibi conceſſit, ſed inprimis te hortor, ut quam primum tibi licebit, etiam illum edas: nec orbem terrarum hoc adficias incommodo, ut illa re diu careat, è qua tantum poſſit fructum capere: quod mecum ſcio omnes abs te contendent, qui ingenii tui præſtantiam ex operis iſtius lectione & fructu deguſtarunt. Vale, Rideccio inter diverſas occupationes, VI. Cal. Maias, Anno M.D.XCII.

Tuus

R. B. I. S.

IN

IN MEDITATIONES HISTORICAS CLARISSIMI ET PRÆSTANTISSIMI VIRI, D. PHILIPPI CAMERARII &c.


Edula qualis apis volitat per roscida prata,
Salubribusque & his & illis flosculis
Insidet, ac succos libatque, aluque reportat,
Sciteque in alvearibus cellas struit,
Stipat & humano generi gratissima mella,
Cibos ei datura bruma tempore:
Sic Camerariades; docto notissimus orbi,
Et gentis inclyta decus clarissimum,
Quidquid in historia veteri simul atque recenti
Dignum notatu occurrit, excerpit, notat,
Inque suas veluti cellas locat, omniaque apte
Disponit, interseque rite comparat
Eventus similes: fieri nam nil prope constat,
Sub sole, quod sit insolens plane ac novum,
Exemploque carens; (Sapiens est testis Hebraus)
Sed facta in orbem sic redeunt, ut tempora.
Ast tibi qua tanto tribuentur digna labore,
Quem praestitisti isthoc in opere, pramia?
Sit tibi primum illud pretium haud vulgare, tibi quod
Tua interesse gloria vivo datur.
(Rara ea sors, paucisque datum est viventibus istud:
Plerumque livor improbus premit bonos.)
Quanto cum applausu primum hac sunt edita, quondam
Recusa major prosequetur jam favor,
Tum pia posteritas, incorruptissima judex,
Industriam hanc mirabitur probans tuam.
Et qua gesta canit ventura in secula mittens
Hoc CLIO opus vetabit aternum mori.

Conradus Rittershusius, J.U.D.
& in Acad. Norica Professor.



EPIGRAMMA
EJUSDEM AUTORIS.



ISTORICA est olim cui condita Bibliotheca,
Cede tuum hunc titulum jam, Diodore, libens.
Magna equidem tua laus, atque indelebile nomen
Vivet, dum Clio fortia gesta canet:
Dignius his titulis sed opus Camerarius edit,
Librorum innumerûm quod queat esse vice.
Quicquid habent antiquorum memorabile scripta,
Quicquid habent nostri temporis historia;
Congestum ecce locis his convenientibus extat,
Lectoremque sua dexteritate juvat.
Iure igitur librum hûnc inscribes Bibliothecam,
Tam varios quoniam continet historicos.
Sed quid ego Soli radios superaddere tento?
Ipsum sat pro se multa loquetur opus.
Tu modo mecum isto quicunque labore fruere,
Vivat, iò felix, dic, Camerariades.
Proh quantum illi omnis doctorum natio debet,
Vnus erit cujus Bibliotheca liber!

EPIGRAMMA
IN MEDITATIONES HISTORICAS D. PHILIPPI CAMERARII INCLYTÆ REIP. NORIBERGENSI A CONSILIIS, &c.
Patris charissimi.



Cce iterum docti redeunt monumenta laboris,
Qua cura auxisti nunc meliore parens.
Propositum ergo urges, nec tadia longa fatigant,
Dum tibi promissum continuatur opus.
Nec te deterrent virosæ scommata linguæ,
Quave Theon nigro vulnera dente facit.
Nec juvat imposito tandem tibi fine laborum,
Securum placidis consenuisse modis.
Scilicet ut ventis gaudet remeare secundis
Nauta domum & quæstus exonerare suos:
Rursus & expertis audet se tradere velis,
Semotoq; novas littore quærit opes:
Discordesque licet moveant fera prælia venti
Aut prædo infestet sævus ubique mare.
Corde metus pellit ridetq; pericula cuncta
Indomito dulcis captus amore lucri.
Sic facis, haud gazas cupiens quæsisse fugaces;
At grato tantum publici amore boni.
Sic iteras cursus & sumptos ante labores
Dum studio satagis quemque juvare tuo.
Doctrinasq; refers variis sudoribus emptas,
Queis queat haud ullum dulcius esse lucrum.
Nam pereunt merces, terrisq; petita remotis
Nulla queunt usquam lucra manere diu.
Nec satiant animum, aut solatia vera reponunt:
Imo illum potius discruciare solent.
Puris sed pasci præceptis, pectora gaudent,
Qua cura passim dexteriore doces.
Hac quicunque leget, quicunque expenderit aure
Attenta, inveniet quæ repetita juvent.

Et mixtum inveniens mirabitur utile dulci,
Arteq́; tractatas res potiore simul.
Quodq́; magis mirum: spectetur copia rerum,
Vnius esse queat Bibliotheca liber.
Sed quanam referes, tantis pater optime cœptis,
Ingenioq́; satis præmia digna tuo?
Conscia mens recti sibimet pulcherrima merces,
Iustitia nitens vindice tuta Deo.
Dum tu te præstas clarum pietate parentem,
Nobis sit natis degenerasse nefas.
Splendida censetur navis, quæ remige multo
Præstat, & evincit robore, quam numero.
Sic quoque clara domus viget, æternumque vigebit,
Quæ sibi propagat progenies similes.
CLARA ergo RHEMIS sit PVPPI VIS quoque nostra,
Facta sequi natos, da bone Christe patrum.

Philippus Camerarius
Fil. scrib.

CATA-

CATALOGUS AUTORUM ET LIBRORUM QUI CITANTUR, ET QUIBUS IN his meditationibus Historicis autor utitur.

A



Braham Ortelius.
Actius Sincerus Sanazarius.
Adriani Imperat. Epistolæ.
Adamantius.
Adrianus Junius.
Adolphus Occo.
Aëtius.
Ælius Spartianus.
Æsopus.
Æneas Sylvius.
Æschylus.
Ælianus.
Ælius Lampridius.
Africanus.
Agathias.
Agapetus.
Agathyrsis Samius.
Alexander Aphrodisæus.
Albertus de Gandino.
Albertus de Rosate.
Albertus Leander, Italice.
Albertus Magnus.
Aloysius Johannes Alexandrinus, Italice.
Alex. de Alexandr.
Alexander Guaguinus, Veronensis.
Albertus Crantzius.
Ammian. Marcellinus.
Andreas Eborensis Lusitanus.
Antonius Archiepiscopus Florentinus.
Antonius Sabellicus.
Annonius vel Aymonius.
Antonius Cornelius Lynnichianus.
Antimachiavell. Gallice.
Antisthenes.
Antonius Muretus.
Annales Turcici.
Annales Herbipolenses.
Antonius Riccobonus.
Antonius à Piso, Gallice.
Annales Coloniensium Episcoporum.
Annæus Seneca.
Andreas Thevetus, Gallice.
Angel. Politianus.
Andreas Tiraquellus, Jurisconsult.
Andreas Alciatus, Jurisconsult.
Apulejus.
Appianus.
Apollodorus.
Appiani antiquitates.
Aristoteles.
Arrianus.
Arnobius.
Arnoldus Ferronus.

Aristæas.
Aristoxenus Philosophus.
D. Augustinus.
Augustinus Steuchus.
Augenius Gislenius Busbequius, Cæsareæ Majestatis legatus ad Solim. Turcicum Imperatorem.
Ausonius.
Aurelius Prudentius.
Avicennas.

B

Baptista Fulgosus.
Balduinus J.C.
Baldasar Castellioneus Italice.
Baleus Anglus.
Basilius.
Bartholom. Georgewitz.
Bartholomæus de la Casas, vel Casaus, Episcopus Hispanus, & Monachus Dominicanus, Gallice.
Bartholomæus Picernus.
D. Bernhardus.
Benedictus Arias.
Benjamin Tudelensis.
Benno Cardinalis.
Bellonus.
Belizarius Neritinorum Dux.
Bernhardinus Scardeonius.
Bernhardus Girardus, Gallice.
Bias Prienæus.
Blondus.
Bocatius.
Boëtius JC.
Boëtius.
Budæus.
Bulla Aurea Caroli IV.
Bulla Jovis Sanctæ.

C

Cato Censorinus.
Caji Fannii fragmenta.
Callias.
Carisius.
Chares Mitylenæus.
Capitonis fragmenta.
Charon Lampsacenus.
Carolus Sigonius.
Carolus Mallævilleus.
Caspar Peucerus.
Cassiodorus.
Cedrenus.
Cæliæ nobilis fœminæ Romanæ liber Epistolarum, Italice.
Cælius Rhodigin.
Cælii Antipatris fragmenta.
Chilo Lacedæmonius.
Chœrilus.
Christianus Messæus.
Christophorus Richardus, Biturix.
Cicero.
Claudianus.
Claudius Paradinus.
Cleobulus.
Clemens Alexandrinus.
Clemens Romanus.
Cl. Marius Aretius.
Cneus Nevius.
Conradus à Lichtenau Urspergensis Abbas.
Constitutiones vel Recessus Imperii.
Consuetudines vel usus Feudorum.
Cornelius Tacitus.
Constitutiones Caroli Magni.
Constitutiones pœnales Imperii.
Constitutiones Alberti Cæsaris.

Con-

Georgius Sabinus.
Georgii Fronſpergii res geſtæ.
Godefridus Viterbienſis.
Gonz. Oviedus.
Gregorius Nazianzenus.
D. Gregorius.
Gregorius Jodocus, Bergomas:
Gravamina principum Imperii.
Gregorius Turonenſis.
Gulielmus Poſtellus.
Gulielmus Choulius, Gallice & Italice.
Gulielmus Langæus Bellajus.
Gulielmus Camdenus.

H

Haithon Armenus.
Hartmannus Hartmanni Jurisconſultus.
Heſiodus.
Herodotus.
Herodianus.
Heliodorus.
Heſychius Hieroſolymitanus.
Herodoti Apologia, Gallice.
Henricus Bullingerus.
Henricus Stephanus.
Heuterus Delfius.
Hippocrates.
Hieronymus Benzo.
Hieronymus Oſorius.
Hieronymus Maggius.
Hieronymus Mutius, Juſtinopolitanus, Italice.
Hieronymus Donzellinus.
Homerus,
Horatius.
Hugo Falcandi.
Hubertus Vellejus.
H. Hunditonenſis.

I

Iamblichus Platonicus.
Jaſon Mainus.
Jacobi Sprengeri Malleus Maleficarum.
Jacobus Micyllus.
Jacobus Cujacius.
Jacobus Meyerus.
Jacobus Fontanus.
Jacobus Rævardus Juriſconſultus.
Ignatius Martyr.
Joannes Chryſoſtomus.
Jovianus Pontanus.
Joachimus Camerarius.
Joannes Aventinus.
Jodocus Damhouderius Jurisconſultus.
Joannes Baptiſta Gellius Academicus Florentinus, Italice & Gallice.
Joannes Baptiſta Porta.
Joannes Meletius.
Joannes Leunclavius.
Joannes Lupus Hiſpanus, Juriſconſultus.
Joannes Secundus Hagienſis.
Joſephus.
Joannes Wierus.
Joannes Dubravius.
Joannes Euvichius.
Joannes Caſſianus.
Joannes Anton. Viperanus.
Joannes Franciſcus Mirandulæ Comes.
Joannes Sleidanus.

Joan-

Joannes Pincianus.
Joannes Andreas JCtus.
Joannes Vafæus.
Joannes Antonius Menavinus.
Joannes Bodinus.
Joannes Noviomagus.
Joannes Mandevilla.
Joannes Charterius.
Joannes Tilius.
Jornandes.
Joannes Posthius.
Joannes Brentius.
Joannes Bartholomæus Marlianus.
Joannes Marius.
Irenæus.
Isocrates.
Isocrates historicus.
Isidorus.
Junius Cordus, Historicus.
Justinus Martyr.
Justinus historicus.
Justiniani Imper. Cod. Pandect. Authent. & Novellæ.
Juliani Cæsaris.
Julianus Gozellini Italice.
Julius Capitolinus.
Julius Cæsar Scaliger.
Julius de Julio à Canobio Jurisconsultus.
Juvenalis.
Julius Higinus.
Julius Camillus, Italice.
Justus Lipsius.
Juan. Christoval. Calvete de Estrella Hispanice.

L

LActantius Firmianus.
Lambertus Schafnaburgensis.
Laurentius Valla.
Laurentius Cardinalis tit. S. Anastasiæ.
Lampridius.
Lazarus Bayfius.
Leges XII. Tabul.
Leges Servii Tullii.
Leges Romuli.
Leges Alemanorum.
Leges Salicæ.
Leonhardus Chiensis.
Lerius Gallice.
Levantius Guicciadolus Ital.
Levinus Torrentius.
Levinus Lemnius.
Lilius Gregorius Gyraldus.
Livius.
Lucianus.
Lucius Marineus.
Ludovicus Cominæus.
Ludovicus Vives.
Lucretius.
Lucanus.
Luitbrandus Ticinensis.
L. Aretinus.
L. Cassii Heminæ fragmenta.

M

MAcarius Ægyptius.
Macrobius.
Manilius.
Manuelis Imperatoris præcepta.
Martialis.
Martianus Bellajus.
Martinus Crusius.
Marinus Barletius.
Marcus Antonius Muretus.
Marcus Antonius Zimara.

Marſilius Ficinus.
Matth. Grylandus, Juriſconſultus.
Matthiolus.
Menander.
Mercurius Triſmegiſtus.
Michael Glycas.
Michael Silvius.
Michael Voſinerus.
Montanarius Patavinus.

N

NAtalis Comes.
Nauclerus.
Nicoſtratus.
Nicander.
Nicephorus Gregoras.
Niceta, Choniates.
Nicolaus Schonbergius Cardinalis.
Nicolaus de Cuſa Cardinalis.
Nicolaus Olahus Metropolitanus Strigonienſis.
Nicolaus Everhardi Juriſconſultus.
Nicolaus à Clamengiis.
Nicolaus Todiſchus Abbas Panormitanus.
Nicolaus Hanapus Patriarcha Hieroſolymitanus.
Nicolaus Nicolai.
Nicolaus Machiavellus.
Nonius.
Nunius.
Nunius Pincianus.

O

OLaus Magnus.
Olympiodorus Alexandrinus.
Onophrius Paninius.
Oppii fragmenta.
Orpheus.
Orus Apollo Niliacus.

P

PAlephatus Abydenus.
Pandulphus Collenucius.
Papyrius Maſſonus.
Paulus Jovius.
Pauſanias.
Paulus Æmilius Veron.
Paulus Juriſconſultus.
Paulus Manutius.
Paulus Diaconus.
Paulus Oderbornius.
Paulus Venetus.
Phalaridis Epiſtolæ.
Petrarcha.
Petrus Baldaſar, Gallice.
Petrus de Aliaco.
Petrus Juſtinianus.
Petrus Martyr ab Angleria Mediolanenſis.
Petrus Martyr Vermilius, Florentinus.
Petrus Victorius.
Petrus Meſſias, Italice.
Petrus Albinus.
Philo Judæus.
Philoſtratus.
Philippus Melanchton.
Philippus Mornæus.
Pindarus.
Plato.
Platina.
Plautus.
Plinius.
Plinius Secundus.
Plutarchus.
Poggius Florentinus.

Poly-

Polyphili Hypnerotomachia, Italice.
Polybius.
Polydorus.
Pomponius Lætus.
Pomponius Mela.
Pompilius Amazænus.
Porcius Latro.
Porphyrius.
Posidonius.
Phocylides.
Proverbia Gallica.
Ptolomæus.
Publius Mimus.
Pythagoras.

Q

Quintus Curtius.

R

Rabi Abraham.
Raphael Volaterranus.
Richardus Dinothus.
Robertus Gaguinus.
Rodericus Santius.
Rodericus Suarius Hispan. JC.
Rodericus Toletanus.
Ruffinus.

S

Sabbas Castellionæus Italice.
Salustius.
Sammonici fragmenta.
Scipio Africanus.
Sebastianus Monticulus Jurisconsultus.
Sebastianus Foxius Morzillus Hispalensis.
Sempronii Asellionis fragmenta.
Seneca Tragœdus.
Servius.
Serenus.
Sextus Aurelius Victor.
Sextus Empiricus.
Sibyllina oracula.
Sidonius.
Sifridus Presbyter.
Sigebertus Gemblacensis.
Simplicius.
Simonides.
Solon.
Solinus.
Sophocles.
Sozomenus.
Speculum Saxonicum.
Statius Poeta.
Stephanus Vinandus Pighius.
Stesichorus.
Stobæus.
Strabo.
Suetonius.
Suidas.
Summa Angelica.
Symmachus.
Synesius.
Synopsis Caroli IX.

T

Testamentum vetus & novum.
Terentii Varronis fragmenta.
Terentius.
Tertullianus.
Theoclius.
Theodorus Lector.
Theopompus.
Theophrastus, Philosophus.

Theo-




CAPI-



CAPITA OPERARUM SUBCISIVARUM, SIVE MEDITATIONUM HISTORICARUM HUJUS PRIMÆ CENTURIÆ.



OPE-



OPERARUM SUBCISIVARUM, SIVE MEDITATIONUM HISTORICARUM

CAPUT I.

DEO puras & castas preces, vota, gemitusque grata esse.

IN præclaro Ciceronis opere de legibus hæc verba inserta sunt; AD DIVOS CASTE ADEUNTO: PIETATEM ADHIBENTO: QUI SECUS FAXIT, DEUS IPSE VINDEX ERIT. Item, IMPIUS NE AUDETO PLACARE DONIS IRAM DEORUM. Putabant namque Ethnici, licet cognitionem veritatis certam nullam haberent, DEUM irritari impiorum precibus & magis ad vindictam, quam ad opitulandum flecti. Id testatur Bias Prienæus. Quum enim una navi cum quibusdam sceleratis & impijs veheretur, & ij, ob tempestatem ortam, Deorum opem implorarent; Silete, inquit, ne vos hic illi navigare sentiant. Eodem modo Aristippus cum navi vectus, oborta tempestate supra modum perturbaretur, quidam ex ijs, qui simul navigabant; Numne, inquit, etiam tu metu percelleris, quemadmodum vulgus? At ille, prorsus ait neque injuria: Vobis enim de vita scelerosa infelicique labor est, & præsens periculum, mihi vero de felicitate, atque beatitudine. Plato quoque vetat dubitare, qua sit mente futurus DEUS, si ab impio invocatur, vel placari donis studetur; cum vir nemo bonus ab improbo donari velit. Ob eam *Lib. 2.*

cauſſam quidam ex veteribus dicere ſolitus eſt; in rebus ſecundis & proſperis Deos placandos eſſe, ut eos in rebus adverſis confidentiori animo invocare poſſimus. Huc reſpexiſſe Plinius videtur, ubi dicit MANIBUS HONESTIS OMNIA LÆTIUS PROVENIUNT. Unde apparet ex hiſtorijs, veteribus plane perſuaſum fuiſſe, Dijs minime grata ſacrificia eſſe quæ ab impuris manibus ſceleratorum offerebantur. Idcirco per novem dies noctesque ſaltem oportebat ab omni libidine ſacerdotes mulieres æditua abſtinere. Sic & Cybeles ſacerdotes membrum genitale ſibi quodam lapide abſcindebant, ut caſte viverent. Et Athenis alij bibebant cicutam, ut vim membri genitalis amitterent: mulieres præterea initiaturæ ſibi lectos peculiaribus folijs ſubſternebant, ut refrenarent libidinem. Quare jure ſcripſit Demoſthenes hæc de præſidibus ſacrorum: Ego ſane exiſtimo, eum qui ad ſacra accedit, & res ſacras ſit tractaturus, aut res ad Deos ſpectantes curaturus, oportere non ſtatutum dierum numerum eſſe caſtum, ſed per univerſum vitæ ſuæ curſum ab hujuſmodi turpibus ſtudijs abſtinuiſſe. Hæc autem & alia plura prolixe & erudite traduntur in Natalis Comitis mythologia. Magi ſane, ut ſimpliciores ſub prætextu pietatis & caſtitatis magis decipiant volunt, quod ſpiritus & dæmones propter ſimilitudinem maxime diligant virgines, puros, & caſtos. Similitudo enim dilectionis eſt cauſa, ipſi namque non coeunt, quia nullus dæmon ſuapte natura mas eſt, vel fœmina. Unde inquit Galeotus Mart. Quum Deos placare intendimus caſtitatem ſervamus, ſecundum illud:

Lib. 18. c. 2. *In oratione contra Timocratem.* *Lib. 1.* *De doctrina promiſcua. c. 10.*

Virgil. 2. Æneid.

Hac caſti maneant in relligione nepotes,

Quod etiam tetigiſſe poëta videtur, ait enim:

——Et ſpiſſis noctu ſe condidit umbris.
Apparent diræ facies inimicaque Trojæ
Numina magna Deûm.

Nam Venere præſente (ea namque deorum ac ſpirituum viſionem prohibet) nihil profecto viderat. Sic nonnulli magiam imitantes, quum furem in phiala aquæ vel ſpeculo apparentem noſcere exoptant, virgunculas aut infantulos impollutos eligunt, ut ea ſimulacra conſpiciant, quæ pollutus minime videt. Hiſce magicis ineptijs olim Didium Julianum Cæſarem delectatum fuiſſe, tradit Ælius Spartianus in ejus vita. Fuit, inquit, in Juliano hæc amentia, ut per magos pleraque faceret, quibus putaret vel odium populi deliniri, vel militum arma compeſci. Nam & quaſdam, non convenientes Romanis ſacris, hoſtias immolaverunt, & carmina profana incantaverunt, & ea quæ ad ſpeculum dicunt fieri, in quo pueri præligatis oculis incantando vertice reſpicere dicuntur, Julianus fecit: tumque puer vidiſſe dicitur, & adventum Severi, & Juliani deceſſionem, &c. Sic Toloſæ ſuo tempore

pore Lusitanum fuisse scribit Bodinus, qui res occultas in ungue pueruli *In Dæmonomania lib. 3. cap 3.* videndas exhiberet. Et ibidem refert, quod Deus gravissime vetuerit, ne lapis imaginationis adoretur. Ipsius autem opinio est, quod hic lapis imaginationis *Lib. 5. c. 11. Levit. c. 25.*, vel adorationis fuerit ad unguem expolitus, tanquam speculum, ex quo imagines offerebantur, & divinationes petebantur. Huc quoque nostro tempore magi lapidem crystallum adhibent. Und κρυσταλλομαντεία vel ὀνυχομαντεία dicitur, quum fricato ungue aut crystallo nescio quos sermones pronunciant, & tum puerum integræ & incorruptæ pudicitiæ admovent, ut videat quod ab illis quæritur, ut idem Bodinus recenset. Sed has ineptias & amentiam hominum, vetitis artibus deditorum *Lib. 2. c. 2.* omittamus, & ad nostram meditationem revertamur. Si igitur ethnicis persuasum fuit, tantum pondus pias & castas preces habere: quid Christianis, qui cognitionem veri DEI habent & ejus verbo certi sunt, qui caste & pie invocari, & has preces efficaces esse velit, faciendum erit? Hoc sane post alios nos docet Lactantius. Si quis, inquit, ad sacrificium *Institut. divin. l. 5. c. 19.* non integra conscientia venerit, audiat, quæ illi DEUS comminetur, ille qui latebras cordis videt peccatis semper infestus est, qui exigit justitiam, qui fidem poscit. Quis hic malæ menti, aut malæ preci locus est? At illi infelices nec ex sceleribus suis intelligunt, quam malum sit, quod colunt, quandoquidem flagitijs omnibus inquinati veniunt ad precandum, & se pie sacrificasse opinantur, si cutem laverint, tanquam libidines intra pectus inclusas ulli amnes abluent, aut ulla maria purificent. Quanto satius est mentem potius eluere, quæ malis cupiditatibus sordidatur, & uno virtutis & fidei lavacro universa vitia depellere? Quod qui fecerit, quamlibet inquinatum ac sordidum corpus gerat, satis purus est. Hæc Lactantius. Instituta autem hæc lotio olim fuit mystica quadam significatione. Nam in facie lavanda, emundati corporis, ac sinceræ conscientiæ puritas denotabatur. Unde lavare faciem Chrysostomus exponit significare *Homilia XLV. feria IV. Cinerum.* ab omni sorte peccatorum & squalore delicti, faciem cordis nostri & ipsam conscientiam mundam præferre, ut vere lætitiam cœlestis gaudij, & hilaritatem sancti Spiritus in nobis habere possimus. Memorabilis quoque est epistola Constantini Magni ad Saporem Persarum regem, in qua inter alias *Lib. 4. c. 10. de vita Constantini.* pias monitiones, teste Eusebio, hæc verba leguntur: Deus puram solummodo mentem & animum omni labe vacantem ab hominibus flagitat, quibus ille virtutis, & pietatis actiones ponderat. Eodem modo non minus pie quam recte Philippus Melanchton vir pius, & de toto orbe, ubi Christianum nomen notum est optime meritus, admonuit, quales preces DEO gratæ sint, hoc disticho.

Caſta DEUS mens eſt, caſta vult mente vocari,
Et voluit caſtas pondus habere preces.

De morte & vita æterna. Ut enim vaſa pice referta (qua ſimilitudine utitur David Chytræus) ſi melle aut vino ea implere velimus, effundi ante & mundari oportet: ita mentes & corda noſtra à ſtultis & futilibus mundi hujus deſiderijs, & tetris peccatorum ſordibus, quibus nunc plena ſcatent, expurgari ante & munda reddi neceſſe eſt, ut ſapientiæ ac juſtitiæ & vitæ divinæ, ſeu ipſius Dei capacia reddantur. Ea intentione Eccleſia canit: Aufer à nobis Domine cunctas iniquitates noſtras, ut poſſimus PURIS MENTIBUS introire Sancta ſanctorum. Elegantiſſimum quoque eſt diſtichon Gregorij Nazianzeni:

χειρῶν ἔργον ἄριστον ἐς οὐρανὸν αἰὲν ἀείρειν
ἁγνὰς καὶ προχέειν εὐσεβέεσσι λιταῖς.

Hos verſus parens meus piæ memoriæ, aliquando inter prandendum è Græco ita tranſtulit.

Optimum opus manuum, has in cœlum tendere puras,
Atque pio caſtas fundere ab ore preces.

In Novell. 132. collat. 9. tit. 16. cap. 5. Huc reſpexit Juſtinianus Imperator, ubi caſtitatem & pietatem Monachis utriusque ſexus ſevere præcipit. Si enim illi, inquit, puris manibus & nudis animabus pro Repub. ſupplicent Deo, manifeſtum quod exercitus habebunt bene & civitates bene diſponentur. Deo quoque placato & propitio exiſtente, quomodo non vniverſa plena totius pacis & devotionis; Sed terra nobis feret fructus, & mare, quæ ſua ſunt, dabit illorum oratione propitiationem Dei ad omnem Remp. deducente. *In ſermonib. Quadrageſima cap. 4.* Id ipſum præterea D. Auguſtinus monuit, ubi ita ſcribit: Oratio juſti clavis eſt cœli, aſcendit precatio, & deſcendit Dei miſeratio: licet alta ſit terra, altum cœlum, audit tamen Deus hominis linguam ſi mundam habeat conſcientiam, quum ſenſibus loquitur, ſi ſit ſolus noſter gemitus. Eaſdem pias cogitationes habuit D. Bernhardus: Credimus, inquit, angelos ſanctos aſtare orantibus offerre Deo vota & preces hominum, ſi ſine deceptione levari puras manus proſpexerint. Memorabilis poſtremo & digna eſt ſimilitudo Johannis Chryſoſtomi, ut huic meditationi inſeratur. Facies, inquit, animæ eſt conſcientia. Sicut enim in conſpectu hominum gratioſa eſt facies pulchra: ſic in oculis *Super Matthæum.* Dei ſpecioſa eſt conſcientia munda. Ad has preces & gemitus reſpexit idem *In oratione de Avaritia.* Chryſoſtomus, ubi admonet eos, qui pauperibus injuriam faciunt. Habetis inquit, vos potentiam, ſed habent illi omnium validiſſima arma, gemitus & lamentationes & illud ipſum injuriam pati qua auxilium de cœlo attrahunt. Hæc arma domus ſuffodiunt, fundamenta diruunt, urbes evertunt, univerſas nationes fluctibus obruerunt. Tantam gerit Deus eorum providenti-

dentiam, qui læduntur. Magna enim & valida arma sunt; injuriam patientium hominum gemitus.

CAPUT II.

Rempub. literis & armis regi & servari.



IULIUS Cæsar cum Pompejum in Pharsalicis campis vicisset, inter alios honores à Senatu illi decretos, quos ille admisit, hi fuere, ut currus ipsi adversum Jovem spectans in Capitolio collocaretur. Ipse quoq; super imaginem orbis terrarum positus statueretur, cum hac inscriptione, SEMIDEUS EST. Unde, ni fallant me conjecturæ, in heroicis Gabrielis Simeonis symbolis depingitur, stans super globum mundi, sinistra tenens librum, dextra gladium, cum hac inscriptione: EX UTROQUE CÆSAR. Qua pictura demonstratur, his duobus, armis videlicet & literis, Cæsarem imperium acquisivisse, & acquisitum conservasse. Rectissime enim dicitur:

Non minor est virtus, quam quærere, parta tueri.

Extat hac de re lex Servii Tullii VI. Regis Romanorum, qua continetur, Non solum armis & scientia belli, sed & consiliis artibusque pacis Rempubl. consistere. Huc sine dubio Justinianus Imperator in principio suarum Institutionum Juris respexit, ubi orditur: Imperatoriam majestatem non solum armis decoratam, sed etiam legibus armatam esse oportet, ut utrumq; tempus, & bellorum & pacis recte possit gubernare, & Princeps Romanus non solum in hostilibus præliis victor existat: sed etiam per legitimos tramites calumniantium calamitates expellat. Constat igitur ex his, quanta fuerit veterum Regum & Principum prudentia & solicitudo, ut iis artibus instruerentur & excellerent, quibus eorum labore & solertia acquisita conservarentur. Et ob hanc rem Franciscus Guicciardinus, historicus inter recentiores exquisitissimus, eos imprudentiæ tacite coarguit, qui armis imperia facile propagarent, ea tamen retinere non possent, nec viderent partum imperium iis, qui domestica disciplina uti nescirent, non modo non utile, sed etiam grave ac perniciosum semper fuisse. Id non ignoravit Augustus Cæsar, quum enim Alexandri Magni in Oriente gestas legeret, admiratum ferunt, non induxisse Alexandrum in animum suum, qua ratione & via quæsita conservaret, ac regeret, sed tantum quomodo quæsitis alia adjiceret. Simili ingenio fuit Pyrrhus Epiri rex, cujus, *Lib. 25.*
ut Justinus historicus dicit, nemo qua tulisset, imperium sustinere valuit, sed

ut ad devincenda regna invictus habebatur: ita devictis acquiſitisq; celeriter carebat. Tanto melius ſtudebat acquirere imperia, quam retinere. Unde Antigonus Rex aleatori ſimilem eum eſſe dicebat, qui ſpe futuri lucri proprias opes prodigit, nec unquam contentus eſt eo, quod in alea vicerit, ſed quæcunq; colluſoribus ſuperſunt, magna aviditate cupit, inq; ea relictis omnibus ſolum inhians, quæcunq; ante quæſierat, profundit. Scipio quoq; quum Cenſor eſſet, noluit in ſolenni carmine, ſicut erat moris, precari: Dii augete Rempublic. ſed conſervate. Satis, inquit, habemus auctam, ſi modo conſervetur. Huc reſpexit Criſpus Salluſtius: Imperium, inquit, facile his artibus retinetur, quibus initio partum eſt. Verum ubi pro labore deſidia, pro continentia & æquitate, libido atq; ſuperbia, invaſere: fortuna cum moribus mutatur. Hoc etiam Totilas Rex Gothorum, occupata Roma conſideravit. ita enim orationem ad milites ſuos (ſicut à Leonh. Aretino refertur) concludit: Tueri quæſita difficilius eſt quam acquirere: quoniam in acquirendo ignaviæ poſſidentis ſæpe plus confert, quam propria virtus. Tueri autem quæſita ſine propria virtute nemo poteſt. Cum Julii Cæſaris vero ſymbolo, quod initio adduximus, convenit perpulchre verſus Homericus, quo poſt Alexandrum Magnum, qui ſemper eum in ore habuit, in primis delectatum fuiſſe regem Galliæ Franciſcum I. apparet ex librorum (qui ejus ſumptibus à Roberto Stephano elegantiſſ. typis græcis ſunt editi,) inſcriptionibus, ubi ut plurimum illi additus eſt. Deſcribitur autem eo Agamemnon, quod non ſolum Rex fortitudine, ſed & bonitate ingenii fuerit præſtans:

In conjurat. Catilinæ.

De bello Italico contra Gothos lib. 8.

Ἀμφότερον βασιλεύς τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμητής.

Sic Ageſilaus magnus ille Lacedæmoniorum Rex, quodam tempore interrogatus, utra virtus eſſet præſtantior, fortitudo an juſtitia? graviter reſpondit, fortitudinis nullum eſſe uſum, niſi adſit juſtitia. Eodem modo vetus atq; perpetuum inſtitutum eſt apud Turcas, ut intranti templum ſupplicandi cauſa Imperatori, Taliſmanus æditaus ſacerdos occurrat, claraq; voce pronunciet, ut meminiſſe velit, Imperium, quod juſtitia & virtute bellica partum ſit, non aliis quam iiſdem artibus conſervari, propugnariq; oportere, ut Jovius recenſet. Hinc videmus maximo cum noſtro malo, hoſtem hunc; ut Busbequii, in ſua exclamatione de acie contra Turcas inſtruenda, verbis utar; ea eſſe vigilantia, eam ſervare diſciplinam, ea uti in conſervandis iis, quæ ſibi adjunxit, ratione, ita regnare ac dominari, ut ubi ſemel veſtigium fixerit, inde ſe moveri nunquam patiatur; nunquam ſe attollat ſeges, quam ſemel illa calamitas depreſſerit. Adeoq; difficile dictu videtur, ſitne in acquirendo acrior, an in tuendo quæ acquiſi-

In Elogiis lib. 2.

quisivit, firmior, atq; validior. Sane prudenter Maximilianus I. Imperator optimus, sæpe in ore habuit. Longe facilius esse vincere, & domare gentem, quam in officio retinere. Hoc etiam Nicias apud Thucydidem, monere voluit, ubi dicit, Stultum esse eos invadere, quos victor non possit in officio retinere. Huc referri potest emblema XIII. quod doctissimus vir Adrianus Junius in suo eleganti libello Emblematum inseruit. Ibi enim depingitur geminum Mercurii simulacrum, alterum juventa florentis: alterum maturo senio venerandi. Quo veteres, ut ipse explicat, innuere voluerunt, cum qui recte rempubl. aut regnum sit administraturus, conjunctam cum prudentia fortitudinem habere debere, quasi alterutrum inutile sit absq; alterius ope. Ideoq; inscriptio rectissime convenit: PRUDENTIA CUM ROBORE CONIUNCTA. Nec non & subscripti versiculi, sumpti fortasse ex sententia Isocratis ad Demonicum: Robur cum prudentia conjunctum prodest, qua sine, plus habenti incommodat. *Lib. 6.*

Viribus Cyllenius integris stat,
Iunctus cum senio gravi.
Robur invictum est, sapientia si
Firmes, qua sine, concidet.

Recte itaq; sentit Franciscus Patricius, quod quibus modis acquiratur imperium, iisdem etiam augeatur. Quoniam, inquit, non est aliud incrementum, quam adjectio ejus, quod augetur. Sed ubi jam acquisitum est auctumq; imperium, superest ut conservetur, subditorum animos continendo, ut libenter, aut etiam inviti maneant, quorum istud vi perficitur, illud si optime eos tractaris: aut melius quam alii, aut saltem si melius quam alii tractare videberis. Quibus si accedat gravitas quædam magistratus quæ „ in subditis timorem quendam cum admiratione & reverentia efficiat, ni- „ hil erit quod subditorum animos æque devinctos, ceu catena quadam con- „ tinere possit. Nam nihil est quod hominum animos ita terreat atq; fascinet, ut admiratio. Postremo non omittenda est inscriptio monumenti antiquissimi, quam Augustinum Nerucciuin, quum Hispanias peragraret, inde attulisse, Petrus Victorius vir genere & eruditione præstantiss. dicit, talis videlicet: *In dialog. 6. de historia.* *In Annot. in M Varronem de re rustica.*

PALLADI VICTRICI SACRUM.

HIC HOSTIVM RELIQVIAS PROFLIGAVIT CATO. VBI SACELLVM MIRO ARTIFICIO CONDITVM ET ÆREAM PALLADIS EFFIGIEM RELIQVIT.

PAREANT ERGO ET NOSCANT OMNES SENATVS ET POPVLI ROMANI IMPERIVM DEORVM NVMINE ET MILITVM FORTITVDINE ET TVERI ET REGI.

Caput III.

Ab injuriis & calumniis abſtinendum, & inprimis mortuos & abſentes convitiis non lædendos.



RITUM apud nos eſt in ore, utinam re ipſa quoq; fieret, De abſentibus & mortuis, nil niſi bene loqui & precari licere. Hoc quidem veteres magna cum diligentia obſervarunt. Extat enim præceptum Sapientum: DEFUNCTI INIURIA NE AFFICIUNTOR. Et aliud: DE MORTUO NON RISERIS. Huc ſpectat inſcriptio ſigilli Platonis: FACILIUS EST MOVERE QUIETUM, QUAM QUIETARE MOTUM. Non enim eſt pugnandum cum manibus, nec decet eos affici injuria, qui hac vita ſunt defuncti. Siquidem injuriæ vulnus altius penetrat, quam beneficii gratia. Vel, ut Cornelius Tacitus argute dicit, Proclivius eſt injuriæ quam beneficio vicem exolvere, quia gratia oneri, vitium in quæſtu habetur. Ob hanc rem laudatur lex Solonis, quæ prohibet in defunctos maledicta conjicere. Nam & pium eſt; ut Plutarchus in vita ejus dicit, eos ſacros ducere, qui è vita diſceſſerint; & juſtum, his, qui eſſe deſinunt, abſtinere, & civilium inimicitiarum aliquando modum ſtatuere, nec in infinitum progredi ſinere. Vel, ut Cariſii verbis, ſicut in C. Fannii fragmenta relata ſunt, utar, Inimiciter iraſcendum non eſt. Prudenter ſane veteres illi legislatores homines à maledictis & calumniis absterruerunt. Non enim ignorarunt, maledictis quam malefactis gravius etiam abſentes lædi, difficiliusq; à pleriſq; contumeliam perferri quam damnum. Quod facto ſe defendere hoſtibus propter neceſſitatem conceſſum videtur: in conviciis nimium quiddam ineſſe, vel odii, vel malitiæ creditur. Id ipſum Plato innuere videtur, qui ejusmodi conviciatores in numerum furioſorum refert. (*Lib. 11. de Legibus.*) Furoris genera, inquit, ſunt multa: Alii morbo laborant, alii prava iracundi ingenii natura, & vitioſa educatione, qui ob leves offenſiones contenta voce exclamant, & mutuis ſeſe alii alios conviciis proſcindunt. Quod quidem in bene moderatæ civitate nullo modo tolerari debet. Unde Diogenes interrogatus, cujus beſtiæ morſus eſſet periculoſior, vel magis venenatus, reſpondit ex feris eſt maledicus, ex domeſticis adulator. (*In Polymnia*) Hoc etiam Herodotus obſervavit, ubi dicit: Detractio importuniſſima res eſt, in qua duo ſunt, qui injuriam faciunt: unus cui injuria fit. Qui enim detrahit, injurius eſt, quod non præſentem accuſat. Item qui

huic credit, injurius eſt, quod prius credit, quam rem compertam habeat.
Et illi, cui abſenti detrahitur, ob id fit injuria, quod ab altero inſimulatur ut
malus, ab altero talis putatur. Huc quoq; idem Plato ſuam legem direxit, Lib. 1. de Legibus.
quæ eſt talis: NEMO CUIQUAM CONVICIATOR. QUI VERO CUM ALIQUO
ALIQUA DE RE DISCEPTAT, DISCITO IPSE ET DOCETO EUM,
QUI CUM ILLI CONTROVERSIA EST, ET PRÆSENTES, ET A MALEDICTIS
PRORSUS ABSTINETO. Ob hanc rem Carolus Borbonius, ſicut Ferronus
refert, plerumq; in ore habuit Aquitani cujuſdam ſcitum reſponſum, qui Lib. 7. de rebus geſtis Gallorum.
rogatus à Carolo VII. Rege Galliæ: Quo tandem præmio impelli poſſet, ut
fidem ſibi tot magnis rebus perfectam falleret, NON TUO, inquit, RE-
GNO; NON ORBIS IMPERIO ADDUCI POSSEM; NON OMNIUM
THESAURIS: CONTUMELIA TAMEN ET STOMACHOSA IN-
IURIA POSSIM. Vel ut gallice magis emphatice & ſuccincte ſonat,
ſire, un meſpris. De mortuis autem Chilonis Lacedæmonii præceptum
laudatur, τὸν τεθνηκότα μὴ κακολογεῖν, ἀλλὰ μακαρίζειν, id eſt, defunctum
non maledictis afficias, ſed beatum prædices. Putabant enim nihil ingenuo
viro indignius, quam eos inceſſere lingua, qui reſpondere non poſſent, ſi-
quidem tam turpe hoc habetur, quam cum larvis vel umbris luctari. Huc
præterea & illud Ariſtotelis referendum eſt, qui in Rhetoricis citat Plato- Lib. 5. de Republ.
nem dicentem: An non illiberale quiddam, cogitationisq; avaræ, muliebris
ac vilis eſſe videtur, cadaver expoliare, hoſtemq; putare mortui corpus
cum adverſarius ipſe abierit, eo quo cum pugnabat relicto? Num cenſes eos,
qui hoc agunt differre à canibus, adverſus jactos lapides iraſcentibus, eo
qui jacit dimiſſo? Nihil equidem differre arbitror. Quare à rapinis hujus-
modi abſtinendum eſt, victoriæ namq; obſunt. Hoc conſideravit Pauſa-
nias Lacedæmoniorum Rex, cui cum victo & in prælio occiſo Mardonio,
Lampon è primoribus Æginetarum, ut Herodotus refert, ſuaderet, ut ho- In Calliope.
ſtis cadaver in crucem ageret, ſicut ipſe Leonidæ feciſſet: Tuam reſpon-
dit Pauſanias, benevolentiam atq; providentiam amplector; tamen ab
æquitate judicandi decerras. Nam & me & patriam, quos in altum extuli-
ſti, ob hæc geſta ad nihilum redigis, quum ſuades mihi ſævire in mortuum,
aisq; me auditurum melius, ſi iſtud fecero, quod Barbaros potius decet
facere, quam Græcos, quodq; in illis improbamus. Memorabile igitur
eſt, quod Suidas de ſtatua Niconis Thaſii pugilis retulit. Quum enim Lib. 6. Iliat.
ejus jam defuncti ſtatuam æmulorum unus, odio indulgens, fuſtibus cæ- Lib. 5. de præparat. Evang.
deret, tanquam Niconem ipſum vivum contumelia afficiens: ſtatua ma-
nium ejus ultrix, in cædentem ipſa collapſa, oppreſſit eum & extinxit. Hæc
autem hiſtoria ſumpta eſt ex Pauſania, licet Euſebius Diomedis athletæ
ſtatuam fuiſſe dicat. Audiamus quoq; Catonem Cenſorinum, cujus

In præfat. ſup 1. lib. 2. nat. hiſt.

verba ex ejus commentario de militari diſciplina, refert Plinius. Scio ego quæ ſcripta ſunt, inquit, ſi palam proferantur, multos fore, qui vitilitigent, ſed ii potiſſimum, qui veræ laudis expertes ſunt. Eorum ego orationes ſino præterfluere. Nec Plancus illepide, quum diceretur Aſinius Pollio orationes in eum parare, quæ ab ipſo aut liberis poſt mortem Planci ederentur, ne reſpondere poſſet: Cum mortuis non niſi larvas luctari. Quo dicto ſic percuſſit illos, ut apud eruditos nihil impudentius judicetur. Hæc Plinius. Reprehenditur itaq; non immerito Sylla, cui non ſatis fuit vivis hoſtibus illudere, niſi mortuorum etiam oſſa, à ſepulcris canino more eruta, in fluvium mergi juſſiſſet, ut de Marii cadavere hiſtorici ſcribunt. Proinde moriens ſe cremari teſtamento cavit, ne idem ab hoſte ludibrium ejus cadaver pateretur. Et ex hoc ſuo facto inolevit apud poſteros mos cremandi cadavera mortuorum. Quam ſancta autem memoria olim defunctorum fuerit, apparet ex hoc, quod vetus mos apud Romanos extitit, præclaros Principes nuper mortuos publico luctu ſuorum popularium ad integrum annum, aliudve tempus juſtum, honeſtari. Pium enim eſt charitatem erga mortuos teſtari. Sicut quoq; hujus moris teſtimonia in ſacris literis extant. Huc referri poteſt Athenienſium inſtitutum. Ii enim, quotquot in bello pro patria fortiter occubuerunt, in diario aſſcriptos, nominum & rerum ab illis præclare geſtarum crebra recitatione, celebratione, & gloria, præſente univerſorum civium corona, poſt tam felicem mortem ludis, & celebritate publica celebrarunt; certaminaq; à juventute fiebant, quæ dicebantur ἐπιταφικά, id eſt, Sepulcralia, in quibus ipſi juvenes gloriæ cupiditate ad rem bellicam, mortis contemptum, amorem Reipub. usq; adeo beneficiorum in ſe memoris, inflammarentur. Præſcribi præterea à polemarcho ſolebant cantilenæ & verſus quidam, in laudem defunctorum & virtutis, qui ipſis juvenibus decantandi in ludis publicis dabantur. Poſtremo non omittendum fuit memorabile factum Ludovici XI. Galliarum Regis: ſicut id recenſetur à Roberto Gaguino, ex quo apparet, Regem illum mortuorum famam, abolitis odiis, qualiscunq; eorum vita fuerit, illibatam habere voluiſſe. Fuit Agnes, inquit, quæ Bella nuncupata fuit, Ludovici patris pellex, ea in Divæ Mariæ templo, quod in Caſtello Lociarum eſt, ſepeliri voluit. Datoque ſacerdotibus annuo proventu, in medio templi choro ſepulcrum ſibi extrui impetravit. Ad eum locum aliquando divertens Ludovicus, eſt ſciſcitatus, cujus hoc eſſet monumentum, Eſt, inquit quidam ex clero, Agnetis illius, quam propter formæ decorem Bellam vulgus appellabat: Sed quia nobis impedimento eſt ſepulcrum, vellemus cum tua venia in alio aliquo ſacello reponere. Non æquum, inquit Rex, poſtulatis. Quanquam

In hiſt. Francorum li. 11. cap. 12.

quam enim illa dum vixit, mihi sit multum adversata, mulieris tamen bustum contra leges non violabo. Sed nec vos arbitror illius cadaver sine largo ejus munere hic collocasse, servate benefactrici, quod viventi promisistis. Nec vobis fas esto hinc movere sepultam. Ut autem illius causa obnoxiores Deum orare sitis, accipite dono sex millia librarum. Et hoc dicens, jussit nummos sacerdotibus tradi, quos in perpetuos templi reditus impenderent. Refert autem idem autor ex Johanne Charterio vetere historico, de hac Agnete, Carolum VII. patrem Ludovici XI. dum obsideret Harfleum, ut Anglos inde ejiceret, in cœnobio Gemetensi diversatum esse: Eoq; Agnetem (quam propter egregiam speciem Bellam appellabant) venisse, eo animo, ut Regem admoneret proditionis, qua in eum quidam conjurarant. De hac Agnete, inquit, constans mea ætate fama fuit, eam à Carolo adamatam fuisse, & puellam brevissimæ vitæ peperisse. Quanquam Carolus ex se prognatam esse omnino diffiteretur. Decessit in eo cœnobio Agnes condito sexaginta millium aureorum testamento: ubi exsecta ejus præcordia humo tradita sunt, reliquum cadaver Lochias elatum, & in Divæ Mariæ templo sepultum. Fuit namq; admodum lepida & faceta, luxuq; & vestium cultu, supra mulieris modestiam, gloriabunda. Qui fastus quandoquidem non, nisi grandi sumptu ducitur, ejus pompæ impensam ad amorem mercedem Carolus facere credebatur. Accessit ad stupri suspicionem propinquorum Agnetis ad dignitates Ecclesiasticas repentina promotio. Hujus Agnetis Soreliæ meminit quoq; Girardus, de rebus Franciæ, in vita Caroli VII. Regis. Et Heuterus Delfius de rebus Burgundiæ scribit famam fuisse, mortem Agnetis ultra modum à Carolo adamatæ Delphinum, qui postea patri successit, & Ludovicus XI. appellatus fuit, procurasse.

Eodem libro cap. 4.

Lib. 23.

Lib. 4.

CAPUT IV.

De insigni liberalitate Principum erga doctos viros.

RECTISSIME dictum à veteribus est: Honos alit artes. Hoc enim Cicero ex hisce Platonis verbis transtulit: ἀσκεῖται δή τὸ ἀεὶ τιμώμενον, ἀμελεῖται δὲ τὸ ἀτιμαζόμενον. Memoriæ namq; traditum est, qua cupiditate prisci heroes non solum liberalibus artibus dediti fuerint, sed etiam quam gratos & munificos erga eos, qui in illis excelluerunt, sese gesserint. Unde mirandum non est, quod illorum tempestate doctri-

1. Tuscul.

doctrina & artes ita floruerint, ut ad nos fructus tam multiplices propagati ſint. Ut enim fruges aeris temperie, liquidioreq; cœlo exuberant: haud ſecius bonæ artes eximiaq; ingenia benignitate, honorificentia, humanitateq; evocantur, contraq; invidia, ſordibus, moroſitate eorum, qui rerum potiuntur, reſtringuntur & langueſcunt. Quis enim eſt, qui, ſi præmium laborum ſuorum vel habet, vel expectat, non ad omnia alacrior & promptior reddatur? Et ut Claudianus ſcribit:

In laudibus Stilliconis paneg. 2.

— Egregios invitant præmia mores.

Miratus autem ſæpius fui noſtrorum patrum memoria munificentiam Ludovici XI. Regis Galliæ, qui ut Cominæus refert, Medico ſuo, menſtruum ſtipendium decem aureorum millia da e ſolebat, ſic ut intra quintum menſem ille ab eo ad quinquaginta quatuor millia acciperet. Nec id modo, verum etiam Epiſcopatum Ambianenſem ejus nepoti ; & munera publica largiebatur ejus propinquis & amicis. Utrum autem iſta liberalitas dici poſſit, quæ non ex libera & munifica voluntate, ſed animo metu coacto proficiſcatur, quærere poteſt, qui dubitat? Scribit enim idem autor, Regem illum ſuum medicum magnopere metuiſſe, & ad ſuos familiares de illius aſperitate nimia, ſæpe queſtum fuiſſe. Perſuaſerat autem Regi, ſe ipſius opera carere non poſſe, & poſt ſuum diſceſſum, ſi dimitteretur, eum ſuperſtitem diu non manſurum. De Carolo IX. Rege Galliæ quoq; legimus in ejus vitæ ſynopſi è libris Gallicis excerptæ, quod erga omne hominum genus, inprimis erga Albertum Tudium inſtitoris Lugdunenſis filium, liberaliſſimus fuerit, eumque, quibus ille optavit rebus, auxerit, ita ut conſtet, poſt ſummos honores in eum collatos, uno quinquennio ſexcentis aureorum millib. à Rege donatum eſſe. Verum cum nihil ibi additum ſit, qua in re ille excelluerit, niſi quod Rex ab eo nomen Dei didicerit jurare: ignoro, an iſta liberalitas noſtræ meditationi conveniat: Et non potius prodigalitas dicenda ſit. Veterum igitur liberalitas longe ſuperat has, quas modo retulimus. Præ cæteris autem Alexander Magnus munificentiſſ. fuit erga doctos. Memoriæ enim proditum eſt, eum Ariſtoteli, pro deſcribendis naturis animalium, ſubminiſtratis omnibus ſumptibus, præmium laboris dediſſe, octingenta talenta, hoc eſt ſecundum quorundam computationem, coronatorum aureorum millia quadringenta octoginta: Xenocrati Philoſopho quinquaginta per legatos talenta, aureorum videlicet millia triginta miſiſſe. Sed illo recuſante, quod tanta pecunia non ſibi diceret opus eſſe, legatis reverſis, Quid, inquit, nullos ne habet amicos quibus benefaciat? Traditum etiam eſt ab hiſtoricis, Theombrotum Medicum, quem nonnulli Eriſtratum nominant, Antiochum Regem talentis centum ſanaſſe: Apellem pictorem, ſed literarum peritum, eundem Alexandrum Regem viginti auri talen-

talentis pinxisse, quanti hodie Comitatus non mediocris emi posset. Singula enim talenta auri non minus senis millibus septingentis & quinquaginta Solatis Gallicis valuerunt. Apud Servium legimus, Virgilium poëtam tres suos libros Æneidos Augusto recitasse, II. IV. & VI. Sed sextum maximè ob Octaviam Augusti sororem, Marcelli matrem, quem Marcellum sibi Augustus adoptaverat: qui periit anno XVIII. suæ ætatis, morbo correptus. Hæc igitur Octavia quum recitationi interesset, & Virgilius ad carmina illa venisset, circa finem VI. libri, quibus Marcelli luctum describit, defecisse animo illa dicitur, quum ad illud ventum est:

Heu miserande puer, si qua fata aspera rumpas.
Tu Marcellus eris.

Ægrè autem refocillata Octavia, silentium Virgilio imperasse dicitur, & dena sestertia pro singulis versibus dari jussisse, qui numero sunt unus & viginti. Quod si verum est, Virgilius paucis versibus supra quinque millia aureorum meruit. Imitata autem est fortasse Octavia Cretenses, qui Homerum mille numismatis ob egregium suum poema donarant, idque columnæ, publico in loco incidendum curarant. Porro, ut memorabile relatum est, Chœrilum poëtam singulorum versuum singulos stateres aureos accepisse. Sic prædicatur Lysander, quod poetæ Antilocho, ob pauculos versus pileum argento impleverit. Eodem modo deinceps Severus Cæsar Oppiano (qui piscium genera, naturam, & quo pacto capiendi sint, numeris descripsit) pro singulis versibus sui poematis singulos aureos numerari jussit, illaque sua munificentia tantam hominibus excitavit admirationem, ut Oppiani carmina ad hodiernum diem à plerisque aurea nominentur. Compertum præterea est Manilium Cornutum ditissimum hominem, provinciæ Aquitaniæ legatum, quum mentagra fœdissima corriperetur, & sanitati esset restitutus, persolvisse Medico honorarii loco ducenta sestertia, quæ summa est nostrorum aureorum 4000. Verum omissis priscis exemplis ad recentiora redeamus. Majorum nostrorum tempore Thadæus Florentinus Medicus, in tanta fuit autoritate, ut extra urbem proficiscenti sæpe in singulos dies numerarentur 50. coronati, & vocatus ad Papam Honorium quartum, ab eo habuerit centum. Quapropter toto tempore, quo valetudinis ipsius curam gessit, collegit decem millia coronatorum. Narratur quoque de Petro Apponensi Medico Patavino, quod nunquam vocatus valetudinis curandæ gratia ad ægros, extra urbem Bononiensem prodierit, nisi constituto stipendio dietim 50. coronat. Quum ad Pontificem Honorium aliquando ægrotantem accerseretur, pactum prius esse singulis diebus salarii loco quadringentos coronatos. Similem felicitatem & munificentiam prudentia & industria sua olim consecutus est Erasistratus Medi-

cus, ut à Plutarcho & Appiano refertur. Quum enim Antiochus Stratonices novercæ incredibili amore flagraret, tabe conficiebatur, ac jam moriturus videbatur, niſi Eraſiſtratus, Ariſtotelis ex filia nepos, amoris vim ex ipſo pulſu judicaſſet. Patri Seleuco refert actum eſſe de vita filii. Tum Seleucus. Quid ita? Meam inquit Eraſiſtratus, uxorem deperit. An ego, inquit Seleucus, tam male de te meritus ſum, ut adoleſcentis amori non indulgeas? Tum ille: Tunc quidem amori alterius inſervires: Utinam, inquit Seleucus, dii ſuum amorem in chariſſimam Stratonicen converterent. Hic Eraſiſtratus: Ergo pater idem & Medicus eſſe potes. Itaque Seleucus Antiocho novercam deſpondit. Eraſiſtratus vero donatus eſt ſexaginta millibus aureorum. Etſi autem Bodinus hanc hiſtoriam jucundam & memorabilem potius ad caput amoris, quia huic rei cauſam præbuit ſumma vis amoris, referendam putat: tamen ex ea quoque apparet, quam immenſa liberalitas fuerit olim Regum erga doctos & prudentes viros, ideoque & eam huic noſtræ meditationi inſerere volui. Tale itaque nobilis ille commentator in Tacitum, præceptum dat, Claros viros & optime de ſe & Republ. meritos, nunquam princeps debitis honoribus fraudet: periculoſum eſt enim viris bonis occaſionem dare innovandi: quæ haud dubie datur, quum meriti honores eis adimuntur. Memorabilis eſt poſtremo inſcriptio in marmoribus, quæ teſte Marliano, in ſua topographia antiquæ Romæ, prope turrim militiarum ſupra forum Trajani effoſſa ſunt, talis videlicet:

POTENTISSIMA DOS IN PRINCIPE LIBERALITAS ET CLEMENTIA.

CAPUT V.

De ſecuritate agricolarum, & nonnulla de diſciplina militari.



QUanta olim fuerit cura & ſolicitudo Magiſtratus, ut agricolæ ab omni vi & injuria, tam in pace, quam in bello tuti eſſent; ex multis legibus & conſtitutionibus abunde patet. Non enim ignorarunt, quantum Reipubl. interſit, ut annonæ diligentiſſ. ratio habeatur. Etenim quemadmodum natus infans ſine nutricis lacte non poteſt ali: neque ad vitæ creſcentis gradus perduci: Sic civitas ſine agris & eorum fructibus in mœnibus affluentibus non poteſt creſcere, nec ſine abundantia cibi, frequentiam habere populumque ſine copia tueri.

tueri. Hoc quoque Ciceroni non fuit ignotum, ubi dicit: Omnium rerum ex quibus aliquid acquiritur, nihil eſt agricultura melius, nil uberius, nil dulcius, nil libero homine dignius. Et M. Cato commemorat, veteres quum bonum virum laudarent, ita laudare ſolitos bonum agricolam bonumque colonum. Hinc cenſoria nota affectos illos fuiſſe conſtat, qui malè agrum colerent, aut contemnerent. Et ideo petitæ ædilitatis repulſam paſſus fertur Scipio Naſica, quod adoleſcentulum competitorem, cui erant ruſtico opere duratæ manus, quaſi illudens interrogaſſet, numquid manibus incederet. Hoc ipſum animadverterunt etiã Romani, quum alveos à ſingulis regionibus Ægypti ære publico in Nilum ducendos curarent, quibus frumenti ingens vis Alexandriam, ac demum Romam conveheretur; incredibilique ſumptu alveos ſervari mandarent, ea lege, ut ſi quis aggeres Nili, qui erant alveorum ripæ, rupiſſet, capite plecteretur. De qua re ſtudioſus lector plura reperiet in Hieronymi Maggi Miſcellaneis. Similes leges habent hodie Phryſii, Holandi & Selandi ob artificiales aggeres, propter publicam ſecuritatem, quibus impetus irati & tumidi maris magna aſſiduitate & diligenti cura, ingentique labore & ſumptu, ingruentibus tempeſtatibus coercetur. Verumenimvero, ut hæc meditatio non ad decantandas laudes agriculturæ inſtituta eſt: ita ea potiſſimum, quæ ad ſecuritatem agricolarum ordinata ſunt, perſequamur. Inter alia autem extat egregia conſtitutio Friderici II. inſerta Uſibus feudorum, De ſtatuis & conſuetud. contra libertatem Eccleſ. quæ conſpicitur etiam in Codice Juſtiniani ſub tit. quæ res pignor. obligar. poſſ. cujus hæc ſunt verba: Agri cultores & circa ruſticitatem occupati, dum villis inſident, & agros colunt, ſecuri ſint, quacunque parte terrarum, ita ut nullus inveniatur tam audax, qui perſonas vel boves, agrorum inſtrumenta, aut ſi quid aliud ſit, quod ad operam ruſticalem pertinet, invadere, capere, aut violenter auferre præſumat. Si quis autem hujuſmodi ſtatutum auſu temerario violare præſumſerit: in quadruplum ablata reſtituat, infamiam ipſo jure incurrat, imperiali animadverſione nihilominus puniendus, &c. Reliqua quoque privilegia & immunitates, quæ agricolis propter publicam utilitatem conceſſæ ſunt, diligenter collegit Franciſcus de Sanctonazario à Ripa. Extant præterea hac de re conſtitutiones Imperii, quæ Anno 1548. in comitiis Auguſtanis, & Anno 1570. in comitiis Spirenſibus, nec non & in politicis ſanctionibus Francofurtenſibus, Anno 1577. promulgatæ ſunt. Eodem modo exteris gentibus incolumitas & ſecuritas agricolarum magnopere curæ fuit. Cyrus enim magnus quum bella gereret, præconium fieri juſſit, ut parceretur agricolis, & ſic vincere, ut poſſeſſores manerent in ſuis poſſeſſionibus. Id teſtatur quoque Xerxes potentiſſimus Perſarum Rex, quum in expeditione contra Græcos eſſet. Nam armatis viris, inquit ad Artabanum,

Lib. 1. Offic.

In proœmio de re ruſtica

Lib. 1. c. 10.

In tractatu de peſte Verſ. ſed ſuper n. 181. cum ſequentibus.

num, apud Herodotum, non paſtoribus inferemus bellum. Et Arrianus in ſuo libro rerum Indicarum aſſerit, Nefas fuiſſe apud Indos agricolas in bello capere, aut agrum eorum vaſtare. Reliqui, inquit, bellum inter ſe gerunt, ſeſeque mutuò interficiunt: ipſi juxta eos tranquille aut arationi, aut vindemiæ, vel frondationi, vel meſſi vacant. Id à Strabone quoque in ſua Geographia confirmatur. Secundum inquit, genus apud Indos eſt agricolarum, qui plurimi ſunt & probiſſimi. Hi ob immunitatem à malitia, & ſecuram opus faciendi licentiam, neque urbem neque publicum negocium, nec aliud ullum munus attingunt. Quamobrem eodem tempore, & eodem loco alii pugnant, & cum hoſte pedem conferunt, alii arant vel fodiunt, ſine omni periculo, cum illos propugnatores habeant. Sic quoq; olim Ægyptus, teſte Diodoro & Iſocrate in tria genera hominum diviſa fuit: In ſacerdotes; in opifices, in quibus agricolæ comprehenſi fuere; & in milites. Hæc priſca ſecuritas data etiam fuit agricolis, ſicut ex oculatis teſtibus audire memini, in bello illo diuturno, quod noſtro ſeculo inter Cæſarem Carolum V. & Franciſcum I. Galliarum Regem geſtum eſt, quum uterque in Pedemontio numeroſum exercitum, annum unum atque alterum, continuo inter ſe belligerantes, alerent. Alioqui milites maturè commeatus, obſeſſis & impeditis itineribus, defeciſſet. Idque confirmatur in vita Ferdinandi Gonzagæ Principis Melfetani, quæ diligenter & eruditè deſcripta & edita eſt Italica lingua, à Juliano Goſellini; qui liber ſane eſt propter multas res memorabiles & conſilia prudenter explicata, quæ alibi non reperiuntur, utiliſſimus. Hoc etiam Beliſarius inter Juſtiniani Imperatoris duces præſtantiſſimus, animadvertit. Ita enim poſt Suidam de eo ſcribit L. Aretinus; Ruſticorum tantam curam habuit, ut in ducendo exercitu neminem eorum, violari, nemini inferri damna pateretur, ne poma quidem in arboribus pendentia milites ſuj attingere audebant. Hac ille ſecuritate diſciplinæ conſequebatur, ut caſtra ejus abundantiora eſſent, quam ullum in urbe forum, ita libera & ſecura erat rerum venalium importatio. Idem fecit Totilas Rex, dum contra eundem Beliſarium bellum in Italia gereret. Agrorum enim cultoribus, teſte Procopio, per omnem Italiam mali nil quicquam intulit, ſed terram ut intrepidè colerent, nil ſeciùs, ut antea, imperavit; ſibique & Reipublicæ tributa dependerent, & fructus dominis reportarent. Sed quid nunc in pleriſque expeditionibus bellicis fiat, notius eſt, quam ut longiorem narrationem requirat. Quotus enim quiſque ex noſtris militibus eſt, qui (uti nunc bella geruntur) non infamiam & imperialem animadverſionem incurreret? Siquidem plerique inter tot millia reperiuntur, qui abſque ullo diſcrimine tam amicos quam hoſtes impunè deprædantur; qua in parte Helvetii adhuc, in retinenda diſciplina militari, noſtratibus militibus mercenariis longè

Lib. 15.

Fol. 151.

De bello contra Gothos in princip. lib. 3.

Li 3. de bello Gothorum.

longè excellunt. Mirum itaque non est, quod nostræ expeditiones plerunque tam infelices: econtra illorum apud quos adhuc viget disciplina & ordo militaris, faustæ & prosperæ sint. Exercitus enim, ut Nicephorus Gregoras ait, quem injuria & audacia antecedit, plerumque cladem & interitum ominatur, & priusquam hostes irruant, ipsi sua timiditate evertuntur, ipsique sibi hostes sunt, divina vindicta eum exitum decernente, quem facta illorum meruerunt. Neque enim probabile erat, rem bene gesturos esse eos qui lachrymas & execrationes pro viatico secum abstulissent. Rectiss. igitur Hesiodus & Homerus instrumentum rei rusticæ & agricolarum magis probaverunt, quam bellatorum ac rei bellicæ. Illud enim mortalibus vitam ac felicitatem pollicetur: hoc autem mortem & miseriam. Id designare voluerunt Reges Benomotapæ, Æthiopiæ ultra promontorium Bonæ spei, quæ Australi terminatur Oceano, ante adventum Lusitanorum, potentissimi. Ii enim, ut Hieron. Osorius memoriæ tradidit, majestatis regiæ duo insignia gestare solent, parvum videlicet ligonem cum eburneo manubrio: & jacula duo. Ligone subditos ad terræ culturam adhortantur, ne propter ignaviam atque desidiam terram deserant, & fame coacti latrocinentur. Uno vero jaculo significare volunt, se scelerum vindices futuros: altero se vim externam ab hostibus armis atque virtute repressuros. Sanè Turci, apud quos hactenus viguit ordo & disciplina militaris (quod unicum ferè invictos illos tamdiu præstitit, eaque inter Christianos milites propemodum extincta est, ut in elegantiss. libello Uberti Folietæ de magnitudin. & incrementi. Imperii Turc. perspicuè videre licet, hancque dissolutionem disciplinæ militaris Lactantius inter signa præcedentia ultimum judicium recenset) Turci inquam, quando non in hostico eorum exercitus, qui solet plerunque esse immensus, procedit, non solum accuratè cavent, ne consitis agris hortisve damnum inferatur: verumetiam, vel incautiores vel contumaciores severissimè puniunt. De qua re habemus memorabile exemplum apud Bartholomæum Georgevitzium, qui, utpote αὐτόπτης, ita scribit: Tanta severitas disciplinæ est in bello, ut nemo militum ausit aliquid injustè rapere, alioquin absque ulla commiseratione puniretur. Habentur enim inter eos ordinarii custodes, sive defensores earum rerum, quæ in via militibus obviam per pueros octo vel decem annorum, venales portantur, panes, ova, fructus, avena & similia. Tenentur sic quoque defendere dicti præfecti, hortos fructuum, circa viam sitos, ut nec ipsi audeant unum pomum, vel hujusmodi simile sine licentia possidentis carpere, alioquin & tales capitis pœnam luerent. Quum essem, inquit, in exercitu Turcæ in expeditione contra Persas, vidi Tspahiam una cum equo & ministro decollari, quod solutus equus arva cujusdam ingressus fuerat. Idipsum asseverat Melchior

Lib. 1. de reb. India.

In epitome divin inst. cap. 8.

De Turcorum morib.

Scidlizius nobilis & vir militaris, in ſuæ peregrinationis hiſtoria, ubi dicit, ſe, quum induſtria Gallici legati, cum ſuis ſociis, ex Turcica ſervitute duriſſima, liberatus fuiſſet, vidiſſe in caſtris Turcici Imperatoris, quæ aliquot milliaria, & in his nonnullos pagos complectebantur, tantam diſciplinam, modeſtiam & ſecuritatem, ut in illis pagis, omnes fructus, gallinæ & aliæ aves cicures, ova quoque atque reliqua colonorum ſubſtantia univerſa, penitus intacta manſerit. Quare ibidem noſtrorum militum diſſolutionem, rapacitatem, & licentiam graviter deteſtatur. Huc referre non incommodè licet, (non in contumeliam Germanicæ gentis, virtute & rei militaris experientia nulli ſecundæ, ſed ut rectius cognoſcatur ſuperbia & faſtus barbaricus Turcorum) ea quæ Aventinus memoriæ tradidit. Rhodienſes, inquit, aliquando ad Imperatorem Fridericum III. & Principes Electores perſcripſere, Turcicum Imperatorem; quum conſiliarii & duces ei autores eſſent, ne Chriſtianos, inprimis vero Germanos armis laceſſeret; eis reſpondiſſe, Se nequaquam Chriſtianorum, inprimis vero Germanorum, arma exhorreſcere, & quidem quatuor de cauſis: quia ſint diſcordes, & quemadmodum quinque ſui digiti, nunquam in unum coaleſcant: quia laborum ſint impatientes, & præ aliis Germani ſint helluones, potatores, in caſtris ſcortorum turbam foveant, duceſque belli plumis potius quam armis militaribus gaudeant: quod temere, cœco impetu, circa ordinem ad res gerendas ruant: quod legum & juſtitiæ ſint negligentes, nullos virtutum præmiis ornent, nec etiam meritis pœnis ſcelera afficiant, quodque erga eos, qui veniam & miſericordiam mereantur, ſint aſperi & crudeles, contra eos, in quos ſeverè animadvertendum erat, lenes & miſericordes, &c. Hæc & ſimilia, (ſicut hoſtes plerunque maligni obtrectatores & acutiores cenſores & accuſatores aliorum quam propriorum vitiorum eſſe ſolent,) acerbè objicit Chriſtianis, & latiſſ. proſequitur Aſſanus Baſſa Turcus, Ahenobardi filius in ſua militari oratione apud Ubertum Folietam, ubi ſuadet & perſuadet, prælium cum claſſe confœderatorum Chriſtianorum committendum eſſe, in quo deleta propemodum univerſa claſſe Turcica, apparuit, ut idem Folieta ait; Turcarum opes ſuperabiles eſſe, neque tam ſuis ipſos viribus, quam noſtra ignavia, Chriſtiano orbi terribiles eſſe, dum nos armis, quæ in communem hoſtem vertenda eſſent, ad noſmetipſos mutuis cladibus conficiendos abutimur, illique aſſiduis damnis nos carpendo, majores vires majuſque robur indies aſſumunt. Sed ne à propoſito longius diſcedamus: Diſciplinæ militaris vim indicat etiam Franciſcus Patricius. Omnis vis copiarum, inquit, conſiſtit aut in militum diſciplina, aut numero, aut robore. Nec non & Poliphilus in ſua hypnerotomachia, hieroglyphicas figuras, virum videlicet cogitabundum, cum hinc inde collocatis

De rebus Turcicis.

De ſacro fœdere lib. 5.

Dialog. 6. de hiſt.

catis militaribus armis sedentem, & serpentem manu tenentem, supra quem aquila expansis alis insistens anchoræ, ita interpretatur: Militaris prudentia seu disciplina, imperii est tenacissimum vinculum. Hoc non ignoravit Simon Vignosius Ligur, & Genuensis classis præfectus. Quum enim ut idem Ubertus Folieta scribit, urbe Chio potitus, ingressum in civium prædia militibus edicto interdixisset: unicus filius, paterna indulgentia sese adversus edicti severitatem satis munitum ratus, cujusdam civis fundum temere, ac per lasciviam ingressus, nonnullis uvæ racemis asportatis, comprehensus, racemisque collo ad majorem ignominiæ notam suspensis palam virgis cæsus, tota urbe jussu parentis circumductus est memorabili rigidi atque invicti animi exemplo, omnemque paternum sensum in ducum imperiis, militarique disciplina & obedientia sancienda superantis. Memorabilis est igitur epistola militaris D. Aureliani ad suum vicarium, ut à Flavio Vopisco recensetur. Si vis tribunus esse, imo si vis vivere: manus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat, ovem nemo contingat, uvam nullus auferat, segetem nemo deterat, oleum, sal, lignum nemo exigat, annona sua contentus sit. De præda hostis, non de lachrymis provincialium habeat: arma tersa sint: ferramenta samiata, calceamenta fortia. Vestis nova vestem veterem excludat. Stipendium in balthco, non in popina habeat. Torquem brachialem & annulum apponat: equum saginarium suum defricet, captum animal non vendat, mulum centuriatum comiter curet. Alter alteri quasi servus obsequatur, à medicis gratis curentur. Aruspicibus nihil dent: in hospitiis castè se agant: qui litem fecerit, vapulet.

In elogiis.

In vita Aureli.

Caput VI.

De feudis, quæ dicuntur Ligia, pulchra quædam.

De feudis Ligiis multa passim à Jurisconsultis traduntur, neque eorum sententiæ sunt pares. In hoc autem conveniunt, nomen istud tribui feudis Ligiis, eo quod plus ligent vasallum, quam alia feuda. Communior quoque est sententia, ad feudum Ligium tria necessario requiri: primo ut vasallus juret fidelitatem nullius alterius fidelitate reservata. Secundo, ut expressè dicatur in instrumento investituræ, quod sit feudum Ligium. Tertio, quod vasallus principaliter personam suam, & in consequentiam etiam bona non feudalia subjiciat

ciat poteſtati domini. Ut autem de his plura hoc loco referre mei propoſiti non eſt: ita ad declarationem feudi Ligii valdè conducibile, ut Plautino verbo utar, eſſe puto, quod Jovianus Pontanus autor gravis & fide dignus refert, cujus verba, ut res liquidior fiat, & juramentum hominis Ligii rectius cognoſcatur, adſcribenda duxi. Urſus inquit, Neapolim ad regem profectus juravit de more Neapolitanorum Regum in ejus verba. Ritus vero jurandi verborumque hujuſmodi eſt formula: Sedet Rex medius, regia in ſella editiore loco conſtituta: aſſident juxta primi ordinis optimates ac proceres: ſtant inde purpuratorum frequentes ordines loco quiſque ſuo: Regis ad pedes genibus innitens à dextra procumbit parte Epiſtolarum Magiſter, qui nunc Secretarius dicitur; ſiniſtra Antiſtes Evangeliorum libros regio in ſinu aſtratos tenens. Horum medius genibus & ipſe ille innixus, procumbit, qui in verba jurat, utraque manu libris adapertis impoſita. Ibi Magiſter epiſtolarum verba præit, quæ juraturus in verba ſequitur. Igitur poſteaquam Urſus regios ad pedes provolutus, palmam in codice utramque expanſam ſtatuit, tum Magiſter verba præire cœpit, Urſuſque ea eſt ſecutus: Urſus ego Urſinus Nolæ & Atripaldi Comes, Aſculi, Lauri, & Fiorini dominus, illorumque agrorum & finium, civium ac popularium; tibi Ferdinando Regi liberiſque ſucceſſoribuſque in Regno Neapolitano tuis polliceor, promitto, ſpondeo pro liberis ſucceſſoribuſque in hiſce item urbibus, oppidis, agris, finibuſque meis; fidelem meque illoſque utique futuros; tuiſque illorumque imperiis ubique meque illoſque parituros, atque imperata facturos, cum hiſce urbibus, oppidis, agris, finibus, popularibuſque, perpetua cum conſtantia & fide. Si quid vero adverſus teve illoſve parari fraudis, dolive, inſidiarumve audiero, ſciero, compertumve ſignificatumve habuero: indicaturum illud è veſtigio, ac facturum palam tibique illiſque; officia demum obiturum meque illoſque omnia domi foriſque, pace belloque, adverſum quoſcunque ac pro imperio, quæ probi ac fidelis ſubjecti jure, lege, natura, obeunda ac præſtanda ſunt Regi: Deumque his Opt. Max. teſtemque invoco, perque ſacroſancta hæc Evangelia ſciens, volens, libenſque verbis conceptis juro. Atque his dictis, manus ipſe è libris ſuſtulit. Tum Rex Urſi manus utriuſque digitis pollicibus apprehenſis, ſuoſque intra pollices iis inſertis, devinxit illos ſuis, ſtatuitque ſuper Evangelia. Hic rurſum Urſus, Magiſtro præeunte verba, Ego me, inquit, cum liberis, ſucceſſoribuſque meis Ferdinandi Regis mei, domini mei, liberorum ac ſucceſſorum ejus Ligium hominem ſtatuo, dedicoque, cumque me hic ſiſto. Hæc ubi ter dixit, regios oſculatus eſt pollices, Rexque ore ſuo illius os excepit, moxque comiter appellatum dimiſit. Hic eſt uſitatus jurandi mos, in verba Regum Neapolitanorum: quique Ligios illorum ſe faciunt, ipſum hunc

Lib. 1. de rebus geſtis regis Ferdin. Alph. F.

Iuramentū fidelitatis.

Iuramentū Ligium.

hunc ſervant. Dicti inde Ligij, quod Ligatis Reges pollicibus, illos fidei imperijsque ſic ſuis vinciant, atque obnoxios ſtatuant, &c. Non abſimilis implicatio dexterarum & pollicum olim quoque inter Reges uſitata fuit, quando fœdera arctiſſ. inter ſe ſtatuerunt. De qua re habemus exemplum apud Corn. Tacitum. Mos, inquit, eſt regibus, quoties in ſocietatem coëunt, implicare dextras, pollicesque inter ſe vincire, nodoque præſtringere. Mox ubi ſanguis in artus extremos ſe effuderit, levi ictu cruorem eliciunt, atque invicem lambunt. Id fœdus arcanum habetur, quaſi mutuo cruore ſacratum. Hoc quoque apud Scythas uſitatum fuiſſe, apparet ex Luciano, in dialogo ſuo, cujus Titulus eſt, Toxatis ſive amicitia, ubi eorum fœdus ac jusjurandum, quod maximum appellat, recenſetur. Etenim, inquit Scytha ille Lucianicus, ſimul atque inciſis digitis ſanguinem in calicem deſtillaverimus, ſummiſque intinctis gladijs, ambo pariter admoventes biberimus, non eſt quicquam quod deinde nos queat dirimere. Huc quoque Solinus Polihyſtor ſpectaſſe videtur, ubi de Scythis ita ſcribit: Hauſtu mutui ſanguinis fœdus ſanciunt, non ſua tantum, ſed Medorum quoque uſurpata diſciplina. Simile quiddam tribuit Poſidonius apud Athenæum Germanis. Ferunt, inquit, hos in ſympoſijs benigne complexos, venas in fronte abſcindere, & ſanguinem defluentem in poculo miſcentes bibere, ſummum amicitiæ terminum attigiſſe exiſtimantes, quum ſanguinem viciſſim inter ſe deguſtarint. Hoc ritu uſus eſt Radamiſtus Pharaſmanis Iberiæ Regis filius (quæ regio hodie Georgiana appellatur) ad decipiendum Mithridatem Armeniæ Regem avunculum ſuum. Nam quum vi & miris inſidijs nil profeciſſet, rem cum avunculo componere ſimulavit, atque data fide eum ad colloquium traxit. Ibi quum illius gentis more amborum pollices colligandi eſſent, & hauſtum ex eis ſanguinem utrumque guſtare oporteret; is cui venciendi munus erat injunctum, fingens ad terram funes concidiſſe, illis Mithridatis pedes implicuit, atque ita eum cum uxore & liberis cepit. Et quoniam neque ferro, neque veneno eos ſe læſurum promiſerat, culcitris oppreſſos præcluſa anima enecavit, arbitratus hujus rei obſervantia, quod neque ferro neque veneno eos necaſſet, perfidiæ ſuæ crimen latere, ſicut Baptiſta Fulgoſius refert, & hanc cum alijs multis hiſtorijs egregijs ex eo recenſet Andreas Eborenſis ſuis memorabilibus exemplis de proditione. In Palmaria inſula, ſicut recenſent peregrinatores, quum novos hoſpites in amicitiæ fœdus ſuſcipiunt, ſibiipſis novacula, vel gladio lapideo, ſanguinem ex lingua, manu aut lacerto, aliave corporis parte inſpectante hoſpite eliciunt, non veram amicitiam interpretantes, quæ pro amico vitam profundere renuit. Hunc ritum Sathanas, cum Magis fœdus initurus, ſervare ſolet. Eos enim cogit proprio ſanguine formulam obligationis mutuæ conſcribere, ſicut à Bodino ali-

Lib. 12. annalium.

Cap. 20.

Lib. 2. c. 2. dipnoſoph.

Lib. 9.

H

multos duces Nigri, æmuli imperij, per filios ad prodendas ejus res impulerit, dein postquam eorum opera abusus esset, suaq; omnia ex sententia composuisset, ipsos liberosque necaverit. Memorabilis insuper est Epistola Aureliani Imp. de Heraclemone proditore patriæ suæ, quam ex Flavio Vopisco huc describendam duxi. Lib. 1.

Aurelianus Augustus Mallio Chiloni S.



Ccidi passus sum, cujus quasi beneficio Thyanam recepi. Ego vero proditorem amare non potui, & libenter tuli, quod eum milites occiderunt, neque enim mihi fidem servare potuisset, qui patriæ non pepercit, &c. Sic Maximinus Imper. Macedonio, qui Tycum æmulum imperij occiderat, primo gratias egit, postea ut proditorem odio habuit & occidit, ut Herodianus & Julius Capitolinus, in ejus vita, referunt. Porro non omittendum est Brenni Galliæ Regis factum. Is enim vastando Asiam cum Ephesum pervenisset, ibi castrametatus, præfinitum pugnæ diem expectabat. Interea plebeia quædam virgo, nomine Dæmonice, amore barbari capta prodituram se ipsi Ephesum promisit, si torques & monilia pro mercede darentur. Ad hanc Brennus in certo loco susceptam subditos duxit, & quicquid haberent auri, in gremium avaræ conjicerent, imperavit. Qui cum imperium exequerentur, Dæmonice, præ auri in se conjecti multitudine, & gravitate, vivens est obruta. Similem historiam apud Livium de Sp. Tarpeji Romani filia habemus, cum Sabinis urbem prodidisset Idem præmium proditionis, ut Aventinus refert, consecuta est Rhomylda Sigulphi principis uxor. Ea enim quum occiso marito à Cacano Rege Venetorum in Foro Julij obsideretur, capta amore ejus pacta est nuptias, urbem prodidit. Hostes urbem incendunt, infantes, impuberes & mulieres captivos in Pannoniam superiorem abducunt, viros trucidant. Rhomylda quoque cum liberis abacta est. Non amplius una nocte Regis Avarum potita est. In campo eam Cacanus palo confixit. Quæ patriam, liberos, conjugem prodidit, haud alio, inquit, digna est marito. Ejus duæ filiæ Appa & Gela, longè matri dissimiles, pudicitiæ consuluere crudæ carnis fœtore, quæ fascia pectorali mamillas cohibente, à virginibus ob castitatem servandam posita, calore computruerat. Barbari natura fœtere ita Longobardorum mulieres opinati, intactas reliquere. Eodem modo Julianus Comes Spartariorum Gothus, dignam mercedem suæ nimiæ & intempestivæ vindictæ quum patriam & gentem suam Sarracenis prodidisset, tulit. Is enim quum ipsius opera Rodericus ultimus Rex Gothorum, ut Santius in historia Hispanica recenset, postquam filiam ejus violenter oppressisset, contra Mauros pugnans occubuisset, & Gothorum exercitus deletus esset, ab ijsdem

Lib 5. ann. Boior.

Lib. 2. c. 37.

veluti proditor, indignus qui viviveret, trucidatus eſt, de qua re in tumulo prope Viſæum civitatem Luſitaniæ, teſte Roderico Toletano, ubi clades illa prolixe deſcribitur, talis extat inſcriptio.

Derob. Hiſt. l. 4. c. 19.

HIC IACET RODERICUS ULTIMUS REX GOTHORUM. MALEDICTUS FUROR IMPIUS JULIANI QVIA PERTINAX, ET INDIGNATIO QVIA DURA. VESANUS FURIA. ANIMOSUS INDIGNATIONE. IMPETUOSUS FURORE. OBLITUS FIDELITATIS, IMMEMOR RELIGIONIS. CONTEMPTOR DIVINITATIS. CRUDELIS IN SE. HOMICIDA IN DOMINUM. HOSTIS IN DOMESTICOS. VASTATOR IN PATRIAM. REUS IN OMNES. MEMORIA EIUS IN OMNI ORE AMARESCET ET NOMEN EIUS IN ÆTERNUM PUTRESCET.

De hujus Juliani mercede, digna ſua ſcelerata proditione, Nunius Pincianus, ſicut à Joanne Vaſæo in Hiſpaniæ Chronico citatur, paulo aliter ſcribit, uxorem videlicet ejus à Barbaris proditionem laudantibus, ſed non proditorem, lapidibus obrutam; filium è turri Septenſi præcipitem actum; ipſum vero Julianum omnibus poſſeſſionibus exutum, miſeram mortem obijſſe in vinculis, in arce Aragonica quadam, territorij Oſcenſis.

Verum ne penitus veterum hiſtorijs inhæreamus, audiamus quoque quod tempore Caroli IV. accidiſſe ſcribit Crantzius, in ſua Saxonia. Memorabilem, inquit, per hæc tempora memorant annales rem; ſilentio non tranſeundam. Cæterum fides ſit apud autores. Carolus Imper. bellum gerebat in Philippum Auſtriæ Ducem. Comparat quiſque vires in hoſtem: agmina educuntur invicem ad congreſſum de proximo. Vidit Imperator longe hoſtem ſuperare multitudine ſuas copias, & ideo cui viribus par non erat, ingenio illum ſuperare contendit. Evocari clam jubet per amicos tres hoſtilium duces copiarum, & magno ære ex promiſſo cum illis agit, ut Duci ſuo timorem incutiant, hortenturque ad fugam:

Lib. 9. c. 17.

——*Dolus an virtus, quis in hoſte requirat.*

Illi operas pollicentur: Ad Dominum ſuum reverſi referunt, ſpeculatum abijſſe copias hoſtiles, & pro comperto habere, Imperatoris exercitum triplo eſſe ſuo majorem, certam eſſe omnibus perniciem, niſi fuga in tempore ſibi conſulant: nunc illum, quid faciat, ſecum conſtituere. Quando, inquit, in ſola fuga, ut aſſeritis, præſidium eſt, conſulamus ſaluti, expectantes rei gerendæ idonea magis tempora, non eſt indecorum nobis ceſſiſſe majori noſtro. Ergo collectis armis noctu Philippus fugit, nemine perſequente, & in ſua ſe ſecurus recipit. Tres illi viri boni, promiſſione corrupti, Ducem ſuum prodentes, ad Imperatorem revertuntur, proditionis præmium accepturi. Providerat Imper. adulterinam aureorum monetam, quæ in valore viceſimam non haberet, eam juſſit numerari. Illi alacres, tanto ære ditati, redeunt

redeunt in ſua, & jam expendere conati, repererunt eſſe falſatam monetam. Redeunt ad Imperatorem, argentarium & monetarium ejus incuſantes. Imperator torvis oculis illos reverberans: Abite, inquit, furciferi, in meritam crucem: merita proditionis præmia, niſi protinus ex oculis evaneſcatis, accepturi. Quam aliam meretur pecuniam veſtra proditio atq; perfidia? adulterinum aurum adulterino compenſetur opere, abite in malam crucem. Illi protinus confuſi, ex omnium oculis in latibula abierunt, &c. Secutus autem fortaſſis Carolus IV. (ſi modo non ficta ſunt ea, quæ ex Crantzio recenſuimus, nam & ipſemet de veritate hujus hiſtoriæ dubitare videtur) eſt oraculum Apollinis, quod Philippo Regi Macedoniæ, conſulenti, quo pacto poſſet victoria potiri, hunc in modum reſpondit:

ἀργυρέαις λόγχαισι μάχου, καὶ πάντα κρατήσεις.
Argenteis pugna telis, atque omnia vinces.

Similis hiſtoria legitur apud Paulum Æmilium, de Clodovæo, qui ſuſceptis Chriſtianis ſacris, Ludovicus appellatus eſt. Quum enim Cannacarius Cameracenſium & Attrebatenſium Regulus ob affectatum Regnum, una cum fratribus ſuis, Ludovico proditi, necatique eſſent: proditoribus, ne exemplum prodendorum Regum judicio ſanctum haberi poſſet, munera, quæ aurea dari convenerat, adulterina data ſunt. Non inconveniens etiam videtur huic meditationi fabella Æſopica de canibus & lupis. Nam quum animadverterent lupi, ſe non virtute canum, ſed multitudine ſuperari, hoc iniiſſe conſilium perhibentur. Mittunt ad canes, qui ab ijs, quorum color non diſſimilis luporum eſſet, quærerent, Cur non potius ſecum conjungerentur, quibus natura ipſos conciliaſſet, id quod coloris ſignificaret ſimilitudo? Quique illis dicerent, ſi luporum auxilio adverſus alios canes diſcrepantes colore, uti vellent, poſtea ſublatis illis & ipſos ſolos rerum potituros, & in perpetua amicitia luporum futuros eſſe. Quum res ſtultis canibus probata, & alij canes circumventi atque jugulati fuiſſent, tum ſine negocio & periculo, iſtos etiam concolores ſibi interfecerunt lupi. Quid autem (licet ad multa alia, quæ noſtro tempore in politicis & religione accidunt, accommodari poſſet) potiſſimum vult hæc fabella? quam quod proditoribus tantiſper honor paſſim habetur, dum requiritur opera illorum: at mox ijs, quæ expetuntur, perfectis, plerunque ne parcunt quidem his, neque abſtinent illi ipſi, qui eos corruperunt. Etſi autem hiſtoriæ teſtantur, hoc genus hominum multum uſurpaſſe Philippum Alexandri Magni patrem: tamen conſtat illum eos odiſſe peſſime. Itaque quodam tempore querentibus Olynthi proditoribus apud ſe, quod per contumeliam à Macedonibus proditores patriæ appellarentur, Eſt, reſpondit, illa natio incivilis &

In vita Clodovei lib. 1. de reb. geſt. Franc.

 ruſtica,

ruſtica, atque ſuis nominibus res vocare quasque ſolet. Vel, ut Plutarchus retulit, σκάφην Macedones, inquit, σκάφην nominant. Huc referri non incommode poteſt, quod noſtro tempore in Hungaria accidiſſe dicitur. Ferunt enim, quum Solymannus Turcicus Tyrannus Budam ab incolis deſertam occupaſſet, Thomam Nadaſtum ſtrenue arcem defendiſſe, contra omnes inſultus hoſtiles; ac proculdubio eam retenturum fuiſſe, niſi à ſuis militibus eſſet proditus. Nam quum illis ſeſe volentibus dedere, minime aſſentiretur, eum captum & duris vinculis ligatum Solymanno una cum arce obtulerunt, modo una cum omnibus rebus ſalvi ipſi abire poſſent. Quod etiamſi Turca primum promiſiſſet, cognita tamen tam atroci in Præfectum eorum proditione, contra fidem datam omnes trucidare juſſit. Narratur quoque memorabilis hiſtoria de quodam, cujus opera idem Turcicus Imperator in occupanda inſula Rhodo uſus fuerat. Promiſerat enim proditori illi, ſi victor evaderet, ſe illi unam ex filiabus ſuis cum magna dote in matrimonium collocaturum. Petente poſtea eo præmium proditionis promiſſum, Tyrannus adduci filiam, more regiarum puellarum gemmis & auro ornatam, eique dotem immenſam aſſignari juſſit. Quum autem ille proditor, veluti ſomnio beatus, gaudio geſtiret, mox converſus ad eum Tyrannus: Vides, inquit, me promiſſis ſtetiſſe. Verum cum tu ſis Chriſtianus: filia autem mea ſponſa tua futura, ſit origine & profeſſione Mahometana: proculdubio parum inter vos conveniet, neque mihi placet gener, niſi intra & extra cutem Muſulmanus, (Hoc nomine Turcæ denotant, orthodoxum recte credentem, & qui ſit fidelis, qui pius, qui juſtus) Non autem ſufficiet, ut verbotenus, ſicut nonnulli ex tua ſecta, dicis cauſa ſpeve lucri facere ſolent; abnegando tuum crucifixum Chriſtum, id teſteris: ſed deponenda penitus tibi tua pellis baptiſata & incircumciſa erit. His dictis mandavit ut ſuo genero deſignato, cutis detraheretur, & is deinceps in lectum ſale conſperſum collocaretur; ſicque denuo cute, eaque Mahometana corpus ejus obduceretur, tum demum ſponſa ſua illi adduceretur. Ita proditor ille ludibrio habitus, dignam mercedem ſuæ perfidiæ & proditionis accepit, nam inter intolerabiles cruciatus expiravit. Eandem mercedem dignam ſane pro meritis accepit Judæus Medicus à Selimo patre Solymanni. Quum enim præmijs & minis eum induxiſſet, ut patrem Bajazetem veneno ex contrito adamante (negantibus tamen medicis noſtratibus, hanc vim nocendi, vel interficiendi adamanti contrito ineſſe) interficeret: mox ei caput præcidi juſſit. Eadem ſiquidem, dicebat, adverſus me etiam auderet Judæus ille, ſi patrandi ſceleris occaſio, vel ſpes præmij affulgeret. Conſtat igitur proditores, & transfugas, non modo his quibus obſunt, ſed etiam illis, quibus proſunt, abominabiles ac de-

Ioannes Anton. Menavinus hiſt. Turc. lib. 2. c. 21.

ac detestabiles, & plerunque nihilo magis ei, ad quem transfugerunt, fidos esse, quam illi quem deseruerunt, ut de Aminta Macedone Q. Curtius tradit. Hæc si Alexandro Regi Epiri in mentem venissent, non tam misere nimiis fidens transfugis Lucanis, perijsset. Quum enim in Italiam à Tarentinis accitus esset, multasque Brutiorum & Lucanorum cepisset urbes, ducentos fere Lucanorum exules circa se pro fidis habebat. Verum ij suis civibus; pacto reditu in patriam, promiserunt Regem aut vivum aut mortuum se in potestatem daturos. Itaque quum Acherontem amnem incerto vado transmitteret, eum jam prope egressum, eminus voluto Lucanus exul transfigit. Lapsum inde cum inhærente telo corpus exanime detulit amnis in hostium præsidia, ubi fœda laceratio cadaveris ejus facta est. Prudens sane fuit consilium Constantini Pij Augusti. Is enim licet professione gentilis esset, tamen erga Christianos, sæviente in ipsos mirifice Galerio ejus collega, humanitatem eximiam adhibuit. Quos enim maxima apud se excellere pietate cognovit, hos ampliss. honoribus extulit. Experiendæ autem, quemadmodum Eusebius memoriæ tradidit, illorum fidei gratia quodam die optione omnibus data, hanc tulit conditionem, ut aut immolando integram potestatem præstandæ sibi operæ retinerent, aut si sacrificare abnuerent, à consuetudine congressuque suo recederent. Quum itaque alij tuendæ illius gratia sacrificaturos se dixissent; alij in pristina Christi colendi sententia permansissent: illos tanquam Dei sui proditores graviss. oratione increpuit, hos ob sinceram constantemque erga eundem voluntatem, eximie collaudavit. Atque illis amandatis, ut qui ne sibi quidem præstituri essent fidem, quam Deo fefellissent, hos regni sui custodes constituit. Similis historia legitur apud Theodorum in suis collectaneis. Theodoricus Afer Diaconum quondam habuit orthodoxum, quem præ cæteris dilexit & fovit. Hic Diaconus hoc pacto Theodorico se gratificaturum est ratus, si relicta homousiana fide cum Arrianis consentiret. Cognito hoc Theodoricus, quem tantopere dilexerat, confestim capite truncari jussit, dicendo; Si Deo fidem non servasti, quomodo homini sinceram conscientiam servabis? Eodem modo decipiuntur ij, qui insigni aliquo facinore, ambitione nimia & falsæ gloriæ cupiditate instigati, immortale nomen sibi acquirere cupiunt. Memoriæ enim proditum est, olim Herostratum alioquin obscurum hominem Dianæ Ephesiæ templum toto orbe celeberrimum industria concremasse, idque nulla alia de causa, quam ut scelere aliquo atrociss. quia virtute non posset, sibi nomen compararet. Verum aliter accidit. Nam lege cautum fuit, ad illius memoriam abolendam, ne deinceps quis ejus nomen in annalibus aut historijs referret, & ob hanc causam nomen ejus pene abolitum rarissime invenitur.

Lib. 4. de rebus Alex. Magni.

Lib. 1. ex. de vita Constantini.

Lib. 2.

Hoc

Hoc imitati ſunt Veneti, qui poſt Tepulanam conjurationem, decreto caverunt, ne quis Biamontis, aut cujuſpiam conjuratorum ſigna, in albo aliave materia referret. In hoc propoſito etiam manſerunt, poſtquam Phalerius Dux eorum, ob conjurationem in patriam, ſupplicio affectus eſſet: Quum enim omnium Ducum imagines ab initio urbis ad hæc tempora, in comitio referantur; ne Marini Phalerij pernicioſi principis imago, in tanta majeſtate Ducum conſpiceretur; thronum vacuum, nigro velo opertum figurare voluerunt. Animadverterunt enim eos, qui de Repub. male meriti eſſent, nullo majori ſupplicio affici poſſe, quam ſi eorum nomen, una cum perpetuo ſilentio, occulto premeretur odio. Siquidem delicta „ ea impunita non manent, quæ omnibus tacite inviſa ſunt, & odioſa. Nec e- „ nim ullum ſupplicium gravius eſt publico odio. Quare præſtat nomen vi- „ ri probi & honeſti memoriæ prorſus eximi; quum male & incommode po- „ ſteris innoteſcere.

Caput VIII.

Minima quæque interdum maximum auxilium contra hoſtes præbere.



FUROR arma miniſtrat, canit poeta. Hoc ſane ita eſſe experientia cum olim, tum noſtra tempeſtate, urgente neceſſitate, contra hoſtiles inſultus ſæpenumero docuit. Conſtat enim ea, quæ homines alioquin raro, & non ſine periculo attingere ſoliti ſunt, neque ſine noxa loco moveri queunt, ſed emolumenti, aliave de cauſa, in alios uſus aſſervantur; telorum uſum & inopinatum auxilium, contra improviſam irruptionem hoſtium præbuiſſe. Hoc memorabili hiſtoria autor gravis Jovianus Pontanus teſtatur. Memoriæ enim tradit, quum Rex Vicarum oppidum occupare conſtituiſſet, primoque impetu vallo eruto, foſſam tranſgreſſi milites, alij muros miſſilibus oppugnare, alij ſcalas applicare cœpiſſent: oppidanos quanquam repentino Regis adventu perculſos, nihilo tamen ſegnius armatos ſubito in muro apparuiſſe, ac tranſilire conantes lapidibus repuliſſe. Quum autem Regij acrius inſtarent, nec à muro repelli poſſent, complura apum alvearia, quæ forte paulo ante ex agris metu hoſtium intra caſtellum congeſſerant, in muros arrepta in hoſtes devolverunt, quorum fragore irritatæ apes, quum circumvolarent, non ſolum os, atque oculos oppugnantium inceſſe-

Lib. 7. de geſtis Regis Alphonſi I.

ceſſebant, verum etiam ſeſe armis & interioribus tunicis inſerentes, eos majore quadam moleſtia, & malo afficiebant. Atq; hoc modo ſeſe & oppidum diu tutatos eſſe, donec vi majore, ſubrutis mœnibus, in deditionem venirent. Hoc quoq; non ita pridem in Africana expeditione contra Regem Feſſenſem Luſitanis accidiſſe, Hieronymus Oſorius refert. *Lib 8. de rebus Africis & Indicis.* Quum enim Barriga, Luſitanorum militum dux, Xiametenſes acerrime oppugnaret, iiq; ſe in ultimum diſcrimen adductos eſſe cernerent, alvearia apum innumerabilia, quibus abundabant, incenſa è manibus devolvere. Luſitani igitur & alveariorum flammis ambuſti, & apum aculeis ſtimulati, oppugnationem deſerere coacti ſunt. Idem inopinatum auxilium & quidem felici eventu, ſervavit ante pluſculos annos arcem quandam Hungaricam, finitimam Turcis, ſatis munitam, in ditione Epiſcopi Agrienſis. Quum enim, ſicut ex fide dignis viris cognovi, Turcæ ex improviſo eam occupare conarentur, & perpauci præſidiarii adeſſent, neq; in tanta feſtinatione abſente Præfecto ad importandos commeatus & ſtipendia militum, aliisq; neceſſariis armis deſtituti, hoſtes mœnia & aggerem tranſcendentes repellere poſſent: ſubito aliquot alvearia, quæ incolæ tanquam in tutum locum eo congeſſerant, in irruentes præcipitarunt, quorum mole non tantum ſed multo magis apiculis irritatis, ex favis agminatim erumpentibus, & ſeſe ſub fluxis veſtibus eorum inſinuantibus, icti & afflicti, non ſine clade, infecta re, magna cum indignatione diſcedere coacti ſunt. Verum enim eſt, ut Ammiani Marcellini verbis utar, quod in diſtrictis neceſſitatibus nihil tam leve ſit, quod non interdum etiam contra ſperata rerum afferat momenta magnarum. Non abſimilis aſtus militaris Annibale autore, ut Juſtinus & alii hiſtorici tradunt, olim profuit Regi Pruſiæ contra Eumenem, *Lib. 32.* ut novo commento victor exiſteret. Nam omne ſerpentium genus in fictiles lagenas conjici juſſit, medioq; prælio in naves hoſtium miſit. Id primum Ponticis ridiculum viſum, fictilibus dimicare, qui ferro nequeant. Sed ubi ſerpentibus naves repleri cœpere; ancipiti periculo circumventi, hoſti victoriam ceſſere. Idem accidit Severo Imperatori, ut refert Herodianus in expeditione contra Atrenos. *Lib. 3.* Obſeſſi enim à Severianis, non ſolum ſagittis lapidibusq; ſeſe audacter defenderunt: ſed etiam vaſa fictilia, volucribus quibusdam venenatisq; beſtiolis oppleta devolvere, quæ quum aut oculis involitarent, aut in apertas corporis partes ſenſim obreperent, graviter ſingulos ſauciabant. Sic quoq; Pompejus, ut Plutarchus in ejus vita teſtatur; quum victoriam contra Mithridatem conſecutus, *Theodorit. in Eccleſiaſt. hiſt. lib. 2. c. 30.* in Hyrcaniam & ad mare Caſpium à quo tridui itinere aberat, ire vellet; multitudine venenatorum reptilium prohibitus fuit. Eodem modo Sapores Rex Perſarum à Niſibis urbis, quam nonnulli Antiochiam Mygdoniæ

 vocant,

vocant, obſidione, crabronum & culicum multitudine repulſus eſt. Quod inopinatum auxilium precibus Jacobi Epiſcopi attributum eſt. Voluit enim Deus non fulminibus, ſed per exiguas beſtiolas ſuam potentiam & præſentiam in Eccleſia declarare, ſicut in Ægypto muſcas & ranas, aliaq; inſecta, non urſos aut leones Pharaoni & ſervis ejus immiſit, ut rebus viliſſimis ſuperbia tyrannica domaretur. Rectiſſime igitur dicitur in adagio: ἔνεστι κἀν μύρμηκι κἀν σέρφῳ χολή. Unde Plutarchus Braſidem fortiſſ. ducem Lacedæmoniorum dixiſſe ſcribit, quum manum in carias temere miſiſſet, & à mure inibi forte fortuna latente morderetur: Pape, ut nullum animal eſt tam puſillum, neq; tam invalidum, quod laceſſitum non cupiat ulciſci ſe. Huc etiam Pub. Mimus in ſuis ſententiis ſpectaſſe videtur, ubi dicit: Etiam capillus unus habet ſuam umbram. Nihil enim tam minutum, quod nō poſſit aliquid. Quamvis hoc dictum inter adagia ab Eraſmo referatur, quo ſignificatur, ſicut quantumvis puſillum commodum juvare, ita quantumlibet exiguum nocere ſo-

Lib. 8.c.12. lere. Unde legimus in Fragmentis Terentii Varronis; cujus rei etiam Plinius mentionem facit; à cuniculis ſuffoſſum eſſe in Hiſpania oppidum: à talpis in Theſſalia, à locuſtis in Africa: ex Gyaro Cycladum inſula incolas à muribus fugatos: in Italia Amyclas à ſerpentibus deletas.

Caput IX.

Conſilium malum conſultori peſſimum eſſe.

Lib. 3.c.9. GELLIUS, vel ut recentiores eum nominant, Agellius in Noctibus Atticis narrat hiſtoriam de perfidia Aruſpicum Hetruſcorum, quodq; ob eam rem à pueris Romæ urbe tota cantatum ſit: Malum conſilium conſultori peſſimum eſt. Huc reſpicere videtur Auſonius, ubi, in Trochaicis ſuis Terentiano proverbio, Tute hoc intriſti, &c. confine quoddam ſubnectit, & Poetæ metaphoram altera quadam metaphora interpretatur:

Tu moleſtus flagitator lege moleſta carmina.
Tibi, quod intriſti exedendum eſt. ſic vetus verbum jubet,
Compedes quas ipſe fecit, ipſus ut geſtet faber.

Vera eſt itaq; Heſiodi ſententia, quum ait in opere, cui titulus eſt ἔργα καὶ ἡμέραι.

Οἷ αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ ἄλλῳ κακὰ τεύχων:
Ipſe ſibi nocet is alium qui lædere quærit,
Conſultum male, conſultori peſſima res eſt.

De hac re habemus innumera exempla, quæ non tantum olim, ſed noſtro tem-

tempore accidere; recentiora autem tanquam nimis odioſa recenſere mei propoſiti non eſt. Notabile eſt, quod refert Cominæus de Cardinali Balvenſi, qui crudelitatis miniſter Ludovico XI. Regi Galliarum fuit. Excogitaverat enim is Cardinalis carceres horrendos, quos ejus inſtinctu Rex parari juſſit, (ii hodie quoq; Lutetiæ conſpiciuntur) caveas nempe aliquot, partim ferreas, partim ligneas ferreis laminis coopertas, latitudine octo pedum, & altitudine paulo majori quam eſt ſtatura hominis. Compedes etiam ferreas graviſſimas fieri curavit, quibus illigarentur crura, pedes vinciebantur annulo ferreo, ab eo pendebat immanis quædam catena, ad cujus exitum maximi ponderis globus. In has tetras caveas Cardinalis ipſe, & quidem in eam quæ primum perfecta fuit, incluſus eſt, perq; totos quatuordecim annos detentus. Nec abſimile Regi ipſi accidit. Etſi enim carceres illos tetros paſſus non eſt, tamen ad eundem plane modum ipſe quoq; ſpontaneis vinculis ſeſe induit, inq; majori metu verſabatur, quam illi quos aliquando captivos detinuerat. Ita enim ſeſe in arce quadam, quam neq; filio unico, neq; genero, neq; filiæ, neq; ulli alii, totus ſuſpicionibus & diffidentia obrutus fideret, incluſit, & cuſtodiis circumſepſit, ut teſte Cominæo, *Lib. 4.* veluti oculato teſte, nullus arctiori cuſtodia coerceri potuiſſet, quam ille ſeipſum cohibuit. Huc referri poteſt id, quod Froſſard. & Bernardus Girardus *Lib. 18.* in ſua hiſtoria Francica, in vita Caroli VI. ut pomo veneno tincto, quod regio puero præparatum, & inter ludendum objectum, ſed à filio ejus veneficii autoris comeſtum fuerat, ſcriptum reliquit: Nec non & memorabilem hiſto- *Lib. 9.* riam hac de re habemus, quæ Petro Portio Vincentino, dum Bargeſium occupare inſidiis nititur, contigit, hanc Arnoldus Ferronus de rebus geſtis Gallorum recenſet:

Circumretit enim vis atque injuria quemque;
Atque unde exorta eſt, ad eum plerunque revertit,

Ut Lucretius eleganter ac vere dixit. Vix autem puto, exemplum, quod huic meditationi magis conveniat, adduci poſſe, quam Majonis Amirati magni Gulielmi Regis Siciliæ. Is enim dum libidine imperandi, licet ex humili ortus genere eſſet, varia conſilia interficiendi Regis tractat, tandem à Matthæo Bonello juvene nobiliſſimo, & ſuo genero deſignato interfectus eſt. Quam hiſtoriam præ cæteris memorabilem late & eleganter deſcribit Hugo Ful- *De Sicilia calamitatibus.* candi, ad quam hiſtoriarũ ſtudioſos lectores remitto. Recte quoq; facient, ſi legerint Socratem in hiſt. Eccleſiaſt. ubi memorabile exemplum de Eutropio *Lib. 6. c. 25.* Eunucho reperient, contra quem etiam Chryſoſtomus in oratione ſua de divitiis & paupertate acriter intonat. Hoc præterea olim contigit iis, qui autores malarum artium & ſuaſores ſcelerum & crudelitatis fuerunt, ſicut de Perillo Athenienſi legimus, qui uti exiſtimavit, ex ære æneum taurum artificio-

sissimum Phalaridi fabricavit, in quo, si homines concremarentur, nimio dolore & cruciatibus boatum, non hominis vocem, viderentur emittere, & hoc supplicium, quum munus à Tyranno petiisset, autor primum, ipsius jussu, est expertus. Unde Ovidius:

Et Phalaris tauro violenti membra Perilli
Torruit, infelix imbuit autor opus.

Eodem modo contigit cuidam Arnutio Paterculo, qui æneum equuleum ad excruciandos homines excogitarat. Non ideo frustra in proverbio dicitur: Quod plerunq; aliquis in foveam, quam alii paravit, præceps cadat. Et à Jobo, Vidi arantes scelus, & seminantes molestiam, ipsam metere. Vel ut in Gallico idiomate elegantius profertur: *Qui altrui trompe: garde sa trompe, quil ne soit trompe, Car te luy qui trompe souent de sa trompe se troune trompe.* Hoc
Lib. 9. c. 9. certe illustratur memorabili exemplo Maxentii Tyranni, de quo Euseb. hist. Eccles. dicit: Lacum aperuit & effodit eum, inq; eum incidit. Et, Revertetur labor ejus in caput ejus, & in verticem injustitia ejus descendet. Idipsum confirmat Ælius Lampridius, ubi de insidiis Antonini Heliogabali contra Alexandrum Cæsarem, qui postea Severus appellatus fuit, ita scribit: Sed nihil agunt improbi contra innocentes. Nam nulla vi quis adduci potuit, ut tantum facinus impleret, cum in ipsum magis conversa sint tela, quæ parabat aliis ab hisq; sit interfectus, quibus alios appetebat. Hac de re habemus præ-
Lib. 8. terea insigne exemplum apud Livium de veneficis Romanis, cujus quoq;
Lib. 2. c. 26. Valer. Max. meminit; quæ quum venena præparassent, quibus multi similibus morbis extinguerentur, neq; compertum esset, unde ista venirent; tandem ancilla rei veritatem detexit, muliebri videlicet fraude civitatem premi, matronasq; ea venena coquere. Negantibus autem hoc matronis, & ea medicamenta salubria esse contendentibus, eæ bibere sunt jussæ istas decoctiones. Haud abnuentibus illis bibere: epoto medicamento suamet ipsæ fraude omnes interierunt, ideoq; exemplo reliquæ comprehensæ, ex
Lib. 39. quibus CLXX. damnatæ sunt. Non absimilis historia à Justino historico refertur. Vix etenim Gryphus Rex Ægypti recuperato patrio regno, externisque periculis liberatus, matris insidias evasit. Hæc enim quum cupiditate dominationis prodito marito Demetrio, & altero filio interfecto, hujus quoq; victoria inferiorem dignitatem suam factam doleret: venienti ab exercitatione, veneni poculum obtulit. Sed Gryphus prædictis jam ante insidiis, veluti pietate cum matre certaret, bibere ipsam jubet; abnuenti instat. Ad postremum prolato indice eam arguit, solam defensionem sceleris superesse affirmans, si bibat, quod filio obtulit. Sic victa Regina scelere in se verso veneno, quod alii paraverat, extinguitur. Eandem fortunã experta est Laodice soror & uxor Mithridatis Regis potentiss. Quum enim commissa

adul-

adulteria majore ſcelere tegere vellet, & marito & fratri venenum paraſſet: admonitus is ab ancilla facinus in autores vindicavit. Hoc quoq; Prusiæ Regi Bithyniæ accidiſſe legimus apud eundem Juſtin. Dum enim conſilium capit, interficiendi Nicomedis filii; isq; ab iis, qui hoc facinus ſuſceperant, admonitus eſſet, ut crudelitatem patris caveret: occupavit non ſolum regnum paternum; ſed etiam ab eo pater; non minori ſcelere, quam quo filium occidi juſſerat, interficitur à filio. Vere itaq; Ferron. dicit, Recte ſapientiſſimos homines prodidiſſe, Deum magna exempla in caput invenientium regerere, ut juſtiſſima patiendi vice, quod quisq; excogitarit alieno malo, ſæpe excipiat ſuo. Sic multi iisdem telis, vel armis, quæ ipſimet confecerunt, perierunt, ut de Mario tyrannorum, tempore Galieni Cæſaris, ſeptimo, gladio proprio interfecto legimus. Quum enim uno die factus eſſet Imperator: altero viſus eſt imperare; tertio interemptus eſt à milite; qui percuſſurus illum dixit: Hic eſt gladius quem ipſe feciſti. Nam fuit opifex ferrarius. Huc referri poteſt, ut rurſus ad recentiora veniamus, quod Robertus Gaguinus memoriæ tradidit. Per eos dies, inquit, anno ſalutis M.CCCCLXXVII. machina ingens, quam bombardam dicunt, Turoni conflata & inde Pariſium vecta, triſte ſui ſpectaculum præbuit. Ad D. Antonii portam extra muros, quum inſtructa & compoſita prorſus à peritis ejus operis eſſet: dum pila ferrea, pondere quingentarum librarum, in cavum machinæ devolvitur: ignem excutit, quo pila ipſa repente depulſa, machinæ inprimis autorem; moxq; quatuordecim ibi aſtantes viros, ita diſſipavit, ut per aerem membra projecta ægre inveniri & colligi potuerint. Longius quoq; evolans pila, aucupem avibus inſidias ponentem oppreſſit. Alii præterea ſex violentia ſpiritus & ſulphuris fœtore gravem valetudinem incurrerunt. Joannes Mangueus, qui machinam conflaverat, fruſtatim per agrum receptus apud S. Medericum ſepultus eſt.

In fine l. 34.

Lib. 8. de rebus geſtis Gallorum.

Lib. 10. c. 29. hiſt. Francorum.

CAPUT X.

De vera & aſſcititia venuſtate, & quam caduca & fragilis res ſit pulcritudo hominum.



SÆPIUS miratus fui nimiam incontinentiam nonnullorum hominum, & ardorem immoderatum in adamatis rebus quas veluti rem divinam & extra humanam ſortem poſitam laudibus ſatis prædicare nequeunt. In illis enim vivunt; in illis

In Ciſtellaria. mori videntur, adeo ut vere dictum ſit à quopiam, Amantis animam ineſſe in re amata. Vel ut Plautus amoris inſaniam deſcribit:

Vbi ſum, ibi non ſum, ubi non ſum, ibi eſt animus.

Unde Plato dicit, Animum ejus qui amore tenetur, in ſuo corpore mori, in alieno autem vivere, licet ſint qui hanc ſententiam Catonis eſſe putent, quoniam ipſe eandem crebris ſermonibus uſurpabat. Equidem eo magis miratus fui; (ut de illicitis & nefandis amoribus taceam) quod pleræq; fœminæ Italicæ, & quæ præ ceteris ornatiores videri volunt, faciē fucata ſuperbire ſoleant, ita ut naturalem formam, ſi qua præſtāt, de induſtria inficiāt.

Epiſt. 8. Unde pie D. Hieronymus dicit: Illæ oculos Chriſtianos ſcandalizant potius, quæ purpuriſſo & quibusdam fucis ora oculosq; depingunt, quarum facies, Ægyptiaca, nimio candore deformes, idola mentiuntur; quas nec numerus annorum poteſt dicere, quod vetulæ ſint; quæ capillis alienis verticem ſtruunt, & præteritam juventutem in rugis anilibus poliunt. Erubeſcat mulier Chriſtiana, ſi naturam cogit in decorem, ſed carnis curam facit in concupiſcentiis. Et in alia Epiſt. *Epiſt. 98.* Quid in facie Chriſtianæ purpuriſſus facit & ceruſſa? Accedit & illud ejusdem ad Lætam: Cave ne aures ejus perfores; ne ceruſſa & purpuriſſo conſecrata CHRISTO ora depingas, nec collum auro & margaritis premas, nec caput gemmis oneres. *De ſermone DOMINI.* Hoc quoq; D. Auguſtinus admonuit, ubi dicit: Quanta amentia eſt effigiem mutare naturæ, picturam quærere? Tolerabiliora propemodum in adulterio crimina ſunt. Ibi enim pudicitia, hic natura adulteratur. *In Hexam.* Et D. Ambroſius, Deles, inquit, picturam Dei mulier, ſi vultum tuum materiali candore oblevisti. Eodem modo & olim Ethnici fucatas illas mulierculas deriſerunt, ſicut ex Plautō apparet, ubi dicit: *In Moſtellaria.*

Mulier recte olet, ubi nihil olet;
Nam iſthæc veteres, quæ ſe unguentis unctitant interpoles;
Vetulæ edentulæ, quæ vitia corporis fuco occulunt;
Vbi ſe ſudor cum unguentis conſociavit: ilico
Itidem olent, quaſi quum una multa jura confundit coquus.

Hinc apparet, licet olim quoq; fucus muliebris uſitatus fuerit, tamen nunquam non caruiſſe reprehenſione, interdum etiam deriſione. Quare quidam admodum venuſte καινοσπουδίᾳ muliebrem taxavit hoc dilemmate: Si pulchræ ſunt mulieres: ſufficit natura, non contendat ars contra naturam, hoc eſt, non litiget fucus cum veritate: Si turpes ſunt natura, id quod opponunt, magis deformitatem arguit. Ob eam rem Pythagoras voluit, ut facies fœminarum non aſcititio nec alieno colore decoretur, ſed genuino & proprio corporis, & aqua ſimplici abluatur, ac pudore potius ornetur. Quo reſpexit idem Plautus hiſce verſiculis: *In Moſtellaria.*

Purpu-

Purpura ætas occultanda est; aurum turpe mulieri.
Pulchra mulier nuda erit, quam purpurata, pulchrior,
Postea ne quidquam exornata est bene, si morata est male.

Nicostrati quoq; præceptum est: Sana mulier minime illinatur fuco, nec utatur cerussa, neq; depictione oculorum, aut alio pigmento, quod pingit & obumbrat oculos. Optandum itaq; illis fucatis, vel potius personatis mulierculis esset, ut sæpe in convivium Phrynæum introducerentur. Id ferunt fuisse ejusmodi: Phryne formosissima fœmina, vel, ut quidam, voluerunt, scortum nobile olim apud Græcos, in convivio quodam, cui complures aderant nobiles fœminæ, cum juxta morem joci convivalis, quod unusquisq; faceret, idem omnes facere cogerentur, prior manum bis aquæ immersam admovit fronti. Quoniam autem erant reliquæ facie fuco infecta, aqua per lituram fucorum defluens, rugarum specie vultus omnium deformabat, quum ipsa interim Phryne, quæ naturali forma pollebat, speciosior etiam appareret, diluta facie. Non absimili arte legitur, Regem Salomonem deprehendisse Reginæ Sabinæ technas. Ea in confessione fidei Abissinorum, sicut à Damiano à Goes refertur, Maqueda appellatur, & ex Salomone filium Meilech, qui postea Davidis nomen assumpsit, suscepisse dicitur. Fulgosus eam Nicaulam Ægypti & Æthiopiæ reginam nominat. Quum enim omnia ænigmata, licet obscurissima, à Rege illi magna dexteritate declarata essent: Cedrenus refert, (penes quem sit fides, non enim hoc in sacris literis, licet fieri potuerit, invenitur) eam adduxisse pueros & puellas eodem vestitu ornatos, ita ut ex facie & gestibus nullum discrimen sexus Rex Salomon animadvertere potuerit; experiri hac in re quoque cupientem ipsius sapientiam in discernendo sexu. Regem autem conspectis iis, & quare exhiberentur certiorem factum, mox jussisse ministrum polubro aquam afferre, & singulos faciem manibus lavare. Hoc facto pueros à puellis ex gestibus & moribus facile dignosci potuisse. Illi enim mascule manu faciem fricabant; quum hæ puellari modestia summis digitis vix eam timide attingerent. Sed ut ad propositum nostrum revertamur, optandum potius esset, ut Italus, vel si quispiam alius insano amori præter rationem indulgeret, diligenter antidoti loco legeret, & in animum induceret, quod D. Chrysostomus scribit, cujus verba apponenda duximus. Quum igitur, inquit, vides venustam mulierem fulgidum habentem oculum, vultu hilare coruscantem, eximium quendam decorem aspectu præ se ferentem, urentem mentem tuam, & concupiscentiam augentem: cogita terram esse id, quod admiraris, stercus quod te urit; & conquiescet furens animus. Detege ipsi cutem vultus, & tunc videbis omnem venustatis vilitatem. Ne subsistas superficietenus; sed inte-

De Æthiopum morib.

In oratione de pulcritudine & uxore.

interius penetra cogitatione, nihil aliud invenies, quam oſſa, nervos & venas. Sed non ſufficiunt hæc: Cogita mihi, eam alterari, ſeneſcere, ægrotare, ſubſidentes oculos, cavas genas, florem illum omnem defluentem. Animadverte quid admiraris; & ſtercus & pulvis te urit & cinis. Pulchritudinis enim ejus, quam aſpicis, ſubſtantia nihil aliud eſt, quam pituita, deſtillatio, ſanguis, & alimenti computrefacti ſuccus. His enim & oculi & genæ & reliqua omnia rigantur. Quod ſi cotidie rigationem illam accipiat ab alvo & jecinore prodeuntem: ſtatim tota avolat, ſubſidente plus æquo cute, & oculis in cavum recedentibus. Quocirca ſi tecum reputes, quod intra pulchros illos oculos ſubſit, quod intra rectum naſum, quid intra os & genas, nihil aliud dicturus ſis venuſtatem corporis, quam ſepulchrum calce illitum. Tantis ſordibus intus plena eſt: Et panniculum quidem hujuſcemodi aliquid, veluti pituitatem vel mucum habentem ſi aſpicias; ne extremis quidem digitis contrectare, imo non aſpicere ſuſtines: ad horum autem cellas & horrea obſtupeſcis? Is igitur qui corporis amator eſt, & ad venuſtatem puellæ obſtupeſcit, ſi non velit ſermone diſcere deformitatem ſubſtantiæ ipſam in ſe, ex aſpectu cognoſcet. Etenim multæ æquales amicæ illius, ac ſæpenumero ſplendidiores etiam, defunctæ, poſt unum atq; alterum diem fœtore & tabo oppletæ ſunt, & putredine vermium. Cogita ergo cujusmodi pulchritudinem amas homo, & ad qualem venuſtatem obſtupeſcis. Quo reſpexit idem Chryſoſtomus, ubi dicit: Quid eſt ſpecioſa mulier? ſepulchrum dealbatum, niſi fuerit ſobria, caſta, pudica. Pulchritudo autem ſine his virtutibus, eſt præcipitium patens, venenum inſpicientibus compoſitum. Certiſſimum itaq; Gregorius remedium docuit contra procaces illos affectus. Caro, inquit, quum concupiſcitur, penſetur quid ſit exanimis, & intelligitur quid ametur. Nihil quippe ſic ad domandum deſideriorum carnalium appetitum valet, quam ut quisq; quod vivum diligit, quale ſit mortuum penſet. Hoc innuere voluerunt Græci qui trina ſua recordatione mortuorum eis certis diebus juſta perſolvere ſolent, ut in Cruſii Turco-Græcia refertur. Mortuis enim perſolvuntur, Tertia, Nona & Quadrageſima; Tertia, quod mortuus die tertio immutatur agnitione faciei amiſſa; Nona, quod nono die totum corpus diffluit præter cor; Quadrageſima, quod quadrageſimo die ipſum cor quoq; perit. Eſt etiam alia interpretatio ibidem, quod recordationem iſtam trinam ad Reſurrectionem, Apparitionem & aſcenſionem CHRISTI accommodat. Poſtremo fragilitas humanæ venuſtatis confirmatur exemplo Eremitæ cujusdam, ſicut in vitis patrum legimus. Is enim exagitabatur libidinoſis cogitationibus, inprimisq; illi pulcritudo alicujus notæ ſibi fœminæ mente continuo obverſabatur, quibus impreſſionibus quum vix reſiſtere poſſet ab alio Eremita forte cogno-

Super Pſ. 50.

Lib. 16. moral.

gnoſcit, illam fœminam ante pluſculos dies mortuam eſſe. Hoc quum ille cognoviſſet, contulit ſe noctu ubi ea humata eſſet, & reſerato ſepulchro, pallio ſuo deterſit ſaniem putrefacti cadaveris, mox reverſus in eremum, & ingruentibus impuris ſuggeſtionibus, fœtorem illius infecti pallii intuitus eſt: Ecce, inquit, habes deſiderium, quod quærebas, ſatia te ex eo. Et ita hoc fœtido panno cruciabat ſemetipſum, donec recederent iſtæ libidinoſæ cogitationes. Extat quoque hac de re non inelegans Epiſtola Æneæ Sylvii. Plura verò meditationes ſequentes indicabunt. *Epiſt. 106.*

CAPUT XI.

Angues ex medulla cadaveris humani naſci.

PLinius ſcribit, Anguem ex medulla hominis ſpinæ gigni. Hoc verum eſſe & experientia teſtatur, & illuſtratur exemplo à Plutarcho. Quum enim juſſu Ptolemæi cadaver Cleomenis in crucem actum eſſet, & cuſtodes cadaveris draconem caput ejus circumplicantem, faciemque operientem, ita ut nulla carnivora avis advolaret, vidiſſent: Alexandrini, inquit, etiam frequentes ad eum locum commeantes, heroem Cleomenem & deorum filium appellaverunt, tantiſper dum eorum doctiores monuerunt docentes, putrefacto bovis cadavere apes, equi veſpas, aſini ſcarabæos generari: In humano autem corpore confluente ſanie, quæ eſt circa medullam, & in unum coaleſcente, angues naſci. De Carolo Martello ſcribunt Gaguinus & Æmilius, inventum eſſe ejus mauſoleum, ſeu conditorium vacuum ſine cadavere, & pro eo ſerpens. Utrum autem hoc miraculosè ob diviſas decimas Laicis factum fuerit, necne, ſicut ibi innuitur, id aliorum judicio relinquo. Sanè in illuſtri Germaniæ loco monumentum cujuſdam nobilis adoleſcentis, in gentilicio ſacello ſepulti, ſæpiſſimè vidi, qui vivens dicebatur omnium ſuæ ætatis fuiſſe pulcherrimus. Quumque in florenti ætate in lethalem morbum incidiſſet, à propinquis ſuis exorari non potuit, ut ſuam effigiem (ſicut quoque de Ageſilao memoriæ proditum eſt) poſteritati vel depictam, vel ſculptam relinqueret; tantum hoc precibus illorum conceſſit, ut poſtquam terræ mandatus eſſet, pluſculos poſt dies ſepulchrum ſuum aperirent, & qua forma ſuum cadaver invenirent, ita depingi curarent. Hoc quum factum eſſet, invenerunt faciem ejus ſemiconſumptam à vermibus, & plures ſerpentes circa diaphragma & ſpinam dorſi extantes. Juſſerunt igitur ejus effigiem,

Lib. 10. cap. 66. natural. hiſtor.
In vita Cleomenis.

ſicut invenerant, lapidi incidi, quod monumentum adhuc, ut dixi, in loco illo inter armatas majorum & gentilium ſtatuas conſpicitur. Documentum videlicet certiſſimum, quam fragilis res ſit formoſi hominis corpus, & quæ pulchra & magnifica in illo conſpiciuntur, nil eſſe aliud quam putredinem & eſcam vermium, velut Syracides dicit: In morte hominis hæredes ſunt ſerpentes, & beſtiæ & vermes, quod etiam conſtat ex inſcriptione monumenti Romæ in templo Salvatoris, ubi tale diſtichon legitur:

Cap. 10.

Sperma fui fœdum, vixi domus atra lutoſi
Stercoris: hoc jaceo vermibus eſca loco.

Lib. Medit. cap. 3.

Huc reſpexit D. Bernhardus, ubi dicit: Homo nihil aliud eſt quam ſperma fœtidum, ſaccus ſtercorum & cibus vermium:

Poſt hominem vermis, poſt vermem fœtor & horror,
Sic in hanc ſpeciem vertitur omnis homo.

Ita natura ex corrupto humano cadavere anguem vel draconem generans, quaſi digito autorem noſtrarum calamitatum, & corruptionis, & irreconciliabile odium monſtrare videtur: antiquum videlicet ſerpentem, non ſolum viventibus nobis inſidiari, verum etiam mortuos laniare & depaſcere non deſinere.

CAPUT XII.

De dubia, incerta, fluxa & miſera humanæ vitæ conditione.

De oratore Lib. 3.



. Cicero hos verſus recitat;

At Romanus homo tamen etſi res benè geſta eſt,
Corde ſuo trepidat.

Quibus innuere voluit, quam dubia & incerta ſit humanarum rerum conditio, eamque Romanos, utpote tam in proſperis quam in arctis exercitatos, diligenter conſideraſſe. Hoc quoque patet ex Scipionis Africani reſponſo, quod legatis Antiochi Regis, magna ſtrage à Romanis victi, ut à Juſtino refertur, dedit, NEQUE ROMANIS SI VINCANTUR, ANIMOS MINUI: NEQUE SI VINCANT, SECUNDIS REBUS INSOLESCERE. Rectiſſimè itaque ille apud Livium dicit: Nemini compertum eſſe, quid ſerus veſper ferat. Talis enim ſtatus eſt humanarum rerum, ut innumeris telis fortunæ objectæ ſint, adeo ut in rebus proſperis nemo ſeſe efferre, in duris autem & adverſis nemo animo prorſus abjecto

Lib. 30.

jecto eſſe debeat. Hæc res non minus olim prudentioribus viris magnopere curæ fuit, ſicut apud Senecam Tragœdum videre licet, cujus admonitio memorabilis eſt talis: *In Thyeſ.*

Vos quibus rector maris, atque terræ
Jus dedit magnum necis, atque vitæ,
Ponite inflatos tumidoſque vultus.
Quicquid à vobis minor extimeſcit,
Major hoc vobis Dominus minatur.
Omne ſub regno graviore regnum eſt.
Quem dies vidit veniens ſuperbum,
Hunc dies vidit fugiens jacentem.
Nemo confidat nimium ſecundis,
Nemo deſperet meliora, lapſis.
Miſcet hæc illis, prohibetq́; Clotho,
Stare fortunam, rotat omne fatum.
Nemo tam divos habuit faventes,
Craſtinum ut poßit ſibi polliceri.
Res Deus noſtras celeri citatas
Turbine verſat.

Notum præterea eſt apud Ægyptios hunc morem fuiſſe, ut in ipſorum conviviis mortis ſimulacrum circumferretur, & convivæ admonerentur, ut inter edendum & bibendum illud quoque intuerentur. Idipſum apparet quoque in Trimalcionis convivio apud Petronium, ſicut à doctiſſimo Lipſio refertur: *In Saturn. cap. 19. lib.* Potantibus & accuratiſſ. lautitias nobis mirantibus larvam argenteam attulit ſervus, ſic aptam, ut articuli ejus vertebræq; in omnem partem flecterentur. Hanc quum ſuper menſam ſemel iterumque abjeciſſet, & catenatio mobilis aliquot figuras exprimeret, Trimalcio adjecit:

Heu heu nos miſeros quam totus homuncio nil eſt;
Sic erimus cuncti poſtquam nos auferet Orcus.
Ergo vivamus dum licet eſſe, bene.

Quid autem aliud id fuit, quam admonitio fragilitatis humanæ, & mortis certiſſimæ? Hoc quoque non minus piè quam verè magnus ille Morus Cancellarius Angliæ ſuo elegantiſſ. diſticho meditatus eſt:

Scilicet ex illa, qua primum naſcimur, hora
Prorepunt juncto vitaque morsque pede.

Conſtantinopoli, ut refert Iſidorus, moris fuit, ut quo die Imperator coronam Cæſaream ſuſciperet, cum ſedentem in ſublimi throno accederet cæmentarius, proponens illi lapidum genera aliquot, ut ex his unum eligeret, ex quo ſibi tumulum fabricari vellet. Saladinus quoque Ægypti Syriæque Sultanus,

Lib. 1. eleg. illuſt. viror. nus, ut Jovius refert, moriens, uti humanæ conditionis atque miſeriæ memor, condito teſtamento omnem funeris pompam abdicavit, juſſitque tantum in lancea præferri atri coloris obſoletam tunicam, præcinente ad populum ſacrificulo hujus ſententiæ carmen, quod à Bocatio memoriæ proditum eſt:

Vixi divitiis, regno, tumiduſque trophæis,
Sed pannum heu nigrum nil niſi morte tuli.

Hoc etiam Auguſtus Monarcha omnium potentiſſ. innuere voluit. Morte enim ejus, ut Dio & ex eo Cedrenus refert, appetente, omnibus mandavit, ut ſe defuncto plauderent, ac riſum tollerent, ſicut in Mimorum fine fieri aſſolebat. Eo mandato vitam humanam, utpote ridiculam rem, ſubſannare voluit. In Rom. Pontificum inauguratione, interea dum de more ſacellum D. Gregorii declaratus prætergreditur, ipſum præit ceremoniarum magiſter, geſtans arundines ſeu cannas duas, quarum alteri ſurſum appoſita eſt candela ardens, quam alteri cannæ cui ſuperpoſitæ ſtuppæ ſunt, adhibet, incenditque dicens: PATER SANCTE SIC TRANSIT GLORIA MUNDI. Quod & ipſum tertio iterat. Unde Paradinus ſumpſit ſymbolum, quod inter heroica ſua poſuit: NIL SOLIDUM. Hoc olim non ignorarunt Romani. Nam ſi alicui ex ipſorum ducibus vel Imperatoribus, ob res feliciter geſtas, & hoſtibus devictis, triumphus à Senatu decretus eſſet, & is in curru triumphali maxima pompa urbem ingrederetur, eodem curru carnifex miniſter publicus vehebatur, qui pone coronam auream, geminis diſtinctam ſuſtinens, eum admonebat, ut reſpiceret, id eſt, ut reliquum vitæ ſpacium provideret, nec eo honore elatus ſuperbiret. *Zonaras lib. 2. annal.* Appenſa quoque erat currui nola & flagellum, quibus notabatur, ipſum in eam calamitatem incidere poſſe, ut & flagris cæderetur, & capite damnaretur. Nam qui ob facinus ſupremo ſupplicio afficiebantur, nolas geſtare ſolebant, ne quis inter eundum contactu illorum piaculo ſe obſtringeret. Eodem modo legimus legatum Mauricii Imp. ferociam Cagani Regis Avarum, commonefactione rerum humanarum mitigaſſe. Retulit enim illi hiſtoriam de Seſoſtri Rege Ægypti. Is ſolitus fuerat vehi in curru aureo, qui à quatuor Regibus captivis trahebatur. Quum autem unus ex illis Regibus ſæpe reſpiciens rotam intueretur, interrogatus a Seſoſtri, cur toties reſpiciat? Intuens, inquit, rotæ volubilitatem, in qua cito ea quæ ſumma fuerant, fiunt ima, cogito de fortuna noſtra. *Pompon. Lætus in vita Juſtiniani.* Hac admonitione motus Seſoſtris factus eſt moderatior, & Reges liberavit. Simile aliquid accidiſſe legimus, quum Juſtinianus Cæſar Gelimerem Vandalorum Regem vinctum catenis una cum uxore & regia familia in triumpho duceret, qui in conſpectum Imperatoris ductus, pleno ore riſit. Cum itaque eum ingenti dolore perculſum mente captum eſſe putarent: ferunt illum dixiſſe,

dixisse, se ridere fortunæ humanæ vicissitudines, ut qui modo Rex fuisset, jam serviret. Laudandum igitur est memorabile Canuti Angliæ Regis potentissimi factum, quo assentatorem, qui omnia ad Regis vultum & nutum converti asserebat, memor instabilitatis fortunæ & humanæ fragilitatis, repressit. Illud ex H. Huntindonensi, ita refert Gulielmus Camdenus in sua Britannia. Sedile suum, inquit, in littore maris, quum ascenderet, statui jussit. Dixit autem mari ascendenti: Tu meæ ditionis es, & terra in qua sedeo, mea est, nec fuit qui impune meo resisteret imperio. Impero igitur tibi, ne in terram meam ascendas, nec vestes nec membra dominatoris tui madefacias. Mare vero de more conscendens pedes Regis sine reverentia madefecit. Ille igitur resiliens ait: Sciant omnes habitantes Orbem, vanam & frivolam Regum esse potentiam, nec Regis quempiam nomine digum, præter eum, cujus nutui, cœlum, terra, mare, legibus obediunt æternis. Nec unquam postea coronam sibi imposuit, &c. Ob hanc rem non minus piè, quam prudenter faciunt, qui considerant potentiam & opes terrenas tam instabiles esse, quam undas à vento agitatas. Modicum enim affluunt his, qui habere se eas arbitrantur, mox vero refluentes, ad alios accedunt. Quo spectasse videtur Nazianzenus, ubi ex Psal. LXI. dicit: Qui parandis opibus inhiatis audite Prophetam dicentem: Divitiæ si affluant, nolite cor apponere, scitote vos rei fragili & incertæ niti. Nihil est autem, sicut Ubertus Folieta piè monet, quod animos hominum ab officio magis abducat, quam res secundæ, bonaque fortuna. Hoc solet animos hominum inflare, spiritusque quosdam elationis & arrogantiæ plenos secum afferre. Quæ res facit, ut cum amplitudo fortunæ non satis æquis oculis ab omnibus aspici soleat, si ad illam superbiam præterea arrogantiam adjunxerit, intolerabilis res fiat, summoque in omnium odio versetur. Quare omni ratione cohibendus est hic impetus, modestiæque freno coercendus, omnisque asperitas vitanda contraque summa humanitas, atque in omnibus dictis & factis suavitas inducenda. Qua virtute, ut nulla est Christianæ professioni conjunctior, ita nec quæ magis secundæ fortunæ invidiam mitiget, communemque hominum benevolentiam illi conciliet. Documento nobis esse deberet insigne & tragicum exemplum (ne planè in priscis immoremur) Ugolini Giradesci Pisani. Is enim, ut Paulus Æmilius memoriæ tradidit, utpote Guelpharum partium princeps, initio Gibellinis partim pulsis, partim perculsis eo potentiæ domi pervenerat, ut nutu omnia administraret, patriæque dominus & esset & haberetur, divitiis, nobilitate, ingenii fama, autoritate vigens; uxore, filiis, nepotibus & omnibus in vita bonis appetendis circumfluens; beatus, felix & cæteris & sibi visus, eorumque cogitatione perfruens, lætus, fidens etiam illorum commemoratione gaudebat. In

In oratione de cathedra Constantinopol. affectata

De vita & studiorum ratione hominis sacris initiati.

Lib. 8. de rebus gestis Francor.

feſto frequentique natalis ſui celebrandi convivio, ad quod omnes ſuos invitarat adhibueratque, dum fortunam ſuam ipſe fando effert, admiratur, cœloque æquat: auſus eſt quendam ex intimis amicis Marcum, quid tandem abeſſe videretur, interrogare? ille vel reputatione rerum humanarum, quam fluxæ fallacique ſpecie; quam volucri orbe circumagantur: vel mente divinitus admonita, SOLA, inquit, IRA NUMINIS PROCUL DIUQUE ABESSE TAM SECUNDIS REBUS NON POTEST. Et neceſſe erat congeſta in unum hominem nondum alteram fortunam expertum bona excipi calamitate ingenti. Guelphorum viribus conſeneſcentibus, Gibellini armis correptis, ædes ejus circumſiſtunt, oppugnant, unum ex filiis, unumque nepotum vim arcere conatos occidunt, ipſum & duos præterea filios, tres nepotes, comprehenſos in turrim incluſere? obſeratis foribus, clavibuſque in Arnum propinquum flumen dejectis. Ibi fame in oculis, in gremio ſuo cariſſima pignora parens moriens morientia vidit. Vociferanti expoſcentique, ut humanis ſuppliciis exigendis inimici contenti eſſent, ſacræ confeſſionis ſacroſanctique viatici poteſtas facta non eſt. Hactenus Æmilius. Sapienter igitur cogitant qui temporibus ſecundis caſus adverſos reformidant. Huc referri commodè poſſent Polycratis Samiorum tyranni immoderatæ fortunæ ſucceſſus tanti, ut ipſemet impatiens funeſti ſui exitus eam imminuere cogitarit. Sed cum alioquin prolixiores meæ cogitationes in hac meditatione fuerint, Herodotus & Strabo reliqua ſuppeditabunt. Ne itaque majorum nobilitate opibuſque aut potentia, ut in Agapeti expoſitionibus legimus quis delicietur. Limum enim habent omnes generis autorem, & qui purpura byſſoque turgent, & qui paupertate & adverſa valetudine affliguntur; tam qui diademate redimiti ſunt, quam qui per cubicula excubant. Quare abſit ut lutulentum jactemus genus, ſed morum integritate ex gratia divina, (ſicut omnia bona) proveniente gloriemur. Et in hac miſera vita, ut Cominæus in ſuis hiſtoriis monet, nihil potius ducamus, quam ut metuamus divinum judicium, & ſtudeamus in rebus omnibus æquitati, neque defatigemur iis curis quales ſuſpiciuntur à multis nimia quadam ambitione & cupiditate augeſcendi. Hanc viam ſi poſſemus ingredi atque tenere, & tranquillius viveremus, & minus affligeremur valetudine adverſa. Etenim quanta ſit vitæ noſtræ miſeria, vel ex eo dijudicari poteſt, quod ſimul atque quis moritur, quicunque ille ſit ſtatim omnes fugiunt, atque exhorreſcunt ipſum cadaver, & avolat anima, ſiſtiturque judicio inevitabili. Unuſquiſque igitur, ut Lactantius piè monet, potiorem animam ſuam judicet, quam bona illa fallacia, quorum incerta & caduca poſſeſſio eſt. Migrant enim quotidie, & multo velocius exeunt, quam intraverunt. Et tamen, ſi nobis uſque ad ultimum liceat iſtis frui, aliis certe relinquenda ſunt. Nihil nobiſcum ferre poſſu-

Lib. 6. c. 17.

poſſumus, niſi vitam benè & innocenter actam. Ille ad Deum copioſus, ille opulentus adveniet, cui adſtabunt continentia, miſericordia, patientia, fides, charitas. Hæc eſt hæreditas noſtra, quæ nec eripi unquam poteſt, nec transferri ad alium. Non ſine ratione itaque Trauſi, gens Thracibus finitima, ut Herodotus refert, edito infante, cum ploratu commemorant, quantum calamitatum illi ſit perferendum vitam ingreſſo, contra defunctum hominem cum luſu lætitiaque efferunt, recenſentes quam multis malis ſubductus ſit, ut eleganter hac de re & prolixè ſcribit Eraſmus, in adagio: Optimum non naſci. De Getis quoque ſcribit Pompon. Mela, quod piiſſimi omnium mortalium habiti ſint, ut qui optimè & ſanctiſſimè de immortali Deo ſentirent. Complures enim eorum animas dicebant ſempiternas, quæ etiam poſt corporis obitum ad beatiorem vitam tranſirent. Qua de re longè melius eſſe arbitrabantur mori quam vivere. Proinde puerperia lugebant, funera autem luſu ac feſto cantu celebrabant. Hoc etiam Cauſianis attribuitur. Ii enim naſcentes lugent: mortuos autem beatos reputant. Hoc Ludovicus Cortuſius Juriſc. Patavinus ſuo tempore celeberrimus, in ſuo teſtamento poſteritati, ni fallor, in mentem revocare voluit. Is enim, ut Bernhardinus Scardeonius de claris Juriſconſultis Patavinis refert, moriens, contra communem mortalium morem ex teſtamento interdixit ſuis propinquis lachrymas, & ſolitas funerum lamentationes, Ennii ſummi vatis exemplo, & quæcunque lugubria ſolent ad mœſtitiam parari abeſſe prorſus voluit, addita etiam ex legato gravi mulctatione hæredi, ſi id facere neglexiſſet. Contra vero pro his acciri juſſit muſicos, cantores & citharœdos & tibicines omnis generis, qui vario concentu una cum clero funeris pompam partim præirent, partim ſequerentur uſque ad quinquaginta, quibus ſingulis mercedem dimidii aurei nummi dandam ſtatuit. Et quod duodecim puellæ innuptæ, amictæ viridibus pannis feretro ſubirent, uſque ad templum, ubi ſe ſepeliendum mandaverit; quæ omnes pariter de more lætantium, quæcunque vellent, modulantes alta voce concinerent, relicta ſingulis certa pecuniæ quantitate, dotis cauſa. Sepultus eſt in æde vetuſtiſſima S. Sophiæ centum funalibus incenſis, & viginti integris dandis univerſo clero Patavino, qui longo ordine præcedebat, & cum eo omnis cucullatorum conventus, exceptis Eremitanis, quos teſtamento cavit, ne funeri ſuo ullo pacto intereſſent, ne ſua fortaſſis illa nimia cucullarum nigredine hilaritatem exequiarum interim funeſtarent. Obiit anno ſalutis M.CCCC.XVIII. 16. Calend. Auguſt. ſicut in ejus epitaphio ibidem videre licet. Hujus teſtamenti meminit Paulus de Caſtro Juriſconſultus, idque tanquam hominis non ſanæ mentis in dubium vocat, quod approbare videtur text. in lege ſervo. De legat. primo. Prudenter itaque Artabanus apud Herodotum, quum Xerxes 5282200. homines uno

In Terpſichore.

Lib. 2. de ſitu Orbis.

Lib. 1. claſ. 8.

In L. quidã in ſuo De cond. inſtit.

in Polymnia

uno conſpectu intuens acerbe flere inciperet, quod ex tot hominum millibus, poſt annos centum nullus ſuperſtes futurus eſſet, ſubjicit, in hoc tam brevi vitæ humanæ ſpatio, multa ſingulis hominibus accidere, ut ſæpius mori magis quam vivere cupiant. Ita breve etiam vitæ ſpacium miſeris hominibus nimis longum & diuturnum videri. Cæterum hæc vita temporalis, ut idem Lactantius ait, quia brevis, idcirco & bona ejus, & mala brevia ſint neceſſe eſt. Illa vero ſpiritualis, quæ huic terrenæ contraria eſt, quoniam ſempiterna eſt, idcirco ejus & mala ſempiterna ſunt. Ita fit ut & bonis brevibus mala æterna, & malis brevibus bona æterna ſuccedant. Quæ eſt enim, obſecro, vita noſtra? Vapor inquit D. Jacobus, qui ad exiguum tempus apparet & deinde evaneſcit. Vel, ut Ariſtoteles dicit, Quidnam eſt homo imbecillitatis exemplum, temporis ſpolium, fortunæ luſus, inconſtantiæ imago, invidiæ & calamitatis trutina, reliquum vero pituita & bilis. Rectè itaque dici poteſt:

Li. 6. c. 4. de vero cultu.

Cap. 3.

Vita quid eſt hominum? ſpes & formido futuri,
Multum triſtitiæ, lætitiaq́, parum.

Unde D. Auguſtinus non minus piè quam verè ſcribit: Vita hæc eſt vita dubia, vita cæca, vita ærumnoſa, quam humores tumidant, dolores extenuant, ardores exiccant, eſcæ inflant, jejunia macerant, joci diſſolvunt, triſtitiæ conſumunt, ſolicitudo coartat, ſecuritas hebetat, divitiæ jactant, paupertas dejicit, juventus extollit, ſenectus incurvat, infirmitas frangit; mœror deprimit, & poſt hæc omnia mors interimit, univerſis gaudiis finem imponit. Ita quum eſſe deſierit, nec fuiſſe putetur. Pulchrum eſt igitur adagium πομφόλυξ ὁ ἄνθρωπος. Quo reſpexiſſe Lucianus videtur, qui vitas hominum bullis ſimiles facit, quarum aliæ ſimul atque natæ ſunt, protinus evaneſcunt, aliæ paulo diutius durant, omnes breviſſimis quibuſdam intervallis aliæ ſuccedunt aliis. Qua autem re poſſet magis extenuari hominis vita, quam ut Æſchylus apud Stobæum indicat? Is enim eam umbræ fumi ſimilem facit. Nam hi ſunt ejus verſus:

In Charonte

Τὸ γὰρ βρότειον σπέρμ' ἐφήμερα φρονεῖ,
Καὶ πιστὸν οὐδὲν μᾶλλον ἢ καπνοῦ σκιά.
Caduca molitur genus mortalium,
Neq́, certa res eſt ulla, nec tuta, haud magis
Atq́, umbra fumi.

Laudanda itaque eſt pietas noſtrorum majorum, qui Imperatoribus & Principibus ejuſmodi publica monumenta poſuerunt, ut non ſolum poſteritas admoneretur, nullum reſpectum perſonarum habendum poſt mortem, omniumque mortalium carnem maſſam lutoſam & putridam eſſe. Sed etiam ut caduca ab æternis diſcernerentur. De qua re epitaphium, quod in tem-

pio

plo cathedrali urbis Brunſvicenſis hodie legitur, præ cæteris memorabile eſt. id ſicut manu ſua mihi deſcriptum dedit vere nobilis, & eximia eruditione indefeſſoque ſtudio vir, Franciſcus à Domsdorf, huc inſerendum operæ precium dixi, licet appareat illud ſeculum potius rhythmorum, quam puritatis & proprietatis linguæ Latinæ, non ubique obſervata quantitate ſyllabarum, ſtudioſum fuiſſe:

Hic jacet Henricus quondam Dux, conditor hujus
Eccleſiæ dignus, nobilitate pius.
Moribus ornata ſibi conjunx eſt ſociata,
Pauperibus larga ſimplicitate pia.
Inclyta Mechtildis Anglorum filia Regis,
Nutriat angelicis hos DEVS ipſe cibis.
Adjacet aptatus Rex horum ſanguine natus,
Otto coronatus, vermibus eſca datus.
Hujus erat poſt ſponſa Philippi ſtirps generoſa,
Filia formoſa, nunc cinis, ante roſa.
Qui legis hæc metra, memor eſto orans pro poeta,
Quid caro, quid vita, quid res, niſi mors, cinis, umbra?

Huc ſpectat inſcriptio monumenti Roſimundæ, Henrici II. Anglorum Regis amicæ, in cœnobio Godſtoveio.

Hoc jacet in tumulo Roſa mundi, non roſa munda,
Non redolet, ſed olet, quæ redolere ſolet.

Hoc etiam Sabbas Caſtellioneus Eques Hieroſolymitanus ſuo epitaphio, quod vivens ſibi ipſe fecit, & conſpicitur in principio libri ſui, quem Italica lingua conſcripſit, eique titulum fecit, *Ricordi*, indicare voluit, id eſt ejusmodi.

D. O. M.

PUTREDINI ET CORRUPTIONI RESURRECTURIS UTINAM IN MELIUS SABBAS MEDIOLAN. EX GENTE CASTIL. FR. ET MIL. HIEROSOL. ET PARVO CONTENTUS VIXI. PARVO CONTENTUS ET SOLITARIUS HIC IACEO ANGUSTE. QVALIS FUERIM NEC EGO SCIVI NEC TU QVÆRAS QVISQVIS ES SI PIUS ES DEPRECARE DEUM PRO ME. HOSPES SOSPES ABI. VALE ET VIVE MEMOR LETHI. VIVENS MORITURO MIHI POSUI. MORTALIUM VITA ORTUS LABOR ET MORS. OBIIT AN. DOM. SAL. M. D. LIIII. DIE XVI. MARTII.

RELIQVUM MORTALE ET CORRUPTIBILE FRATRIS SABBÆ.

Rectiſſime igitur doctiſſimus Buchananus in ſuo Jephte miſeram conditionem humanæ vitæ elegantiſſ. hiſce verſiculis deplorat:

Non unquam mihi

Secura vita fluxit ulla portio,
Vt trudit undas unda, fluctus fluctui
Cedit ſequenti, pellitur dies die:
Semper premuntur præterita novis malis,
Dolor dolori, luctui eſt luctus comes.

Sane vita noſtra omnino naviganti ſimilis eſt. Is enim qui navigat, inquit D. Gregorius, ſtet, ſedeat, jaceat; ſemper vadit, quia impulſu navis ducitur: Sic & nos ſive vigilantes, ſive dormientes per momenta temporum quotidie ad finem tendimus. Quod etiam Seneca admonuit, prænavigamus, inquit, vitam: Et quemadmodum in mari, ut ait Virgilius noſter:

Epiſt. 71.

Terraq; urbesque recedunt.

Sic curſu rapidiſſimi temporis primum pueritiam abſcondimus, deinde adoleſcentiam, deinde quicquid eſt inter juvenem & ſenem medium, in utriuſq; confinio poſitũ, deinde ſenectutis optimos annos. Noviſſime incipit oſtendi publicus finis generis humani. Scopulum eſſe illum putamus dementiſſimi? portus eſt aliquando petendus, nunquam recuſandus. Plura ſtudioſus lector huic meditationi congruentia reperiet apud Franciſcum Patritium Senenſem in ſuo elegantiſſ. libro de Regno & Regis inſtitutione. Adjiciendam hoc loco putavi inſcriptionem, quam ex hieroglyphicis figuris in ſuo dialogo pio & ſpeculativo M. Gabriel Symeon Florentinus, ita interpretatur; Hanc quoque in libello ſuo peculiari precum propria manu ſcripſit Daniel Archiepiſcopus & Elector Imperij Moguntinus nuper defunctus:

Lib. 2. tit. 8.

VITA BREVIS. FORMA DECIPIENS. PECUNIÆ FLUXÆ. IMPERIUM INVISUM. BELLUM PERNICIOSUM. VICTORIA ANCEPS. CONCORDIA FALLAX. SENECIUS MISERA. MORS FELICITAS. SAPIENTIÆ FAMA PERENNIS.

Etſi autem Trebellius Pollio ita ſcribit: Doctiſſimi Mathematicorum centum & viginti annos homini ad vivendum datos judicant, neq; amplius cuiquam jactitant eſſe conceſſum, etiam illud addentes, Moyſen ſolum, Dei, ut Judæorum libri loquuntur, familiarem CXXV. annos vixiſſe, qui quum quereretur, quod juvenis interiret, reſponſum ei ab incerto ferunt numine, neminem plus eſſe victurum: tamen licet homines tam longævi adhuc eſſent, ſicut prima ætate Adamus & reliqui Patriarchæ, nihilum tamen atque breve tempus vixiſſent: Cæterum in Pſal. xc. qui eſt oratio Moſis viri Dei ſeptuaginta ſolummodo anni ætati hominis ſtatuuntur, & ſi multum eſt, octoginta: quod ſi quid amplius, labor eſt & dolor, quoniam tranſivimus & cito avolavimus, ut ibidem dicitur. Ætas ſane hominis varie diſtinguitur, ſicut ex diverſis autoribus collegit Petrus Meſſias Hiſpanus. Ut a. ea rectius cognoſcantur, viſum eſt Solonis diſtinctionem ætatum, quam Philo Hebræus doctiſſimus in ſuum commentarium de mundi opificio inſeruit, eamque elegiam Lilius Gyraldus ita tranſtulit, in fine hujus meditationis adjicere:

In vita Claudii Cæſaris.

In ſylvavariar. lection. part. 1. c. 40.

Lib. 2. De poet. hiſtor. Dial. 3.

Impu-

Impubes & adhuc infans quum septa molaris
Educit primum, septimus annus erit.
Quumque alios septem DEUS huic perfecerit annos,
Apparent pubis mollia signa novæ.
Tertia mox vestit tenera lanugine malas,
Heu nimis ætatis flos cito præteriens.
Iam juvenem viresque facit tibi septima quarta,
Virtutis profert certaq; signa viri.
Conjugiis et as maturum quinta ministrat,
Natorum & quibus est posteritatis amor.
Sexta hominis mentem cunctos adducit ad usus,
Qui queat ingenio rebus adesse suis.
Septima mente valet, valet & lingua, & simul isti
Octava, ambæ annis quatuor atque decem.
Nona ætate etiam mage mollia dicere quibit,
Virtutem ad magnam lingua etiam & Sophia.
Si nunquam ad decimæ mensuram exegerit annos,
Intempestivam non habet ille necem.

CAPUT XIII.

De misera conditione Acridophagorum, qui sunt Æthiopiæ populi.



ACRIDOPHAGI, uti scribit Diodor. & Strabo sunt Æthiopiæ *Lib. 4.* populi deserto contermini, homines paulo cæteris breviores, *Lib. 16.* macilenti, ac supra modum nigri. Veris tempore Zephyrus & Lybicus venti infinitum pene locustarum ex deserto ad eos deferunt numerum. Has sale, qui ibi plurimus est, superinfuso diutius servant, cibum gustu eis suavem: Hic est solus eorum per omne tempus locustarum victus. Neque enim pecora nutriunt; neque pisces edunt, procul à mari positi, neq; ullum aliud adminiculum habent. Corpore leves sunt, veloces cursu, & vitæ brevis, ut qui longissime vivunt, quadragesimum non excedant annum. Finis eorum admirabilis est. Nam propinquante senecta, pediculi alati non solum visu varii, sed specie horrida ac turpes, in corporibus nati, ventrem primo, tum pectus, deinde totum corpus parvo tempore exedunt. Qui morbum patitur, primum veluti scabiei cujusdam pruritu allectus, corpus scalpit, voluptate simul & dolore perceptis. Deinde exorientibus pediculis, simul effluente sanie, morbi acerbitate & dolore

percitus, unguibus corpus magno cum gemitu lacerat. Tanta vero vermium copia effluit, aliis ſuper alios tanquam ex perforato vaſe ſcatu rientibus, ut deleri nequeant. Hoc pacto ſive cibi ſive aeris cauſa miſerum ſortiuntur vitæ finem. Unde aliquis non abs re dicere poſſet, ex vermibus illos ali, & ab iisdem rurſum eos necari. Parum autem differunt ab his (quamvis ratio victus diverſa ſit) ii, qui à Luſitanis è remotioribus inſulis catervatim apportantur. Audivi enim ab illis, qui viderunt ſæpius appellentes naves onuſtas hujusmodi mancipiis, quæ à colore Negros appellant; ea ſicut Solinus Himantopodes gentes Lybiæ deſcribit, flexis nisibus crurum, repere potius quam incedere, & præter formam fere nihil habere commune cum homine, quem ratio & ſermo à reliquis animantibus diſtinxit: ſed hos Negros in ædificia in littore, inſtar latiſſ. horreorum, ad hoc conſtructa, veluti bruta, non habita ratione ætatis, ſexusve, promiſcue includi, donec emptorem reperiant. Hujus autem primum laborem eſſe, ut mancipia inſtruat & doceat intelligere, ſeſe animalia rationalia, id eſt, homines & non bruta eſſe. Non ſecus ac Strabo memoriæ de Corſicis mancipiis tradidit, quæ inquit, Romæ cernere eſt ſimul & mirari, quam agreſtis videatur effigies, quamque beſtiarum appareat diritas facieſque truculentæ. Aut enim vitam tolerare non poſſunt, aut per ſocordiam & ignaviam inſenſati dominos conterunt, itaq; licet pro eis paululum exponant precij, tamen pœnitentia torquentur. Unde vetus adagium extat, De Corſo, nec vivo, nec defuncto eſſe fidendum.

Cap. 30.

Lib. 5.

Caput XIV.

Æs putrefactioni non eſſe obnoxium, & alias res à putrefactione ſervare, atque de miro ritu ſepeliendi.



VIDI cum meis ſodalibus Venetiis (ex quibus honoris cauſa nominare libet Antonium à Maſſau doctum, nobilem & militarem juvenem, Pomeranum, qui ea re valde delectabatur) inter alias ſelectiſſimas antiquitates, & res rariſſimas, apud Lauredanum, qui poſtea Dux Venetus electus eſt, quaſdam imagunculas æreas, quas ipſius filius (qui nos in ædes paternas navicula vel uti vulgo vocatur Gondala ſua peculiari, ſicut Venetis mos eſt, advexerat) ſingulari humanitate nobis monſtrabat. Is affirmabat ea reperiri in Ægypto reconditas in corporibus defunctorum, & quidem eorum, de quibus piſſaphaltium facticium quod Arabes Mumiam vocant; ſumitur. Sæpius igitur cogitavi, an tantum ſuperſtitione quadam, veluti idola, iſtæ imagi-

imagines, quæ uti opinor, à Romanis sigilla appellabantur, terra conditæ essent, sicut nostro quoque tempore nonnunquam reliquiæ & imagines Sanctorum, quibusdam in locis monumentis conduntur: an vero ratio quædam subesset. Verum enimvero, quemadmodum non semel miratus fui veterum eximiam prudentiam, quæ plerumque conjuncta fuit superstitioni ipsorum, & ut Poeta quidam præstantiss. dixit:

Nil sine prudenti fecit ratione vetustas:

ita deprehendi, hæc idola ærea non absque peculiari ratione ita insuta cadaveribus fuisse. Constat enim ex sacris literis & historiis, veteres, Ægyptios præsertim, nimiam quandam curam & exactam diligentiam adhibuisse, ut conservarent cadavera suorum in monumentis integra, utque essent putrefactioni minus obnoxia. Ubi enim mortuum inquit Plato, corpus ceciderit *In Phædone.* & conditum fuerit, quemadmodum qui in Ægypto condiuntur, pene totum perdurat, longo quodam infinitoque tempore. Atque etiamsi nonnulla, corporis membra computruerint, ossa, nervi & hujusmodi: omnia tamen (ut ita dicam) immortalia perdurant. Ob hanc rem, adhibuerunt aromata, & alios odores, quos Arabia Fœlix profert. Neque ignorarunt, æs valde solidum esse, quare ——*Nexos ære trabes*—— apud Virgilium reperitur: *Et monumentum ære perennius*, apud Horatium. Experientia igitur edoctos, æs non tantum seipsum à putredine & ærugine quam diutissime conservare, sed etiam adversus putrescentia, peculiarem vim quandam habere; istas æreas icunculas (qualis vel similis fortasse fuit ea icuncula puellaris, vel potius laguncula, ut nonnulli legendum putant, licet à quibusdam, sed falso, acuncula legatur, quam Nero superstitione quadam, ut Suetonius refert, pro *In vita Neronis.* summo numine, trinisque in die sacrificiis colere solitus fuit) cadaveribus arbitror eos insuisse (non tamen inficior superstitionem aliquam accessisse) ut diutius à putredine asservarentur, cum præsertim ob hanc rem, etiam acutos mucrones æreos olim cadaveribus infixos fuisse testetur Pierius. *In Hieroglyphicis.* Ejusmodi clavi, cum fibulis æreis, non ita pridem apud nos in vicinia, quum forte monumenta vetustiss. in loco sylvestri invenirentur, inter ossa mortuorum reperti sunt, quos propterea diligenter asservo. Etsi autem non ignoro aliam sepeliendi & condiendi rationrm, de qua Lilius Gyraldus & alii nonnulli scripserunt, accedere: tamen hoc quod diximus, eo facilius accidere potest propter magnam differentiam cadaverum hominum Orientalium & Europæorum. Illi enim utpote ficciore constitutione, non ita putrefactioni obnoxii sunt, veluti hi. Idque constat ex Ammiano Marcell. *Lib. 19.* ubi dicit, Cadavera Romanorum à Persis in prælio cæsorum discerni potuisse. Nostrorum enim cadavera, inquit, mox cæsorum fatiscunt & defluunt, adeo ut nullius mortui facies post quatriduum agnoscatur. Interfectorum vero

vero Perſarum inareſcunt in modum ſtipitum corpora, ut nec liquentibus membris, nec ſanie perfuſa madeſcant, quod vita parcior facit, & ubi naſcuntur, exuſtæ caloribus terræ. Huc ſpectant ea quæ in fragmentis Varronis legimus: Perſas videlicet propter exercitationes pueriles modicas, eam eſſe conſecutos corpore ſiccitatem, ut neque ſpuerent, neq; emungerentur, ſufflatoque corpore eſſent. Ideoque teſte Xenophonte, uſi ſunt frequenter naſturtio in cibo; quod ideo factum Suidas in hiſtoricis putat, quod naſturtium urinam & ſputum (negantibus tamen Medicis noſtratibus illam vim, ſed potius contrarium naſturtio ineſſe) inhibeat. Cavent enim, inquit, Perſæ, ne multum expuant, mingant & emungant. Eodem modo non ignorarunt, pueros, ut idem Varro teſtatur, impuberes, ſi plurimo cibo nimioque ſomno utantur, hebetiores fieri, hincq; elici tarditatem, corporaque eorum improcera fieri, minusque adoleſcere. Etſi autem tanta firmitas corporum Perſis attribuitur, tamen Herodotus tradit, Perſarum capita adeo fragilia eſſe, ut ſi velis ferire, vel ſolo calculo perforare poſſis: Ægyptiorum autem ita firma ut ea vix ictu lapidis elidas. Hoc autem ideo accidere, quod Ægyptii ſtatim à pueris radere capita incipiunt, & os capitis ad Solem redditur compactum. Quæ eadem cauſſa eſt calveſcendi. Nam ex omnibus, inquit, hominibus pauciſſ. quis Ægyptios calvos videat, cujus rei hoc cauſſæ eſt, quod robuſta capita geſtant. At Perſis cur fragilia ſint capita, id in cauſſa eſt, quod à principiis imbuuntur operire capita, geſtantes pileos tiaraſque. Eadem fere quæ Marcellinus de cadaveribus Perſarum inareſcentibus ſcripta reliquit, de Hiſpanis novum Orbem ſubigentibus, dici poſſent, ut ex epiſtola à milite quodam ad Medicum Hiſpanum è Lima Peruana Anno 1568. miſſa apparet, quæ allegatur in additionibus apud Benzonē. Indos videlicet quum infinitos Hiſpanos trucidaſſent: eos tamen eſui aptos negaſſe. Quippe duriori & exucca carnē, niſi trucidati tres aut quatuor dies macerentur. Benzo autem ibidem aliam rationem aſſignat, quare ἀνθρωποφάγοι iſti ab eſu carnium interfectorum Hiſpanorum abſtinuerunt. Poſtquam enim de acerrimo odio Indorum erga Hiſpanos multa dixit, ſuosque commilitones impios ſceleratos ac perfidos Chriſtianos, indignos quos terra vivos ſuſtineat, adeo ut ne eorum conſpectum indigenæ ferre poſſint, ſed eos Viracochias, id eſt ſpumam maris vocitent, retulit: Quanquam inquit, omnes ejus ferme oræ accolæ humanis carnib. veſci conſueverint: ex iis tamen nonnulli, Hiſpanorū cadavera, qui prælio ceciderant, cæteris mandentibus, à tali cibo abhorrebant, veriti nempe, ne etiam tum eæ carnes corporibus ſuis aliquid damni afferrent. Sane ne nimis extra propoſitum vagemur, mirū eſt, quod Ortelius ex Gyraldo Cambr. notavit. In Artanicis Inſulis hominum corpora non putreſcere, ideoq; non humari, ſed dio expoſita, permanere incorrupta. Sic homines avos, atavos,

In Thalia.

In hiſt. novi orbis lib. 1. c. 23.

In Theatro orbis Tabula X. de Hibernia.

vos, tritavos, longamque ſtirpis ſuæ ſeriem, magna admiratione cognoſcere. Idem mos eſt quibuſdam Indis occidentalibus in Comagra, ut Petrus Martyr refert. Reguli hujus inquit, penetrale ingreſſi Hiſpani, cameram reperiunt penſilibus refertam cadaveribus, goſſam pineis funibus appenſis. Interrogati quid ſibi vellet iſta ſuperſtitio, parentum eſſe, avorum, atavorumque Camagri Reguli ea cadavera, inquiunt. De quibus ſervandis maximam eſſe apud eos curam, & pro religione pietatem eam haberi recenſent. Pro cujusque gradu indumenta cuique cadaveri impoſita, auro gemmisque ſuperintexta.

De reb. Ocean. decad. 2. lib. 9.

Caput XV.

De pœnis contra ocioſos & ignavos conſtitutis.
ET
Quam inviſum ſit ocium.

TRITUM eſt: Ocia dant vitia. Item proverbium: Qui è nuce nucleum eſſe vult, frangat nucem, id eſt, Qui commodum appetit, ne fugiat laborem. Ob eam rem antidoti loco, ut vitijs quaſi compedes injicerentur, multæ ſalubres leges paſſim extant, ex quibus dignoſcitur, quam variis modis, & merito quidem ocium (de illo ocio loquens quod ſine literis eſt, & Seneca, mortem & hominis vivi ſepulturam dicit:) ſemper exoſum, induſtria autem & φιλοπονία, ſicut Græci eleganti nomine exprimunt, commendata ſit. Qui enim deſides, ignavi & oſcitantes vivunt, non hercle magis vivunt ſecundum Crinitum, quam ſtolidæ pecudes & meræ beluæ. Neque enim vivunt, ſed ſpiritum trahunt, ſicut pecudes ſolent. Quo factum eſt, ut Nomothetæ non ſolum ſalubres leges, ut modo diximus, verum etiam pœnas acerrimas contra iſtos deſides atque ocioſos ſtatuerint, eoſque jure infames dixerint. Siquidem & Solon ipſe in ſuis legibus inertiam hanc turpemque ignaviam ſeveriſſime culpavit. QUI DESIDIAM, inquit, SECTATUS EST, IS ACCUSANTIBUS ESTO OBNOXIUS. Extant præterea Draconis Athenienſis leges, qui in ocioſos pœnam mortis ſtatuit. Et in noſtris legibus Juſtin. Imperator dicit: Mens inerti ocio dedita haud ſane quicquam bonorum peperit. Sumpſit hoc fortaſſe ex Sophoclis Iphigenia, qui prudenter monet:

Lib. 2. de honeſta diſciplina c. 12.

In Auth. de monach. & c. col. 10. tit. 139. paulo ante fin.

τίκτει γὰρ ὐδὲν ἐσθλὸν εἰκαῖα σχολὴ,
θεὸς δὲ τοῖς ἀργῦσιν ὐ παρίσαται,
Nihil boni parit ocium inane,
DEUS enim ociantes non adjuvat.

De

De Brachmanis philoſophis traditum eſt, quod pueros impranſos foras extrudere ſoliti ſint, ſi quando nihil utilis operæ vel parentibus, vel ſuis rebus neceſſariis dediſſent. Parthi quoque more recepto obſervarunt, ne quis die exorto ante liberis victum præberet, quam curſus jaculandique certamine ſuſcepto, ſudore circum capita diffuſo feſſi permaduiſſent. Id ipſum Platonem movit, qui citat Heſiodum ſapienter dicentem, Viam quæ ad vitia ducat æquam eſſe & planam, ac ſine ſudore iter expeditum exhibere, quippe quæ brevis ſit:

Lib. 4. de Legibus.

> τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
> ἀθάνατοι· μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτὴν
> καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον, ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηται
> ῥηιδίη δ' ἤ πειτα πέλει, χαλεπή περ ἐοῦσα.
> *Virtutem at ſuperi ſudoribus undique multis*
> *Vallavere, & ad hanc via longa atque ardua ducit.*
> *Aſpera quin etiam eſt, ſed tandem in vertice ſummo*
> *Plana eſt ac facilis, fuerit prius aſpera quamvis.*

Animadverterunt enim prudentiſſimi viri, ſine labore omnino nihil inter homines diuturnum eſſe poſſe, & omnia, ut quidam docuit, labore à diis vendi mortalibus. Ideoque Cic. dicit: Neque ita generati ſumus à natura, ut ad ludum & jocum facti eſſe videamur, ſed ad ſeveritatem potius, & ad ſtudia quædam graviora atque majora. Unde Cato ſenior commilitonibus inculcare ſolitus eſt, quod uniuscujusque menti infixum eſſe convenit: Si cum labore præclari quiddam egeris, & quod honeſtati ſit conjunctum; laborabis, honeſte factum remanet; Si cum voluptate quidquam commiſſum ſit; voluptas, ut res momentanea, cito avolat, atque evaneſcit: improbitas vero & nequitia, ut indelebile vitium perpetuo adhæret. Pia præterea & memorabilis admonitio continetur his verſibus:

Lib. 1. Offic.

> *Non niſi per magnos voluit DEVS eſſe labores*
> *Ad ſua regna viam, nec ſidera ſegnibus offert.*

De qua re, tanquam trita & vulgari, licet multa egregia exempla recenſere poſſemus; præ cæteris tamen duorum Regum Ægypti memorabilia ſunt; qui ut ocij fuere impatientes; ita ignaviam ſummo odio proſecuti ſunt. Narrat autem Herodotus Seſoſtrem Regem primum omnium Regum longis navibus Arabicum ſinum prætervectum populos rubri maris accolas in poteſtatem ſuam redegiſſe, indeque retro iisdem veſtigiis reverſum; coactis ingentibus copiis transgreſſum in continentem, infeſto exercitu obvias ubique gentes ſubegiſſe, ex Aſiaque in Europam transgreſſum Thraces & Scythas vi domuiſſe. Unde digreſſus ad Phuſim amnem iter contendiſſe dicitur.

citur. Quaſcunq; autem gentes nactus erat ſtrenuas, & pro libertate tuenda acriter & percupide dimicantes, per harum ille regiones ſtelas, id eſt, cippos lapideos ſtatuebat, literis ſignificantes ipſius Regis nomen & patriam, & ut copiis eos propriis ac viribus ſubegerat. Alexander autem de Alex. refert, trophæum cum eum coleis & virili membro erexiſſe. Quorum vero urbes nullo negocio, aut incruento certamine cepiſſet, apud hos itidem, ut apud illos, qui ſtrenuitatis ſpecimen ediderant, cippos quoque ſtatuebat, atque eo amplius muliebria genitalia adſculpebat, ſignificare volens eos ignavos & deſides eſſe. Hujus rei meminit quoque Pierius in hieroglyph. Amaſis deinceps Rex Ægypti etiam legem ſancivit contra ocioſos & ignavos. Nam ejus memorabilis ſanctio fuit, ut ſinguli quotannis apud Naumarchem, id eſt, cujusque præfecturæ præſidem profiterentur, unde viverent; qui autem hoc non faceret, aut genus vitæ præſidi approbare non poſſet, huic pœna extremum ſupplicium eſſet. Hanc legem Solon ex Ægypto mutuatus Athenienſibus promulgavit, qua illi ſemper uſi ſunt, lege ſane inculpata. Areopagitas quoque hac lege jurisdictionem exercuiſſe teſtis eſt Athenæus his verbis: ὅτι δὲ ἀσώτους καὶ τοὺς μὴ ἔκ τινος περιουσίας ζῶντας τὸ παλαιὸν ἐκάλουν Ἀρεοπαγῖται καὶ ἐκόλαζον, ἱστόρησαν Φανόδημος καὶ Φιλόχορος, ἄλλοι τε πλείονες. id eſt, Quod autem patrimoniorum profligatores, eosque qui nullis facultatibus victitarent, Areopagitæ in judicium vocarent, pœnisq; & ſuppliciis afficerent, memoriæ mandarunt Phanodemus & Philochorus, pluresq; alii. Deinde idem autor Athenæus hujusmodi exemplum ejus rei ſubdidit. Siquidem Menedemus, inquit, & Aſclepiades erant juvenes ambo philoſophiæ quidem ſtudioſi, ſed egeſtate præditi. Hos Areopagus pro poteſtate accitos interrogare inſtitit, quonam pacto fieret, ut quum dies ipſi totos Philoſophis operam darent, nihil in cenſu habentes, bona nihilominus habitudine corporis viderentur. Ad hæc illi reſpondentes, quum piſtorem quendam accerſiri poſtulaſſent, & ille accerſitus veniſſet, eum interrogandum duxerunt. Qui quum rogitantibus Areopagitis dixiſſet, una quaque nocte illos in piſtrinum deſcendere ſolitos, ibique frumentum molentes, pro nocturnis operis drachmas utrumque ſingulas ferre; admiratus Senatus, ducentas eis drachmas ob virtutem decrevit. Ob eam etiam cauſam Scipionis Africani induſtria & ſedulitas celebratur, qui dicere ſolitus eſt: Se nunquam minus ocioſum eſſe, quam quum ocioſus eſſet. Et Scipio Naſica quibusdam dicentibus, res Romanas jam in tuto eſſe, extinctis Carthaginenſibus, & Græcis in ſervitutem redactis. Imo, inquit, nunc demum ſumus in periculo ſummo, poſteaquam nulli ſuperſunt, quos vel timeamus, vel revereamur. Senſit ſane inimicos per occaſionem utiles eſſe nobis, per quos non licet impune ſecureque eſſe negligentes & ſegnes. Huc reſpexit Cato quo-

Lib. 1. c. 22. genial. dierum.

Lib. 34. de pudendis.

Lib. 4.

que, qui voluit unicuiq; qui nomen ſibi acquirere ſtuderet, cogitandum, quo pacto ratio reddenda illi foret, non tantum negociorum, ſed & ociorum. Conſtat namq; ex hiſtoriis Romanorum fere potentiſſimos à primordio urbis propriis manibus laboraſſe, ſicut habemus inſigne exemplum in L. Quintio Cincinnato, qui ab aratro in curiam deductus fuit. Nam priſcis temporibus proceres civitatis morabantur in agris, & ſi quando Conſilium publicum cogendum erat, à villis accerſebantur in Senatum. Unde tritum apud veteres agriculturæ ſtudioſos proverbium erat, Omnium optimum eſſe fimum, qui ex frequenti veſtigio domini in agrum caderet, & ſicut equum, ita quoque agrum impinguare domini oculum. Hinc agrum male colere Cenſoria nota,
Lib.4.c.13. & Caſtigatio Cenſoria minus arare quam verrere. Ita enim dicit Cato, ſicut à Gellio refertur: Si quis agrum ſuum paſſus fuerat ſordeſcere, eumque indiligenter curabat, ac neq; araverat, neq; purgaverat, ſive quis arborem, vineamque habuerat derelictui, non is ſine pœna fecit, ſed erat opus Cenſorium, Cenſoreſque ærarium faciebant. Ad hanc φιλοπονίαν & frugalitatem Roma-
Lib 1.Faſtorum norum etiam Ovidius ſpectavit, inquiens:

Frondibus ornabant quæ nunc Capitolia gemmis,
Paſcebatq; ſuas ipſe Senator oves.
Nec pudor in ſtipula placitam cepiſſe quietem,
Nec fœnum capiti ſuppoſuiſſe fuit.
Iura dabat populis poſito modo Prætor aratro,
Et levis argenti lamina crimen erat.

Laudarunt igitur veteres ob hanc cauſam Lacedæmonios, qui ſic invocandos deos exiſtimabant, ut manum etiam admoveremus, noſtram ſcilicet operam addentes, neque enim eos aliter exaudire. In hanc ſententiam Salluſtianus Cato, Non votis, inquit, neq; ſuppliciis muliebribus auxilia deorum parantur: vigilando, agendo, bene conſulendo, proſpere agendo omnia cedunt: ubi ſocordiæ te & ignaviæ tradideris, ne quicquam deos implores, irati, infeſtiq; ſunt. Huc reſpexerunt prudentes Romani, quod Agenotiam, quæ ad agendum excitaret, Stimulam, quæ ad agendum ultro ſtimularet, Strenuam, quæ faceret ſtrenuum, intra Urbem tanquam deas colerent, & ſacra publica illis conſtituerent. Quietem vero deam publice ſuſcipere noluerunt, ſed ante Urbem in via Lavicana fanum illi deſtinarunt. Rectiſſime
Lib.19.c.10 igitur à Q. Ennio in ſua tragœdia, cui titulum fecit Iphigenia, ſcribitur, ut refert Gellius:

Ocio qui neſcit uti plus negocii habet,
Quam quum eſt negocium in negocio.
Nam cui quod agat inſtitutum eſt nullo negocio
Id agit, ſtudet ibi, mentem atq; animum delectat ſuum.

Ocioſo,

Ocioso, initio animus nescit, quid velit.
Hoc idem est; neq; domi nunc nos, nec militiæ sumus.
Imus huc, hinc illuc: quum illuc ventum est, ire illinc lubet.
Incerte errat animus, præter propter vitam vivitur.

Ne autem omnino in ethnicis sanctionibus, præceptis & actionibus hæreamus, audiamus hac de re Sacras literas, in quibus non minus ad perferendum laborem, & fugiendum ocium admonemur, quam nobis alia delicta prohibentur. Salomon sane in Proverbiis ita damnat ocium & ignaviam, ut dicat, Qui ignavia sua tempestive non arat, ei hyberno tempore mendicandum esse. Notum etiã est, quod Paulus Apostolus præcipiat, Qui nõ laborat, non manducet. Etenim unumquemq; recepturũ mercedẽ secundum labores vel opera sua. Item Ignatius coætaneus Apostolorum in epistola ad Antiochenos: Nemo iners & ociosus edat, ne vagus fiat & scortator. Et ad Tarsenses: Nemo inter vos ociosus sit. Mater n. egestatis inertia. Et apud Jobum legimus: Hominem ad laborem nasci, sicut avem ad volandum. Ideoq; Augustinus pie & recte scribit, illam eleemosynam Deum approbare, quæ de justis laboribus ministratur. Merito autem ocium omnib. invisum esse debet, cum secundum Bernhardum id cogitationum & tentationum malarum sit incentivum. Qui etiã in epistola ad Rusticum scribit, Ægyptiorum monasteria hũc tenere morem, ut nullum absque opere & labore suscipiant, non tam propter victus necessitatem, quã propter animæ salvationem. Nam sicut in terra inculta nascuntur vepres, & in aquã immota vermes: ita in anima ociosa malæ cogitationes proveniunt. Sunt enim nostri animi ad aliquid agendum nati & appositi: itaq; opere pascuntur, roborantur, gaudent: ocio vero dissolvuntur, inertia decidunt. Et ut arcum intensio, ita animos remissio frangit, nec omnino possunt nihil agere, ut ad libidinem & flagitia, & his graviora etiam facinora prolabi necesse sit, quum melius aliquid deest, quo occupantur. Etenim nunquam facilius subrepit astus diabolicus, quam in ocio, nec alias promptius exercet artes suas Venus, nec in fœmina modo, sed in fortiore animante ac constantiore viro, ut pulchre dociss. Vives monet. Unde accidit, sicut Papyrius Massonius memoriæ tradidit Childericum Regem consensu Stephani Pontificis Romani in gratiam Pipini depositum ac detonsum in monasterium relegatum esse, exemplo publice salubri, ut Reges imbelli ocio victi pro virtute ignaviam colant. Semper enim illustrib. familiis ocium & ignavia exitio fuere. Eodem modo rectiss. in bene constitutis Regnis & Rebuspub. contra inertes & ociosos inquiritur unde sint, quid in loco sine labore faciant, & de quo vivant. Sicut peculiares Constitutiones Saxoniæ Electorales extant, quib. mandatur, ut hospites & caupones ociosos & ignavos homines ultra triduum apud se nõ retineant, & si migrando de una caberna ad aliam, vel

Cap. 5. De vita Christiana.

De Christiana fœmina. lib. 1.

Lib. 1 in annal. Franc.

alia de cauſa ſuſpicio contra illos oriatur, ut deferant eos magiſtratui, qui de vita & moribus eorum diligenter inquirat; ſiq; ſontes reperiat, pro merito puniat. In primis autem in oppido Miſniæ Leucopetra vel Weiſſenfelſio ad Salam, non procul à finibus Turingiæ, acris inquiſitio erga tales ignavos & vagabundos homines eſſe ſolet. Unde in patibulo, quod in edito loco ad bivium in via regia ſtat, plerunq; conſpicies pendentes manipulum furum utriusq; ſexus. Idem fit Rubeaci in Alſatiæ civitate (quæ à Romanis Anno poſt natum Chriſtum CLXVI. condita perhibetur) graviſſimæ enim pœnæ ex acri inquiſitione in fures ibi conſtitutæ ſunt, eæq; tam ſtricte & ſevere exercentur, ut tritum ibi ſit proverbium: Der Galgen zu Rufach hat gut Eychen Holtz. Compertum enim eſt, hac inquiſitione ſæpiſſime detecta eſſe latrocinia, furta & alia ſcelera. Nemo enim de vento vivere præſumitur, ut Alexander Imp. reſcripſit. Hoc ipſum prębuit cauſſam veterib⁹, ut leges ſumptuarias conſtituerent, qualis fuit olim apud Corinthios. Ii enim, ſi quem cernerent ſplendidius obſonari, hunc interrogare ſolebant, unde illi ſumptus competerent ei, quidve ageret? Quod ſi huic vitæ generi ſumptus ſuppeterent; frui ſinebant: Sin autem ſumptus facultates excederent; jubebant in poſterum moderatius uti: ni pareret mulctam imponebant. Quod ſi nihil quum haberet, attamen ita ſplendide & opipare viveret; necandum carnifici tribuebant, quia aut hunc furem eſſe, aut noctibus ſpoliare, aut cum furibus participare, aut falſa teſtari, aut accuſare neceſſe eſſet. Hanc legem Athenæus ex Diphilo in Mercatore ita refert:

L. fin. C. de alim. publ. præſtand.

Lib. 6. c. 2.

Eſt optime hic ſtatutum apud Corinthios,
Si quempiam obſonare ſemper ſplendide
Videmus, hunc rogamus, unde vivat, &
Quid faciat operis? ſi facultates habet,
Ut reditus harum ſolvere expenſas queat;
Perpetimur illum perfrui bonis ſuis.
Sin forte ſumptus ſuperat ea, quæ poßidet;
Prohibemus huic ne faciat in poſterum.
Ni pareat, jam plectitur mulcta gravi.
Sin ſumptuoſe vivit is qui nihil habet,
Tradunt eum tortoribus. Proh Hercules.
Nec enim licet vitam absq; malo ullo degere
Talem; ſcias. Sed eſt neceſſe aut noctibus
Abigere prædam, aut fodere muros ædium.
Aut hac patrantum jungier commercio,
Aut in foro agere Sycophantam: aut perfidum
Præbere teſtem. Nos genus hoc mortalium
Ejicimus hac ex urbe, velut purgamina.

Poſtre-

Poſtremo pulchra eſt explicatio hieroglyphicarum figurarum quæ à Poliphilo in ſua Hipnerotomachia Italica ponitur, talis videlicet.

EX LABORE DEO NATVRÆ SACRIFICA LIBERALITER. PAVLATIM REDVCES ANIMVM DEO SVBIECTVM FIRMAM CVSTODIAM VITÆ TVÆ MISERICORDITER GVBERNANDO TENEBIT INCOLVMEMQVE SERVABIT.

CAPUT XVI.

De validis mendicantibus.



ORTE fortuna incidi in librum quendam, in quo hæc ſcripta erant: Tria genera hominum debent expelli de civitatibus; leproſi, cadavera mortuorum, mendicantes validi. Venit igitur mihi in mentem non ſine gravi cauſſa in vetere lege à Moyſe præceptum fuiſſe Judæis, ne illi egenos & mendicos inter ſe patiantur, unde colligendum eſt, quam exoſum ſemper fuerit hoc genus hominum; qui veluti fuci ſeſe aliorum laboribus ſuſtentare, & alimenta egenorum ſurripere ſatagunt. Quare ſi leges Cæſareæ volunt, quod filius qui poteſt ex induſtria ſua victum quærere, non ſit à patre alendus, multo magis ii ferendi non ſunt, qui bona habitudine corporis prædíti, ſe ipſos labore ſuo ſuſtentare poſſunt, ne damno aliorum pingueſcant. Juſtius igitur aliquis fecerit, ſi injuſte petentem correxerit quam ſi ei dederit. Hac de re habemus legem Platonis talem; NEMO IN NOSTRA CIVITATE MENDICUS ESTO. Et idem Plato dicit, In ea civitate, in qua videas mendicos, ibidem eſſe fures latebras quæritantes ſectores, ſacrilegos, & hujusmodi ſcelerum artifices. Non abſimiles etiam fuit lex Gratiani, Valentiniani & Theodoſii Impp. quæ eſt inſerta in Codice Juſtiniani ſub titulo de mendicantibus validis. Et extat Caroli Magni conſtitutio, in qua mendicis palantibus vetuit quicquam tribui: ſuos quamq; regionem inopes alere, ſanos validos labore victum quæritare, ac deſiderio ſufficere manus juſſit. Huc reſpexerunt etiam Conſtitutiones Imperii moderniores, quibus ſtatuitur, ut hoc ſegne atq; futile genus hominum, & velut rapto vivens non feratur. Ex iisdem cauſis veteres in bene conſtitutis Regnis & Rebuspub. non tulerunt eos, qui ſpecie religionis ſegniciem ſuam tegere, & alieno labore victitare voluerunt. Ita enim ſcribit Valer. Max. de Maſſilienſium Repub. Omnibus qui per aliquam religionis ſimulationem alimen-

L. ſi quis §. Sed ſi filius De lib. agnoſc.

Lib. 11. de legib.

Lib. 8. de Repub.

Lib. 2. c. 1.

menta inertiæ quærunt, clauſas portas habet, & mendoſam & fucoſam ſuperſtitionem ſubmovendam eſſe exiſtimans. Saluberrimam igitur doctrinam habemus in Eccleſiaſtico, ubi dicit: Fili vitam mendicam ne degeris, mors enim mendicitati eſt præferenda. Viri menſam alienam ſpectantis vita, non eſt pro vita reputanda, animum enim ſuum alienis contriſtat cibis. Cavebit autem vir prudens & eruditus. Ori impudenti ſuavis eſt mendicitas, & in ventre ejus ignis ardet. Huc ſpectaſſe videtur Joannes Aventinus, ubi ita dicit: Numquam ſane ab eo tempore, quo mendicantes monachi exorti fuere, ſtatus Eccleſiæ fuit felix. Novitationib. ſemper ſtuduere plebem adverſus Eccleſiaſtes ſuos Epiſcoposq; concitare; more corvorum cadavera hiante rictu ſectati ſunt; vetera tam Chriſtianorum, quam gentilium Philoſophorum monumenta & artes oppreſſerunt. Profecto quocunq; tandem modo ſuam hypocriſin tueantur, extra controverſiam eſt, mendicare æque atque fornicari à Deo prohibitum eſſe, nec apud veteres illos Chriſtianos mendicantibus locum ullum fuiſſe. Sacra ſcriptura mendicitatem ut ſummum probrum deteſtatur. Chriſtiani illi veteres tripartito decimas diſtribuebant: Una pars erat pauperum, qui vel per ætatem, vel per languorem corporis laborare haud valebant. Mendicare inter eos nefas erat. Huc usq; Aventinus. Lepide igitur, ſi non recte, mendicis validis & ocioſis, qui mendicandi victus quaſi artem quandam factitant, jubetur panis dari, & inſuper quaſi pro obſonio pugnus impingi. Illud quidem, quia homini panem petenti negare vix hominis videtur: hoc autem, ut diſcant ab illa fœda parandi victus ratione abſiſtere, & intelligant, ſe bonis omnibus merito odioſos eſſe. Verſus Græcus, ſicut à Mureto in ſuis variis lectionibus inducitur, hic eſt:

Cap. 4.

De rebus Turcicis.

Δὸς ἄρτον πτωχῷ καὶ κόνδυλον ὄψον ἐπ' αὐτῷ.

Hæc mihi meditanti venit in mentem hiſtoria elegans, quam recenſet Jodoc. Damhoud. in ſua praxi criminali. Quum Gandavi, inquit, cum aliquot Senatorib. Brugenſib. ſederem ante portam domus Senatoriæ, mendicus quidam gemebundus & plorabundus miris q; modis Iri paupertatē ſimulans, eleemoſynam petit, habere ſe latens vitium ac malum prædicat, quod pudor illius hominum conſpectui exhibere deterreat. Ipſius miſerti ſinguli mendico eleemoſynam largimur, mendicus à nobis digreditur. Unus noſtrum jubet famulum ſuum hunc mendicum inſequi, & propius quid latentis vitii haberet, perquirere. Paret is mandatis, mendicum rogat, quodnam ſit illud latens vitiū quo ſe laborare dicebat, inſpicit faciem, videt pectus, videt brachia, omniaq; nitentia & valida comperit. Nihil, inquit, famulus, in te mali video. Ah, inquit mendicus, longe aliud eſt malum, quod me premit, quodq; à tuis obtutibus remotum eſt, nempe, tale malum, quod per univerſum corpus meum ſerpſit, quod per venas ac medulla ita graſſatur, ut nullū ſit mihi corporis mem-

Cap. 110. n. 55.

brum

brum quod ſeſe laboribus ac operis tradere valeat. Hoc malum vocari audio pigritiam,& deſidiam. Quid? hæccine noxia admodum ſunt vitia? Famulus hic ſtomachabundus diſcedit, ad ſuos redit. Rogatur, quod fuerit illud latens malum. Famulus, ut à mendico edoctus fuit, rem explicat, cognitum illud latentiſſimum malum, quod multos alios premit, aperit. Reſponſum cum riſu excipitur. Mox perquiritur mendicus, verum alio ſe ſubduxerat. Annectit idem Damhoud. aliam hiſtoriam, non minus lepidam, quam propter prolixitatem omiſi, quum præſertim ipſius praxis in manibus habeatur: recte igitur hoc ſceleſtiſſimum genus mendicantium deteſtatur, & quod infinitorum malorum autores ſint, Cornelius Agrippa multis exemplis & rationibus demonſtrat.

In libro de incertitud. & vanitate ſcientiarum cap. 65.

CAPUT XVII.

De Cingaris, quos Germani Zigeuner *vocant.*

NOTUM eſt in Germania & alibi genus hominum vagum, & inutile, qui vulgo Zigeuner/apud Italos *Cingari*, ab Hiſpanis *Gittani*, à Gallis *Ægyptii* vocantur,

Quos aliena juvant, propriis habitare moleſtum,
Faſtidit patrium non niſi noſſe ſolum.

De quorum origine,& unde veniant, diverſi diverſa ſentiunt. Quidam enim putant eos originem ducere à Chuſo, quem ferunt filium fuiſſe Chami, & oriundos eſſe ex Ægypto & Æthiopia, atque adhuc usque progenitoris maledictionem luere, per univerſum Orbem vagantes. Alii, inter quos eſt Polydorus, volunt eos eſſe Aſſyrios & Cilices. Volaterranus credit illos ab Uxiis ex Perſia ortum ſuum habere. Sed aliter rem ſe habere experientia oſtendit. Nihil enim aliud ſunt, quam manipulus furum, ut ille ait, & colluvies ocioſorum & fraudulentorum hominum ex variis nationibus, non ita remotis, ſed vicinis collecta, qui extra civitates in agris, in triviis, tentoria erigentes latrociniis & furtis, deceptionibus & permutationibus, atq; ex chiromantica divinatione, oblectantes homines, iis fraudibus victum mendicant. Fabulas quoq; meras fingunt, ſibi ex patriis ſedibus neceſſariam migrationem, neſcio quibus de cauſis injunctam eſſe: ſi ſecus fecerint,& nō quotannis hordas ſuas, id eſt, multitudinem hominum utriusq; ſexus exulatum miſerint; calamitatem & ſterilitatem certam omnibus præſto eſſe. Pierius in hieroglyphicis

cis ſcribit, nonnullos arbitrari, hoc hominum genus ab ave Cinclo (cujus pictura veteres extremæ paupertatis hominem ſignificare voluerunt, unde proverbium, teſte Suida ortum: Pauperior leberide & cinclo) nomen accepiſſe. Ita enim inquit: Cum cinclus inops adeo ſit, neq; certo usquam lare utatur, nonnulli errones illos, qui nunc totum terrarum Orbem mendicabundi, cum Chiromanticis uxoribus & liberis peragrant, nusquam domos certas habentes, quos vulgo Cingaros vocamus, Cinclos ab avis hujus ſimilitudine appellatos arbitrantur, &c. Unde Eraſmus ait, Ruſticos mendicos & errones Cinclos vocare, adducit teſtimonium Æliani, qui dicit hoc genus hominum Græcos ἀνεςίους nominare, hoc eſt, expertes penatium. Cæterum, ut rectius cognoſcamus, cujates ſint iſti impoſtores, audiamus Albertum Crantzium, cujus hæc verba ſunt: Quum ageretur à CHRISTO annus decimus ſeptimus poſt mille quadringentos, primum apparuere his noſtris maritimis locis ad mare Germanicum, homines nigredine informes, excocti Sole, immundi veſte, & uſu rerum omnium fœdi, furtis inprimis acres, præſertim fœminæ ejus gentis. Nam viris ex furto fœminarum victus eſt. Tartaros vulgus appellat. In Italia vocant *Cianos*. Ducem comites milites inter ſe honorant. Veſte præſtantes, venaticos canes pro more nobilitatis alunt, ſed ubi venentur, niſi furtim, non habent. Equos ſæpe mutant, major tamen pars pedibus graditur. Fœminæ cum ſtratis & parvulis jumento invehuntur. Literas tum prætulerunt Sigiſmundi Regis & aliquot Principum, ut tranſitus illis per urbes & provincias incolumis permittatur, innoxiusque. Ferunt ipſi ex injuncta ſibi pœnitentia mundum peregrinantes circumire, ſed fabellæ ſunt. Hominum genus, quod uſu compertum eſt, in peregrinatione natum, ocio deditum; nullam agnoſcens patriam, ita circuit, furto, ut diximus, fœminarum victitans: canino ritu degit: nulla religionis illi cura: in diem vivit, ex provincia demigrat in provinciam: per aliquot annorum intervalla redit, ſed multas in partes ſcinditur, ut non iidem in eundem facile redeant, niſi per longa intervalla, locum. Recipiunt paſſim & viros & fœminas volentes in cunctis provinciis, qui ſe illorum miſcent contubernio. Colluvies hominum mirabilis, omnium perita linguarum, ruſticæ plebi graviter imminens: ubi foris illi laborant in agris, hi ſpoliis invigilant caſellarum. Aventinus quoq; hanc impoſtorum progeniem ſuis vivis coloribus egregie depinxit, cujus verba ex annalibus Bojorum inſerere operæ precium exiſtimavi: Eadem tempeſtate (anno videlicet poſt natum CHRISTUM M.CCC.XXXIX.) furaciſſimum, inquit, illud genus hominum, colluvies atq; ſentina variarum gentium, quæ in confinio imperii Turcarum atq; Ungariæ habitant (*Zigenos* appellamus) Rege Zindelone noſtras peragrare cœpere regiones. Furto, rapina, divi-

In Adagiis de natura animant. lib. 11.

In Saxonia lib. 11. c. 2.

Lib. 7. non procul à fin.

divinationibus impune prorsus victum quæritant. Ex Ægypto se esse mentiuntur, extorresque domo à superis cogi, majorum delicta, qui Deiparam virginem cum puero Jesu hospitio excipere recusarint, septem annorum exilio expiare, impudentissimè confingunt. Experimentis cognovi, eos uti Venetica lingua. Et proditores atque exploratores esse, cum alii, tum inprimis Maximilianus Cæsar Augustus, & Albertus parens Principum nostrorum publicis edictis testantur, adeo tamen una superstitio hominum mentes velut lethargus invasit, ut eos violari nefas putent atque grassari, furari, imponere passim impunè sinant. Hæc Aventinus. Tale genus hominum futile & detestabile in Asia apud Mahumetanos passim quoque vagari, hisce nostratibus Europæis Cingaris sceleribus, imposturis, furtis aliisque nefandis vitiis, multis nominibus superiores, ipsisque Turcis prudentioribus, (licet sub titulo sanctitatis sese tueantur) ob hypocrisin detestabiles, eosque vulgo Torlaquos vocari Nicolaus Nicolai, Andreas Thevetus, & alii complures in suis peregrinationibus testantur. Canones sanè, & qui in eos commentaria scripserunt, tanquam peccatum grave contra primum præceptum Decalogi, reputant, si aliquis ejusmodi peregrinatores Cingaros de fortuna sua percontatur, animo credendi id, quod illi responderint, quamvis ex curiositate, vel ridendi gratiâ si quis faceret, non pro lethali culpa habeatur, nisi persona talis esset conditionis, ut ex illa interrogatione alii graviter offenderentur, tunc enim ratione scandali gravius censetur peccatum. *c. 1. de novi ope. nuncia.*

Caput XVIII.

De industria hominum, quibusdam veterum instrumentis Musicis, & quatenus juventus in iis sit instruenda.

Mira est industria & solertia hominum utriusque sexus in quibusdam Germaniæ civitatibus, ubi non solum puberes & adulti, sed etiam impuberes & decrepiti, habent quod agant, ut inde necessaria alimenta acquirere possint. Vidi ego in celeberrima urbe pueros & puellas septennes & quinquennes, & si liceret, propemodum infantes, labore suo licet ipsis ludicro, attamen subsidiola sibi ad victum parare. Adeo solers est natura in excogitandis iis artibus, ex quibus ad sustentationem sui adminicula habere, & lucrum percipere sperat. Ea autem per se paucissimis est contenta, siquidem, teste Aristotele, natura modicum petit: opinio immensum. Quod sane, si

ulla in gente evidenter conſpici poteſt, in Belgis id manifeſtè apparet, qui magnam induſtriam hac in parte adhibere ſolent, ut verè de illis dici poſſit, quod ex veteri quodam Poëta Athenæus recenſet:

τοῖς ἄρτοις ὅσας
ἱστᾶσι παγίδας οἱ ταλαίπωροι βροτοί.

Quam multos laqueos miſeri homines panibus ſtruunt? Hoc quoque olim apud Alexandrinos uſitatum fuiſſe, teſtatur epiſtola Adriani Imperatoris ad Servianum Coſ. Civitas, inquit, opulenta, dives, fœcunda, in quo nemo vivat ocioſus. Alii vitrum conflant: ab aliis charta conficitur: omnes certè Lymphiones cujuſcunque artis & videntur & habentur. Podagroſi, quod agant, habent: cœci quod agant, habent: ne chiragrici quidem apud eos ocioſi vivunt, &c. Alexandrinos itaque induſtria ſingulari præditos fuiſſe non ſolum
Lib. 4. c. 14. ex teſtimonio hoc Adriani apparet, verum etiam Athenæus eos peritiſſimos Muſicæ artis teſtatur. Ita enim ſcribit: Nulli magis periti ſunt artis Muſicæ, quam Alexandrini, neque pulſandæ citharæ ſolum dico, cui vel pauperrimus quiſque privatus apud nos, atque indoctus omnis ita eſt aſſuetus, ut quam celerrimè errores, qui in pulſatione chordarum fiunt deprehendere poſſit: ſed tibiarum etiam ſunt peritiſſimi. Nec earum ſolum quæ virgineæ puerileſque vocantur, ſed & earum quæ dicuntur viriles, perfectæ & ampliores, citharifteriarumque & dactylicarum. Tibias enim buxeas, de quibus Sophocles in Niobe & Tympaniſtis meminit, nullas alias eſſe cognovimus, quam Phrygias, quarum etiam non ignari ſunt Alexandrini. Noverunt & diopos, & muſcopos quique hypotreti appellantur. De buxeis tibiis mentionem facit Callias in devinctis quas Juba Phrygiorum eſſe inventum aſſerit, & ob ſimilitudinem craſſitudinis ſcytalias nuncupari, quibus utuntur Cyprii, ſicut Cratinus junior in Theramene teſtatur. Novimus etiam hemiopos tibias dictas, de quibus Anacreon: Quis animum meum tenerum oblectans
De poet hiſt. dialog. 1. ingreſſus eſt, ut ob hemiopem tibiam ſaltem? Sunt tibiæ hujuſmodi perfectis minores, nam & Æſchylus juxta menſuram ſtudentes induxit, &c. Etſi au-
Lib. 1. tem ignotum non eſt, quam mirificam vim Muſica habeat in commovendis affectibus non ſolum hominum, ſed etiam brutorum ſicut multæ hiſtoriæ hac de re à Lilio Gyraldo recenſentur, ob eamque rem tam ab aliis, quam à Caſtellianeo in ſuo Cortegiano, vel vita aulica, tanquam res nobili viro digna prædicatur. Et Sozomenus quoque memorabile exemplum recenſet. Eo enim tempore, quo Eugenius bellum grave & periculoſum commovit, cœpit pecunia Imperator Theodoſius defici. Plus igitur exigere undique inſtituit quam ante contributum fuerat. Eam rem Antiocheni ita indignè tulerunt, ut & verbis contumelioſis debaccharentur in Imperatorem, & ſtatuas tam ipſius, quam Auguſtæ everterent. Mox furore iracundiæ tanquam tem-

pestate, mitigato, pœnitere eos commissorum, & intelligere, in quod discrimen conjecta esset civitatis salus. Deplorare igitur temeritatem,& confiteri delictum, & cum lachrymis ac ejulatu implorare Deum, ut leniret Imperatoris animum, & preces illas miserabilibus modis decantare. Flavianus Episcopus in illo periculo non subtraxit opem civibus suis,&profectus ad Imperatorem, deprecando conatur illum placare. Quum vero parum proficere sentiret, & atrocem pœnam meditari Imperatorem animadverteret, neque interpellare illum amplius auderet,&angeretur respectu civitatis suæ,tale cepit consilium. Solebant symphoniaci pueri ad epulas aliquid accinere, ut Imperator exhilararetur. Impetravit igitur ab iis, quorum curatio ea erat,ut pueros Antiochenarum supplicationum carminum decantare paterentur. Quæ audiens Imperator,tanta misericordia affectus fuisse perhibetur,ut pateram,quam forte manibus tum teneret,lacrymis profusis rigaret. Et mox indignatione omni deposita veniam Antiochenis dedit. Eodem modo vis movendi animos ex historia,quæ à Strabone & Pausania refertur, de Tyrtæo duce Lacedæmon. cognoscitur, qui cum suavissimis modulis ad tibiam sua carmina cecinisset; milites ita inflammavit, ut qui sæpius antea victi fuerant, veluti Musarum furore conciti, victores evaserint, & exercitum Messeniorum funditus deleverint. Eodem modo Timotheum Milesium tanta excellentia in musica facultate fuisse legimus, ut cum se Alexandro Magno ostentare vellet, perite adeo Palladis carmen Orthium, quod alii Phrygium dixere, modulatus sit,ut ardore cantus ad arma statim Alexander prosiluerit; rursus,eodem quasi receptui canente,deposuerit. Et Lilius Gyraldus refert historiam Danicam de Musico, qui tanta modulandi vi excelluit, ut se audientes mente alienare,id est,modo lætos,modo tristes,imo furiosos efficere posse,gloriari solitus sit. Idque eum in præsentia Regis præstitisse. Et addit, se prope paria non semel apud Leonem X. spectasse. Fuerunt autem apud veteres peculiares moduli ad affectus diversos destinati,ut ex Cassiodori Epistola quam ibidem Gyraldus citat,apparet. Dorius,inquit,prudentiæ largitor est, & castitatis effector:Phrygius pugnas excitat,votum furoris inflammat:Æolius animi tempestates tranquillat, somnumque jam placatis attribuit: Jasius intellectum obtusum acuit,& terreno desiderio gravatis cœlestium appetentiam bonorum operator indulget: Lydius contra nimias curas animæ tædiaque repertus remissione reparat,& oblectatione corroborat. Etsi vero inquam,Musicæ vis ac potestas in excitandis animi affectibus maxima est, sicut eleganter & eruditè recensetur à Donzellino: haud inconveniens tamen erit, huic meditationi adjicere, quid parens meus piæ memoriæ, nobili cuidam amico suo, quærenti inter alia, quatenus juventus ad Musicæ exercitia assuefacienda esse,responderit. Hæc enim sunt ejus verba: Quod plerique

De poet. hist. Dial. 9.

Lib. 2.

In remedio ferendarum injuriarum.

nunc Muſicam exquiſitè diſcere pueros volunt, neque ſolum voce ſcire, ſed & tibiis, cæteriſque quæ ἐμπνευστὰ ὄργανα vocarunt, itemque fidibus ſcire, quæ ſunt ἔντατα: id quale ſit, conſideratione eget accurata. Sed in hac confuſione vitæ haud ſcio an explicari diſſerendo queat. Multa enim vel plurima potius concedenda ſunt moribus, quamvis prave fieri gerique videantur. Sed eſt omnino hac in parte, ſi ad pietatem & virtutem & curam officii educare juventutem placet, modus aliquis ſervandus; ut & quaſi ſucciſivis horis huic ſtudio opera detur, neque temerè diſcantur omnia, præſertim organica. Et veteres, à liberali inſtitutione cum aliorum organorum, quæ fortaſſe ignota nobis ſunt, tum tibiarum uſum removerunt, & has propter deformitatem oris abjeciſſe, Minervam tradiderunt. Minervam autem ſapientiæ & virtutis quoddam numen illos feciſſe ſcimus. Iidem eos, qui ad ſpem Reip. educarentur, noluerunt ita Muſicam doceri, tanquam artifices aliquando illius & ipſi eſſent futuri. Sed quum ſcientiam quandam apprehendiſſent, & mediocrem uſum comparaſſent, eo contentos ad graviora & ſeveriora ſtudia adduci. Nam ut veterum quiſpiam poetarum ſcripſit:

γνώμαισιν ἀνδρῶν εὖ οἰκοῦνται πόλεις.
εὖ δ' οἶκος, οὐ ψάλμοις καὶ τερετίσμασι.

Quibus ſignificatur, rectè & præclarè adminiſtrari atque regi tam publicam rem quam familiarem, prudentia & conſideratione, non carminum modulatione & ſonis. Hactenus ille. Huc referri poteſt, quod Cicero ex Platone citat, Solere Reſpublicas cum Muſica ſimul mutari. Cujuſmodi enim numeris in cantu, gravibus aut mollibus, delectantur homines, iiſdem & moribus ſe præditos oſtendunt. Tales autem ſunt Reſpublicæ, quales ſunt ſingulorum civium domus. Id non ignorarunt Lacedæmonii, quum idem Timotheus Mileſius citharœdus celeberrimus multiplicem adhiberet harmoniam, eamque in Chromaticum genus, quod mollius eſſet, inventis novis chordis, convertiſſet. Tale enim fecerunt de eo decretum, quod Lilius Gyrald. ex Boetio refert: Quoniam Timotheus Mileſius in noſtram veniens civitatem antiquum cantum negligit, & ſeptichordem citharam averſatus, multarum vocum conſonantium, hoc eſt, polyphoniam inducens, infecit auditus juvenum per chordarum multiplicitatem, id eſt, polychordian, & recentiſſimum melos induxit, & variam pro ſimplici & ordinata circuminduit modulationem in Chromaticum conſtituens melidieſin, pro enarmonio faciens antiſtrophon alternam; accitus vero in Eleuſiniæ Cereris certamen; indecentem diſperſit fabularum ſucceſſionem; Semeles enim dolores non ſat juſtè juvenes docuit: Edoceri dicimus de his Reges & Ephorus, accuſandum eſſe Timotheum, reaſſumendam vero undecim chordarum lyram excidentes ſuperfluas, relicta ſeptichordi cithara, ut quivis intuens urbis gravitatem, caveat

De legib.

De poet. hiſt. Dialog. 9.

veat in Spartam inferre quippiam inhonestarum indecentiumque consuetudinum. Si quis autem plura de veteri Musica cognoscere cupit, is legat Plutarchi peculiarem libellum, de hac re scriptum, qui etiam monet, eum qui vult Musica rectè & cum judicio uti, veterem modum æmulari debere.

Caput XIX.

De fuga lasciviæ & voluptatum.



Eteres quum viderent juventutem & adolescentiam nimis ad lasciviam & voluptatem, idque naturali, sed depravato quodam impulsu, proclivem esse (unde adolescentiari idem apud illos fuit quod luxuriari, sic nonnunquam juvenari pro lascivire ponitur) multa, prudenti sane consilio, excogitarunt, quibus eam ab istis illecebris absterrerent, & ad virtutem honestatemque assuefacerent. Non enim ignorarunt, blandas voluptates corrumpere omne robur animi, indolemque virtutis, ingenium labefactare, consilium eripere. Quo quid perniciosius humano generi afferri potest? Et Seneca prudenter monet, Nullum hostem tam contumeliosum esse in quenquam, quam in plerosque voluptates suæ, quæ cum hominem arripuerint, penitus submergunt & subvertunt. Egregia itaque est inscriptio monumenti Petri Flisci Lanuviæ Comitis. Hominum luxus, fastus, deliciæ quæ vitam vitalem esse non sinunt, hem quo redeunt? Unde non minus graviter quam verè à D. Hieronymo dictum est: Omne peccatum post factum pœnitentia sequitur: sola „ voluptas in ipso pœnitentiæ tempore præteritos stimulos patitur, ut ex hoc, „ quod corrigere cupimus, rursus sit materia delinquendi. Usa autem fuit „ prudens & sobria antiquitas interdum non tantum veris narrationibus & „ exemplis, quæ in brutis accidere fama est, ex quibus unum atque alterum, ut alia prætereamus, asscribendum operæ precium duxi. Tradunt odore pantherarum & contemplatione, armenta mire affici, atque ubi eas persentiscant, properatè convenire, nec terreri, nec sola oris torvitate, quam ob causam pantheræ absconditis capitibus, quæ corporis reliqua sunt spectanda, præbent, ut pecuarios greges stupidos in obtuitu populentur secura vastatione. Eodem modo D. Ambrosius utitur pulcherrima similitudine de cancro & ostreo, Cancer, inquit, libentissimè vescitur carnibus ostreorum. Verum quoniam illa benè munita sunt, firmissimis utrinque testis, ut vi perfringi non possint; observat callidè, dum se exponant ad Solem. Ibi

M. Varro in fragmentis. Horat. in arte poetica. Plutarchus in vita Annibalis.

Ad Amantium.

Solinus c. 21.

dum ſe aperiunt, & captant auram; cancer immittit hiantibus in os lapillum, ut teſtas reducere non poſſint; poſtea ſatis tuto intrudit chelam, & depaſcitur. Ita quum homines ſeſe dedunt ocio, & animum aperiunt voluptatibus; venit diabolus, immittit fœdas cogitationes, atque ita cum illi teſtam, qua ante muniebantur, non poſſint retrahere, devorantur. Uſi, inquam, ſunt veteres non modo veris & naturalibus exemplis, ſed etiam ſæpenumero delectati ſunt fabuloſis narrationibus fidem firmare, aut demere; quod genus θέσεις & ἀνασκευὰς & κατασκευὰς Græci vocant; ut mentes puerorum quaſi ſuavi concentu paulatim devincirent, illiſque mala & incommoda, quæ ex luxu & voluptatibus promanarent, ante oculos ponerent. Docet autem prudentiſſ. Plato, quales fabulæ narrandæ ſint, vel non. Adultiores verò & prudentiores hoc delectu non indigent. Nam ut apis ex amariſſimis firmis floribus, & aſperrimis ſpinis, mel ſuaviſſimum & leviſſimum colligit; ſic ex turpibus ac ſceleratis fabulis, ab iis qui valent judicio, utcunque decerpi poteſt aliquid utilitatis. Tritum enim eſt, nullum librum eſſe tam malum, quod dicere ſolitum Plinium accepimus, ut non aliqua ex parte prodeſſe poſſit. Unde Galli ſuum proverbium ſumpſerunt; *Il n' eſt mal, d'ont bien ne renge*. Quod ita pentametro exprimi poſſet:

Lib. 1. de Republ.

Expers omnino eſt res mala nulla boni.

Cæterum ingenioſæ fabellæ habent hanc vim, quod ducere animos ſoleant, & præcipuè imperitorum, qui & ſimplicius quæ ficta ſunt, audiunt, & capti voluptate facilè iis, quibus delectantur, conſentiunt. Hoc enim Claudianus conatus eſt facere, ubi ait:

Quintilian. lib. 5. Orat. inſtit.

In laudibus Stilliconis, paneg. 2.

Luxuries perdulce malum, quæ dedit a ſemper
Corporis arbitriis hebetat caligine ſenſus
Membraq; Circeis effœminat acrius herbis.
Blanda quidem vultu, ſed qua non tetrior ulla
Interius fucata genas, & amicta doloſis
Illecebris, torvos auro circumlinit hydros,
Illa voluptatum multos intexuit hamos.

Nam ut feræ beſtiæ blanda manu permulſæ, levi certamine ſuperantur: ita libidines, mollicies, aliaque animæ venefica mala, conſuetudine conſopita, nec perpetuo irritamento efferata, eluctabiliora deinde vi rationis fiunt. Hac de re extat apud Dionem Chryſoſtomum lepida & utilis fabella, ſicut à Pierio in Hierogl. lib. 14. refertur. Eſſe in Lybia, inquit, ferarum genus, ex promiſcua beſtiarum plurium & diverſorum generum propagatione progenitum. Id autem immane admodum ſævumque & ferociſſimum, circa Sirtes plurimum verſari: cibi gratia tum feras reliquas venatu, tum humanum paſtum conquirere quam avidiſſimè. Ejus vero monſtri naturam faciemque forma eſſe hujus-

Orat. 5.

juſmodi conſpicuam: Corpus quidem muliebre, idque admodum formoſum laſcive tumentes papillę, totumque pectus ac cervix pulcherrima colore cutis nitidiſſimo: mira ab ejus oculis proſiliebat hilaritas, quæ intuentem quemlibet in amorem procliviter alliceret: reliquum autem corporis horridum & ſquamarum ſcabricie aſperum & intractabile: inferne demum in longum anguem deſinebat, cujus caput in extrema parte poſitum acre admodum eſſet, & mordaciſſimum: alis non eſſe præditum, ſed Sphyngis inſtar factum, neque tamen eloqui ut illæ faciunt, ſed draconum in morem ſibilum tantum edere acutiſſimum. Feras has tota Lybia plurimas, atque omnium quotquot & qualibuſcunque pedibus ingrediantur velociſſimas, ut nemo eſſet tam alacer, qui earum inſultus effugiſſe gloriari poſſet. Animalia itaque reliqua quotquot nactæ fuerint, pernicitate ſua fretæ ac robore, per vim aſſequuntur & opprimunt, ſed unum hominem dolo tantum blanditiiſque adoriuntur & ſuperant, utpote quæ pectoribus tam amabilibus oſtentatis, ſpectatores uti præſtigiis implicant, fallaciſſimoſq; amoris laqueos intentant, conciliandis congreſſib. admodum idoneæ: in hos quippe quum inciderint, nullum cient tumultum, nihil hoſtile minantur, immotæ vero manent, oculis interim magna cum modeſtia in terram dejectis: inſtar ſpecioſæ lepidæque fœminæ ad colloquii congreſſum invitant, lenociniiſque omnibus alliciunt: Simul ac vero quis, ut voluptuoſorum hominum imprudentia eſt, cominus acceſſerit, extemplo eum arripiunt, injectis, quas aduncis unguibus præditas habent manibus tamdiu prius occultatis, quoad prædæ capiundæ oblata ſit occaſio, inſurgit extemplo ſerpens à tergo aggreſſus, apprehenſumque lethali morſu transfigit, venenoque immiſſo necat è veſtigio: mox cadaver miſerabile, ſerpens & fera ipſa lætantes una ſocialiter depaſcuntur. Ad hæc addit Herculem Lybicum iter eo facientem in eas incidiſſe, quas ubi primum è longinquo proſpexiſſet, curſum arripuerit perniciſſimum. Illæ autem quum diu nec ignaviter ſubſecutæ prædam tamen eam nanciſci minimè potuiſſent; indignatione ſuccenſæ omnem crudelitatem in ſe convertere, ora pectoraque unaquæque ſua fœdiſſ. dilacerata diſcerpentes, &c. Ita monitos eſſe nos debere, ut more Herculis improbitatem atque laſciviam tantummodo fugiendo ſuperemus. Hoc, ut puto etiam monuit Apoſtolus, cum cenſuerit vitiis omnibus reluctandum, adverſus fornicationem vero non congreſſus, ſed fugam indicens. Fugite, inquit, fornicationem. Quemadmodum enim quum peregrinus ficta ſimplicitate medicus nos decipiendi gratia accedit, ſi eum non admittimus recedit, ſi ſinimus eum ingredi, fit hoſpes, colligit vires, tandem, ſi aſſentiamur, fit dominus: ita motus pravæ concupiſcentiæ & luxuriæ ſtimulant nos, eis ſi non blandiamur, recedunt, ſi aſſenſi fuerimus, regnant in nobis. Siquidem luxuria eo plus augeſcit, quo magis frequentatur, fugiendo fugatur. Id-

ipſum

Libr. 2. Samuelis c. 12. ipſum Nathan Propheta veri Dei admonere Davidem Regem ſua ſimilitudine voluit, quum concupiſcentias ejus in adamata Berſabæa, uxore Uriæ fortiſſimi viri peregrino divertenti ad divitem comparet. Rectè ſanè monet Thomas Kempiſius ordinis Canonicorum regularium Auguſtini, qui floruit circa annum 1410. in ſuo libello de imitando Chriſto, *Cap. 13.* Vigilandum eſſe maximè tentationis initio; nam tunc, inquit, facilius vincitur hoſtis, ſi mentis oſtium intrare nequaquam ſinitur, ſed ei extra limen, ſimul ac pulſavit, obviam itur. Itaque rectè dixit quidam:

Principiis obſta: ſero medicina paratur,
Quum mala per longas invaluere moras.

Nam primo occurrit menti nuda cogitatio; deinde vehemens imaginatio, poſtremo delectatio, motuſq; pravus & aſſenſio; quo fit ut paulatim penitus intret malitioſus hoſtis, dum illi non reſiſtitur principio; ac quanto quiſque diutius ad reſiſtendum torpet, tanto & ipſe indies debilior, & hoſtis in eum fortior evadit &c. Huc referri poteſt Salomonis in proverbiis monitio: Non reſpicies ad mulierem meretricem, favus enim diſtillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur ejus: noviſſima autem illius amara quaſi abſynthium. Id quoque veteribus Ethnicis curæ fuit, quum depingerent Sirenes in amœniſſimo prato, ſed tamen juxta eas ex gramine undiq; apparentia oſſa mortuorum. Qua re demonſtrare voluerunt, laſcivas & libidinoſas actiones, licet ſuaves primo intuitu appareant, tamen habere veluti pediſſequas, ruinam & perniciem, deniq; ipſiſſimam mortem. Hinc quoq; applicatio ſumi poteſt ad hiſtoriam de odore pantherarum, quam paulo ante ex Solin. adduximus. *Lib. 10. decad. 3.* Rectè itaq; Scipio apud Livium ita compellat Maſiniſſam: Non eſt, mihi crede, tantum ab hoſtibus armatis ætati noſtræ periculi, quantum à circumfuſis undiq; voluptatibus. Qui eas ſua temperantia frenavit, ac domuit, multo majus decus majoremque victoriam ſibi peperit, quam nos Syphace victo habemus. *Li. 6. c. 17. de vero cultu.* Etenim iſtæ concitationes animorum, ut Lactantius ait, juncto curru ſimiles ſunt, in quo rectè moderando ſummum rectoris officium eſt, ut viam noverit, quam ſi tenebit, quamlibet concitatò ierit, non offendet. Si autem aberraverit, licet placidè ac leniter eat, aut per confragoſa vexabitur, aut per præcipitia labetur, aut certè, quo non eſt opus, deferetur. Sic curſus ille vitæ, qui affectibus velut equis pernicibus ducitur, ſi viam rectam teneat, fungetur officio. Non minus prudens quam utile conſilium fuit prudentis cujuſdam Hiſpani, *L. 1. de Chriſtiana fœmina.* de quo doctiſſimus Vives ſcribit, quo juventus ab illecebris voluptatum abducta magno cum commodo patriæ, frugi eſſe cœpit: Etenim levis & proclivis eſt via ad id quod volumus, plerique autem ob ignorationem & imperitiam rerum bonarum, peſſima volunt. *Plutarchus in vità Artaxerxis.* Memini, inquit Vives, narrari olim mihi pene adoleſcentulo, eſſe in Hiſpania civitatem, in qua juventus nobili-

bilitatis ex ocio atque opulentia cœperit in ſtudia ſeſe luxus projicere, ut nihil curarent præter convivia, ſaltationes, amores, luſus, & exercitia, quæ minimum vel bonæ mentis afferrent, vel prudentiæ, cum magno ſeniorum mœrore, qui ex iis initiis grandem Reipubl. ſuæ jacturam augurabantur, multique eorum noctes & dies, quomodo hiſce ſuorum juvenum vitiis obviam ire poſſent, inter ſe conſultabant. Etenim ſe mortuis, civitatem in perditiſſimorum hominum manus deventuram, videbant. Eorum quidam conſilium attulit ſaluberrimum. Nam cum animadvertiſſet, amatorculos eſſe hos juvenes, & de voluntate ac judiciis fœminarum plurimum pendere, autor reliquis ſenibus fuit, ut quiſque filiabus ſuis & nuribus, iiſque fœminis, quæ ad curam ſuam pertinerent, declararet, quo in diſcrimine ſitæ eſſent civitatis res, quæ ex florenti ac felici miſerrima ac perditiſſima eſſet futura, ſimul ac primum amentiſſimi homines adminiſtrationem illius ſuſcepiſſent: fœminas vero, quæ nunc molliter per opulentiam ætatem agerent, inverſis negociis in egeſtate atque inopia rerum omnium duriſſime toleraturas vitam. Unicum reſtare hiſce malis remedium, ſi illæ, quarum cenſuris juventus tantum tribueret, ad prudentiæ illos ſtudium curamq; publicæ ſalutis extimularent, id futurum perfacile, ſi ſaltatorculos, loquaculos, ineptos, ſcurriles, convivatores, ludibundos, aperta ſignificatione faſtidii defugerent atq; averſarentur: probos autem, moderatos, ſobrios, in quibus nonnihil eluceret cordis, comiter ac benevole exciperent, hos laudarent, tanquam futuros aliquando columen & tutelam patriæ, vituperarent illos ut nequam & perditos adoleſcentes, nullius frugis, & patriæ futuros dedecori atq; exitio. Placuit ſenibus conſilium, quod & explanatum fœminis, vehementer eſt, ut in tam manifeſto periculo, approbatũ, idq; illæ acutiſſime executæ ſunt. Brevi tempore juventus ita eſt commutata, ut è profligatiſſimis ac perditiſſimis cordatiſſimi viri evaſerint, & callentiſſimi publicæ privatæq; adminiſtrationis. Atque illa civitas multo deinceps vigentior fuit ſub his juvenibus, quam ſub illis ſenibus fuerat, longeq; majores ſuos juvenes iſti ingenio & rerum uſu antecelluerunt. Hactenus Vives. Huc ſpectant ea quæ apud Apulejum leguntur: Si laudas, inquit, aliquem, quia generoſus eſt; parentes ejus laudas. Si vero, quia dives; fortunæ hoc debetur. Et paulo poſt: Sed ſi eum laudas, qui bonis moribus & artibus doctus ſit, & valde eruditus, quantum homini licet; tunc ipſum virum laudas; quia nec à patre hæreditarium, nec ætate mutabile, nec à corpore caducum:

De Deo Socratis.

O Cap.

Caput XX.

Delicatis ipſiſmet luxum & molliciem eſſe perniciosam.

Lib.12.c.19. 
THENÆUS in dipnoſoph. ubi de luxu & mollicie & exitu multorum diſſerit, ita concludit: Cavendum eſt igitur, ne delicijs inſerviamus, cum vitas evertant, ac injuria omnium rerum maxime calamitoſa, &c. Hinc conſtat nihil novi accidere, ſi homines ijs rebus, quas ad luxum, voluptates & molliciem excogitarunt, veluti aviculæ viſco implicentur, vel ut eſt in proverbio, ſicut ſorex aut pyrauſta, proprio indicio & inopinato interitu, ſibiipſis exitium, præter omnem ſpem accerſant. Quid enim aliud, ut à ſacris ordiamur, fecit Abſolon adoleſcens ille regius formoſiſſ. dum ſuam auream comam ad oſtentationem nutriret? Nonne ea ipſa illi in ſaltu Ephraimitico fugienti inter arbores exitio fuit? Habemus præterea hac de re, ut ad profana veniamus, memorabile exemplum in Regibus Perſarum, præſertim Dario Rege ultimo. Ipſius enim tempore in eas delicias Perſarum Reges prolapſos eſſe ſcribit Chares Mitylenæus, ſicut ab Athenæo refertur, ut ad caput cubilis regij conclave unum eſſet pariete uno intermedio obſtructum, ea magnitudine, quæ quinque lectos caperet, in quo ſemper condita eſſent talenta auri quinquies mille: hocque conclave cervical regium appellabatur. E regione vero hujus aliud eſſet conclave triclinum, ad parietem eum excitatum, ad quem cubilis pedes vergebant, in quo argenti talentorum tria millia condebantur, nam ipſum etiam trium tantum lectorum capax erat, & ſcamnum ſuppedaneum Regis eſſe dicebatur. Præterea in ipſo cubiculo regio vitis erat aurea, gemmis inſuper incluſis locupletata; eaque veluti pergula regio cubili obtendebatur. Hanc vitem Amyntas prodidit racemos etiam penſiles habuiſſe ex lapillis æſtimatiſſimis compoſitos. Nec procul ab ea craterem aureum collocari ſolitum Theodori Samii opificio nobilem. Hæ & aliæ deliciæ Darium, licet prælio victum, eo pertraxerunt, ut qui tanti caput ſuum recumbere, & pedes ſubniti voluerat, tanti etiam manibus pedibusque vinciretur, & ad extremum, quum proditoribus obſequi nollet, ab iisdem jaculis configeretur. Non minus huic meditationi conveniunt ea, quæ memoriæ tradita ſunt de Planco Plotio Munatii Planci Conſularis & Cenſorii fratre. Is enim, quum in proſcriptione Triumvirili à militibus ad ne-

Marginal notes: Reg. lib. 2. c.18. — Lib.5. — Circa princip. lib.12. — De manſionib. regiis. — Valer. Max. lib.6.c.8.

ad necem quæreretur, fidelitate servorum in regione Salernitana occultatus, odore unguentorum proditus est. De hoc facto tale Epigramma à doctissimo viro Theodoro Beza conscriptum est, quod propter ejus elegantiam huc ponendum duxi:

Sæva cohors Plancum ad mortem quum quæreret illa
Triumviralis carnifex:
Servarant dominum servi penetralibus imis,
Et ille mortem effugerat.
Vnguentis quum profusis de more madentem,
Odor indicatum prodidit.
Quam potius multos virtus servare fideles,
Mala quos voluptas perdidit!

In illa a. horrenda proscriptione notandum esse dicit insignis historicus Vellejus Paterculus, fuisse in proscriptos uxorum fidem summam.: libertorum mediam: servorum aliquã: filiorum nullam. Adeo difficilis est, inquit, hominibus utcunq; conceptæ spei mora. Ne quid ulli sanctum relinqueretur, velut in dotem invitamentumq; sceleris, Antonius L. Cæsarem avunculum, Lepidus Paulum fratrem proscripserunt. Nec Planco gratia defuit ad impetrandum, ut frater ejus Plancus Plotius proscriberetur, &c. Sed ut ad propositum nostrum revertamur, similem historiam legimus de Muleasse Rege Tunetorum. Scribit enim Jovius, eum, quum contra Amidam filium ad recuperandum regnum infeliciter pugnasset, suo cruore & multo pulvere fœdatum, inter turbam terga vertentium, nulla alia re magis ab hostibus, quam unguentorum odore agnitum, captumque, & à filio candenti scapello proscissa utriusque oculi pupilla immaniter occæcatum esse. Huc non incommode referri potest historia Sybaritica, quam ex Africano in Cestis, sic enim græce liber ipsius de re militari inscribitur, refert Politianus, ubi de luxu Sybaritarum multa disserit; quæ sane non minus urbana, quam ridicula est. Etenim Sybaritas eo deliciarum venisse narrat, ut equos in convivia introducerent, ita institutos, ut audito tibiæ cantu, statim se tollerent erectos, & pedibus ipsis prioribus vice manuum gestus quosdam chironomiæ, motusque ederent ad numerum saltatorios. Accidit autem ut tibicen ibi quispiam contumelia affectus transfugeret ad Crotoniatas hostes, paulo ante prælio superatos à Sybaritis, & quod à repub. foret illorum, polliceretur (si fidem modo haberent) sua opera Sibarytarum cunctorum equites in ipsorum venturos potestatem. Credita res, & belli dux creatus Crotoniatis tibicen, convocat omnes quotquot ejusdem forent in urbe artificij modulamentumque ijs indicat, atque ut visum tempus, procedere in hostem jubet. Sed enim

Lib. 44.

In Miscellaneor. c. 15.

Sybaritæ fastu præturgidi, quod equitatu superabant, eunt contra, præliumq; conserunt. Hic autem repente dato signo tibicines universi conspirant. Ecce tibi igitur confestim modulamine agnito, cantuque illo vernaculo, tollunt eriguntque sese in pedes equi Sybaritæ, sessoribus excussis, & quod tripudium domi didicerant, etiam in acie exhibent. Ita capti omnes equites, sed humi jacentes, omnes equi, sed tripudia repræsentantes. Hæc, ut dixi, Angelus Politianus ex Aphricano refert, & hanc rem quoque Athenæus enarrat addens Cherontis Lampsaceni plane similem historiam de Cardianis, quorum equites à Bisaltis eodem astu victi sunt. Plinius præterea, & Erasmus in suo adagio, Sybaritica mensa hæc attingunt. Vera est igitur admonitio Procopii: Homines qui temere cuiquam rei idcirco incumbunt, ut vitam deinceps per delicias ducant, haudquaquam hactenus quiverint animos sistere, sed majora quædam opperiuntur, ac bene sperando continenter & tamdiu procedunt, quoad usque tandem vel ea priventur felicitate, quam consecuti antea fuerint. Recte quoque Crantor Solensis, cui Sextus Empiricus astipulatur, actiones nostras in quatuor veluti classes distribuit. Primas enim virtuti dat; secundas bonæ valetudini; tertias honestæ voluptati; quartas divitiis. Sed frustra atque inani conatu omnia ab hominibus ad vitanda vitia & comparandam virtutem fiunt, & instituuntur, licet præcepta philosophica, quæ fortasse, ut ille ait, cicatrices potius, quam vulnera curare possunt, anxie sequantur, & actiones suas ad ea imitanda dirigant, nisi vera pietate instructi, ad voluntatem divinam sese accommodent, & ipsius ope & favore rectam viam ingrediantur. Id quod Divus Augustinus nos docuit. Quamvis animus, inquit, corpori, & ratio vitiis laudabiliter imperare videatur; si tamen DEO animus & ratio ipsa non servit, sicut sibi serviendum esse, ipse DEUS præcepit, nullo modo corpori vitiisque recte imperat. Nam qui corporis atque vitiorum potest esse mens domina, veri DEI nescia nec ejus imperio subjecta, sed vitiosissimis dæmonis corrumpentibus prostituta? Proinde virtutes, quas sibi habere videtur, per quas imperet corpori ac vitiis, ad quodlibet adipiscendum, vel tenendum, nisi ad DEUM retulerit, etiam ipsæ vitia potius sunt, quam virtutes. Nam licet à quibusdam tunc veræ & honestæ putentur esse virtutes, quum ad seipsas referuntur, nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflatæ sunt, atque superbæ, & ideo non virtutes, sed vitia judicandæ sunt. Sicut enim non est à carne, sed supra carnem, quod carnem facit vivere, sic non est ab homine, sed supra hominem, quod hominem facit bene vivere, nec solum hominem, sed etiam quamlibet potestatem virtutemque coelestem.

In dipnos. lib. 12. c. 6.
Lib. 2. terminorum.
Lib. 8. c. 42. natur. hist.
Lib. 3 de bell. Gothic.
Li. de civ. Dei 19. c. 25.

CAP.

Caput XXI.

De mansuetudine erga bruta animalia.



Etsi omnia animalia bruta ad usus & commoditatem hominis creata, & post ejus lapsum destinata sunt: tamen ista licentia, tyrannide & crudelitate prorsus carere debet, sicut expresse in lege divina mandatum populo Israelitico fuit, ubi prohibetur, ne avis incubans una cum ovis vel pupillis ex nido auferatur. Non est igitur ferenda quorundam imperitorum agrestium hominum sævitia & crudelitas erga jumenta, & alia animalia, ad obsequium hominis nata & assueta, quum ex intempestivis minis, verberibus & vulneribus, pro libidine impotentis animi ea excruciant. Siquidem minime ipsorum injuria (nam animal quod proposito, hoc est, προαιρέσει nocendi & injuriandi caret, licet damnum dare possit, quod JCti pauperiem nominant, non potest videri injuriam fecisse) interdum ea faciunt, quæ nos irritant, læduntve: sed aut ætate, vel labore, interdum etiam inedia, non raro autem imperitia eorum, qui ea regere debent coguntur committere ad ea quæ naturali impulsu & necessitate instigantur. Merito itaque reprehendendus ut barbarus est Pharnuchus Persa. Is enim, cum forte eo equitante canis sub equi pedes intercurrisset, ideoque equus improviso deterritus, se seque extollens, Pharnuchum excussisset; famulis mandavit, ut equum in eum locum adducerent, ubi dominum straverat eique crura cum genibus abscinderent. Huc referri potest, quod Sabbas Castilioneus Mediolanensis, Eques Hierosolymitanus, in suo libro, quem vernacula lingua conscripsit, eiq; titulum fecit *Ricordi*, recenset, sive historia ea sit, sive fabella. Nam & is se legisse ait in quodam libello eleganti, cujus autorem non amplius recordetur. Fuisse olim in Brutiis statutum, ut is qui vellet agere contra ingratos, teneretur sonare campanulam ad hanc rem destinatam. Hoc signo dato mox conveniebant quidam Senatores, ii cognita caussa, si reperiebant actorem habuisse justas caussas accusandi aliquem propter ingrati animi vitium, mox injungebant reo sub gravi mulcta compensationem aliquam, & ut absque mora erga beneficum gratum sese exhiberet. Accidit igitur, ut quidam diu fuisset usus equo suo, qui propter ætatem & diuturnum laborem orbatus oculis, nec non strigosus, claudicans, & prorsus inutilis factus fuerat. Ob eam caussam expulerat eum herus domo, ita ut expers pabuli consueti in publico muscis præda fieret. Equus ille emeritus hinc inde claudicans,

Deut. c. 22.

Herodotus in Polymnia.

Ricord. 122.

dicans, & umbram quærens in locis opacis, ratus fortasse se intrare stabulum, ingressus est sacellum, in quo erat illa campana, de qua supra dictum est, cujus funiculo forte annexæ erant frondes, quas quum famelicus decerperet, commovit campanulam ut signum daret. Mox convenerunt, uti moris erat, judices, & quum nullus alius compareret, conspecto illo strigoso & famelico equo, jusserunt eum adduci, & domino ipsius accersito, mandarunt illi cum gravi interminatione, ut equum suum ad se reciperet, eique pabulum præberet, neque aliter tractaret, ac si esset adhuc integer viribus, & ad laborem aptus. Æquitatem enim naturalem poscere, quoniam in præstandis servitiis apud eum consenuisset; ut in senectute quoque eum alat. Hoc statutum sano fuit justum & æquum, nec non & sententia illa bona & laudanda, licet lata fuerit in favorem bruti, &c. Recte itaq; Seneca ait, ingratum eum esse, qui negat beneficium accepisse: ingratum qui non reddit: ingratum qui dissimulat: ingratissimum omnium qui oblitus est. Unde videmus, quod natura nihil magis odio prosequatur, quam ingratum animum, quæ etiam bestiis feris, ut elephantis, leonibus, draconibus, addo & aquilis (de qua re Crates Pergamenus memorabilem historiam, quæ à Pierio refertur, recitat) immo etiam lupis, sicut Strabo recenset, grati animi sensum & beneficii memoriam quandam indidit. Memorabile autem inprimis est, quod ii, qui animalium historias condidere, tradunt, Accipitrem, videlicet alitem rapacissimum, rigenti brumæ tempore, calidioris temperamenti passerculum unguibus implicitum, noctu sibi pectore solitum admovere, eoq; se à frigore tueri; mane, illum illæsum intactumque ut beneficii memorem dimittere. Rem similem de aquila & columba nonnulli produnt. De scombris piscibus Philarchus apud Athenæum, sed prolixius Ælianus recenset, esse insulam non longe ab Epidamno, quæ Athenas vocetur, ubi piscatores habitent. In ea Lacum reperiri, ubi scombrorum cicurum multitudo ab iis alatur. Hi vero ut nutritoribus gratiam referant, pasti in altum denatāt ad feros scombros, eosque ita circumeuntes ad piscatorum captionem deducunt; quibus captis cicures scombri ad sua lustra redeunt, pastum à piscatoribus solitum expectantes; Ex hac brutorum animantium grati animi significatione, homines admoniti (quod alioquin ipsorum officium esset) studiosiores in referenda gratia esse deberent. Verissime n. à sapientibus dictum est. Ingratum hominem esse rem per se fugiendam, quod nihil æque humani generis concordiam distrahat atque disjungat; è contrario grati animi affectionem rem per se bonam & expetendam, quod eandem humani generis societatem conglutinet atque connectat. Non frustra igitur in legibus Cæsareis nostris habemus naturalem obligationem ad remunerandum. Unde etiam Athenis adversus ingratos actio constituta fuit, & recte, quia dandi & accipiendi beneficij commercium

Lib. 19. hieroglyph.

L. sed & si l. paragr. consulunt. De petit. hered.

mercium, ſine quo vix vita hominum extat, perdit, & tollit, quisquis bene merito parem referre gratiam negligit. Quare, ut nos docet Plutarchus, humanitatis eſt, equos confectos laboribus alere, itemque canum non catulos modo, ſed & ipſos ſenio graves. Atque, inquit, cernimus, ampliorem eſſe bonitatis, quam juſtitiæ locum. Siquidem legibus & juſtitia tantum erga homines utimur: beneficia & gratiæ nonnunquam etiam brutis dantur, etenim de manſuetudine tanquam ubere fonte profluunt. Ideoque non ut calceis aut vaſis utendum eſt rebus animatis, quæ rupta vel attrita uſu abjiciuntur: ſed in his ſi nullam aliam ob cauſam, at ut ad humanitatem nos aſſuefaciamus, exercere manſuetudinem convenit. Quocirca M. Porcium Catonem virum alias omni laude digniſſimum, reprehenſum legimus, quod vetulos ex familia ſervos, ne dum boves venum tradendos præceperit, quodque equum, quo Conſularis uſus fuerat in Hiſpania, dimiſerit: horridumque illum ac tetricum fuiſſe, parumque humanitatis habuiſſe profitentur. Hoc conſiderarunt ii, qui mulas & alia jumenta, quæ in extruendis ædificiis plurimum laborem toleraſſent, libera in paſcuis dimiſerunt. Ut de Athenienſibus tradit idem autor. Quum templum, inquit, Minervæ, cui Hecatompedon nomen fuit, ædificaſſent, ex his unam ajunt ultro ad opus acceſſiſſe, & jumentis, quæ ſarcinas ad arcem traherent, comitem ſe dediſſe præeundoque veluti adhortatam ad laborem. Ob eam rem decretum eſt, ut ea, uſque ad mortem publice aleretur. De Selimo Imper. Turcico ſcribunt hiſtorici, quod equo ſuo (quem nonnulli ſpadiceũ fuiſſe tradunt, à Turcis vero, teſte Busbequio, in ſuo Itinerario Caroboulut, hoc eſt, nubem nigram ab abſoluta nigritie vocatum) vacationem ab omnibus laboribus dederit, eo quod ejus pernicitate ex prælio, in quo à Bajazete patre ſuo, prope oppidum Chiurli victus fuit, fuga ſalvus evaſerit. Eandem vacationem & pabuli libertatem præſtitit equo ſuo Neapolitanorum Rex Ferdinandus, qui eum è prælio nequicquam inſequentibus hoſtibus ſalvum, in tutum locum reportavit. Nam equis ineſſe judicium documentis plurimis patefactum eſt, cum jam aliquot (ut Solin. polyhiſtor ait, & multis exemplis illuſtrat) inventi ſint, qui non niſi primos dominos recognoſcerent, obliti manſuetudinis, ſi quando mutaſſent conſueta ſervitia. Inimicos patriæ ſuæ norunt, adeo ut inter prælia hoſtes morſu petant (quod Jovius quoque de equis Mamalucorum in Ægypto memoriæ tradidit.) Sed illud majus eſt, quod rectoribus perditis, quos diligebant, acceſſunt fame mortem. Id quod de Soclis Athenienſis equo tradidit Ælianus, à quo quum amaretur ardentius Socles, veritus ignominiam, equum vendidit: quare equus amaſio domino deſtitutus, voluntariam ſibi mortem inedia conſcivit. Verum hi mores in genere equorum præſtantiſſimi reperiuntur. Nam qui infra nobi-

Valer. Maxim. lib. c. 3.

In vita Catonis.

Cap. 43.

dicans, & umbram quærens in locis opacis, ratus fortaſſe ſe intrare ſtabulum, ingreſſus eſt ſacellum, in quo erat illa campana, de qua ſupra dictum eſt, cujus funiculo forte annexæ erant frondes, quas quum famelicus decerperet, commovit campanulam ut ſignum daret. Mox convenerunt, uti moris erat, judices, & quum nullus alius compareret, conſpecto illo ſtrigoſo & famelico equo, juſſerunt eum adduci, & domino ipſius accerſito, mandarunt illi cum gravi interminatione, ut equum ſuum ad ſe reciperet, eique pabulum præberet, neque aliter tractaret, ac ſi eſſet adhuc integer viribus, & ad laborem aptus. Æquitatem enim naturalem poſcere, quoniam in præſtandis ſervitiis apud eum conſenuiſſet; ut in ſenectute quoque eum alat. Hoc ſtatutum ſane fuit juſtum & æquum, nec non & ſententia illa bona & laudanda, licet lata fuerit in favorem bruti, &c. Recte itaq; Seneca ait, ingratum eum eſſe, qui negat beneficium accepiſſe: ingratum qui non reddit: ingratum qui diſſimulat: ingratiſſimum omnium qui oblitus eſt. Unde videmus, quod natura nihil magis odio proſequatur, quam ingratum animum, quæ etiam beſtiis feris, ut elephantis, leonibus, draconibus, addo & aquilis (de qua re Crates Pergamenus memorabilem hiſtoriam, quæ à Pierio refertur, recitat) immo etiam lupis, ſicut Strabo recenſet, grati animi ſenſum & beneficii memoriam quandam indidit. Memorabile autem inprimis eſt, quod ii, qui animalium hiſtorias condidere, tradunt, Accipitrem, videlicet alitem rapaciſſimum, rigenti brumæ tempore, calidioris temperamenti paſſerculum unguibus implicitum, noctu ſibi pectore ſolitum admovere, eoq; ſe à frigore tueri; mane, illum illæſum intactumque ut beneficii memorem dimittere. Rem ſimilem de aquila & columba nonnulli produnt. De ſcombris piſcibus Philarchus apud Athenæum, ſed prolixius Ælianus recenſet, eſſe inſulam non longe ab Epidamno, quæ Athenas vocetur, ubi piſcatores habitent. In ea Lacum reperiri, ubi ſcombrorum cicurum multitudo ab iis alatur. Hi vero ut nutritoribus gratiam referant, paſti in altum denatāt ad feros ſcombros, eoſque ita circumeuntes ad piſcatorum captionem deducunt; quibus captis cicures ſcombri ad ſua luſtra redeunt, paſtum à piſcatoribus ſolitum expectantes; Ex hac brutorum animantium grati animi ſignificatione, homines admoniti (quod alioquin ipſorum officium eſſet) ſtudioſiores in referenda gratia eſſe deberent. Veriſſime n. à ſapientibus dictum eſt. Ingratum hominem eſſe remper ſe fugiendam, quod nihil æque humani generis concordiam diſtrahat atque disjungat; è contrario grati animi affectionem remper ſe bonam & expetendam, quod eandem humani generis ſocietatem conglutinet atque connectat. Non fruſtra igitur in legibus Cæſareis noſtris habemus naturalem obligationem ad remunerandum. Unde etiam Athenis adverſus ingratos actio conſtituta fuit, & recte, quia dandi & accipiendi beneficij commercium

Lib. 19. hieroglyph.

L. ſed & ſi l. paragr. conſulunt. De petit. hered.

mercium, sine quo vix vita hominum extat, perdit, & tollit, quisquis bene merito parem referre gratiam negligit. Quare, ut nos docet Plutarchus, humanitatis est, equos confectos laboribus alere, itemque canum non catulos modo, sed & ipsos senio graves. Atque, inquit, cernimus, ampliorem esse bonitatis, quam justitiæ locum. Siquidem legibus & justitia tantum erga homines utimur: beneficia & gratiæ nonnunquam etiam brutis dantur, etenim de mansuetudine tanquam ubere fonte profluunt. Ideoque non ut calceis aut vasis utendum est rebus animatis, quæ rupta vel attrita usu abjiciuntur: sed in his si nullam aliam ob causam, at ut ad humanitatem nos assuefaciamus, exercere mansuetudinem convenit. Quocirca M. Porcium Catonem virum alias omni laude dignissimum, reprehensum legimus, quod vetulos ex familia servos, ne dum boves venum tradendos præceperit, quodque equum, quo Consularis usus fuerat in Hispania, dimiserit: horridumque illum ac tetricum fuisse, parumque humanitatis habuisse profitentur. Hoc considerarunt ii, qui mulas & alia jumenta, quæ in extruendis ædificiis plurimum laborem tolerassent, libera in pascuis dimiserunt. Ut de Atheniensibus tradit idem autor. Quum templum, inquit, Minervæ, cui Hecatompedon nomen fuit, ædificassent, ex his unam ajunt ultro ad opus accessisse, & jumentis, quæ sarcinas ad arcem traherent, comitem se dedisse præeundoque veluti adhortatam ad laborem. Ob eam rem decretum est, ut ea, usque ad mortem publice aleretur. De Selimo Imper. Turcico scribunt historici, quod equo suo (quem nonnulli spadiceũ fuisse tradunt, à Turcis vero, teste Busbequio, in suo Itinerario Caroboulnk, hoc est, nubem nigram ab absoluta nigricie vocatum) vacationem ab omnibus laboribus dederit, eo quod ejus pernicitate ex prælio, in quo à Bajazete patre suo, prope oppidum Chiurli victus fuit, fuga salvus evaserit. Eandem vacationem & pabuli libertatem præstitit equo suo Neapolitanorum Rex Ferdinandus, qui eum è prælio nequicquam insequentibus hostibus salvum, in tutum locum reportavit. Nam equis inesse judicium documentis plurimis patefactum est, cum jam aliquot (ut Solin. polyhistor ait, & multis exemplis illustrat) inventi sint, qui non nisi primos dominos recognoscerent, obliti mansuetudinis, si quando mutassent consueta servitia. Inimicos patriæ suæ norunt, adeo ut inter prælia hostes morsu petant (quod Jovius quoque de equis Mamalucorum in Ægypto memoriæ tradidit.) Sed illud majus est, quod rectoribus perditis, quos diligebant, accersunt fame mortem. Id quod de Soclis Atheniensis equo tradidit Ælianus, à quo quum amaretur ardentius Socles, veritus ignominiam, equum vendidit: quare equus amasio domino destitutus, voluntariam sibi mortem inedia conscivit. Verum hi mores in genere equorum præstantissimi reperiuntur. Nam qui infra nobi-

Valer. Max. lib. c. 3.

In vita Catonis.

Cap. 43.

nobilitatem ſunt ſati, nulli ejusmodi documenta præbuerunt. Legimus prætereà paſſim in hiſtoriis de monumentis equarum, quæ tres Olympicas victorias reportarunt, ut Herodot. teſtis eſt. Celebrantur quoque ſepulchra equorum & equarum, videlicet Cimonis & Alexandri Magni, cujus equus Bucephalus, ſive ab aſpectu torvo, ſive ab inſigni taurini capitis armo impreſſi dictus, in dorſo ſuo ornatus regiis phaleris, & bullis (licet nudus conſcendendum ſe equiſoni ſuo morigerum præberet) inſidere nullum alium patiebatur: Regem vero, quum vellet aſcendere, ſponte ſua genua ſubmittens, excipiebat, credebaturque ſentire quem veheret, ut poſt alios Q. Curtius ſcriptum reliquit. Apud Dionem de Boryſthene equo Adriani Cæſaris legitur, quo in venando plurimum utebatur, cuiq; mortuo ſepulchrum fecit, columnam erexit, & epigramma inſcripſit. Julius Capitolinus etiam memoriæ tradidit, Verum Imperatorem equo ſuo Volucri (quem ita amavit, ut ei aureum ſimulachrum fecerit, & paſſas uvas nucleosq; in vicem hordei in præſepe poſuerit) ſepulchrum in Vaticano fieri curaſſe. Sic fortiſſimus Rex Poloniæ Stephanus, qui ſuperiorib. annis regnavit, equo ſuo generoſiſſimo, qui eodem die, quo frater ejus Dominus Tranſſylvaniæ extinctus eſt, exanimis concidit, in loco, quo non procul ab arce Vilnenſi defoſſus eſt, monumentum erigi curavit. Quod Daniel Hermannus vir dignitate & eruditione, necnon & poëta præſtantiſſimus, verſibus ſuis celebravit, quos aſſcribere operæprecium duxi:

In Erato.

Lib 6. de geſtis Alex. Magni,

Regis equus Stephani forma greſſuq; ſuperbus,
Et curſu velox, prope Vilna conditur arcem,
Qui moriens Regis fratrem præſagijt eſſe
Sublatum è vivis: docuit quod fama ſecuta
Huic ſtatua erecta eſt monimentum teſtis equini.

Imo hodie adhuc Romæ in vinea Cardinalis Simonettæ monumentum, ſane ridiculum, Mulæ, ut de equo ad genus aſininum veniamus, conſpicitur, quod vel ſimile Porcacius, ut ipſe teſtatur, in ſuo eleganti libro Italico: cui titulus eſt, Funerali antichi diverſi populi & nationi, in Sabinis inter Romam & Tibur (nam quædam verba in ſuo deſunt, quædam cum noſtro non conveniunt) invenit, in ſuppedaneo quodam, quæ veluti adminicula ad facilius inſcendendos equos (non enim tunc orbiculi ferrei cum baſe, qui vulgo ſtapiæ appellantur, inventi erant) paſſim in itinere poſita erant, quod eſt ejusmodi.

DIS

DIS PEDIBUS SAXUM.

CHIVCHIÆ DORSIFERÆ ET CLVNIFERÆ AC PESSVETÆ ET MANSVETÆ CVIVIS VT INSVLTVRA DESVLTVRÆ COMMODETVR PVB. CRASSVS MVLÆ SVÆ CRASSÆ BENEFERENDI SVPPEDANEVM HOC CVM RISV POS. VIXIT ANN. III. MENS. XV. DIETNOCT. 23.

Nec non sepulturæ canum celebrantur. Xanthippus enim canem, qui juxta triremem Athenis Salamina enataverat, in promontorio humavit, quod adhuc Cynossema, id est, canis monumentum nominatur. Hac sua humanitate veteres suam mansuetam naturam declarare, & posteritati documentum animi humani, atq; à crudelitate alieni ac benefici relinquere voluerunt. Fatendum enim nobis est, brutis virtutum nomina attribui, ut leonibus magnanimitatem, equis fortitudinem, canibus sagacitatem & fidelitatem. Sicut tribus sequentibus capitibus prolixius demonstrabimus.

CAPUT XXII.

De heroica leonum natura, & quomodo à culicibus ad internecionem usque exagitentur.



DE leonum magnanimitate & mira natura, passim multa stupenda, & propemodum extra fidem traduntur. Etenim ut animal hoc, stimulante fame, sævum & intolerabile esse videtur; ita saturum facile mansuescit, & propemodum, nisi irritatum innocuum est. Inprimis Susiana regio, ut ferunt, jubatos coronatosque leones gignit, generosos quidem & homini parcentes, nisi ex pecore minoribusque feris ad alimentum præda desit. Unde Plinius scribit: Leoni tantum ex feris clementia in supplices prostratis parcit, & ubi sævit, in viros prius quam in fœminas fremit; in infantes non nisi magna fame. Cæterum leonum venatio principio difficilima fuit, & adhuc periculosa est. Tradunt enim ii, qui regiones Africæ & Orientis, ubi leones sua lustra habent, peragrarunt, multos venatores ab iis lacerari. De captura autem leonum peculiare caput extat in Belisarii Ducis Neritinorum libro. Et historiæ testantur, sicut hoc animal sæpius sensum aliquem grati animi exhibuit, vel Helpidi Samio, qui quum in littore Africæ ex leonis gutture os evellisset, tamdiu leo ex venatione ei gratiam retulit, quamdiu cum navi in littore stetit; & apud Gellium Androcli servo, (non enim recte Androdus

Lib.8.c.16. nat. hist.

De venatione.

Lib.5.c.14.

Libro paræneticо adverſus ingratos.

ſed Androcles appellatur, ut Lilius Gyrald. ex Æliano notat) de quo dictum fuit, Leo hoſpes hominis, Homo medicus Leonis, accidiſſe conſtat: ita ad ultionem inclinatiſſimum eſſe. Compertum enim eſt, quod etiam Plinius ſupra allegato loco confirmat, vulneratum leonem obſervatione mira percuſſorem noſſe, & in quantalibet multitudine illum unum appetere, ſique detur copia, fœdiſſime lacerare & diſcerpere. Hoc teſtatur memorabile exemplum, quod Jubæ Regi Maurorum accidit. Nam ferunt huic Regi præſtantiſſimi animi juvenem fuiſſe comitem. Quum autem per deſerta Africæ rerum ſuarum componendarum ſtudio, Rex cum exercitu proficiſceretur, ex itinere leonem illi obviam factum. Hunc à juvene illo ſagitta percuſſum in ſylvam receſſiſſe. Poſt cum Juba rebus ex voto compoſitis eaſdem copias traduceret, eundem illum leonem obſervato illo, qui vulnus inflixerat, eum unum è tam magno equitum numero violentiſſ. curſu hoſtiliter aggreſſum, nulla vi cohiberi potuiſſe, quin correptum dilaniaret, nemineq; alio læſo, ultione ea contentum in ſua latibula diſceſſiſſe. Eodem modo clementiæ & caſtigationis quoddã veluti judicium leonib. ineſſe, apparet ex eo, quod Ælianus tradidit, Leonem videlicet, urſam & canem, eodem contubernio alitos & educatos, ſine ulla injuria aliquantiſper pacate converſatos eſſe, ac ſi domeſtica animalia eſſent. Verum cum urſa quodã impetu percita, contubernalem canem dilaceraſſet; commotũ leonem violati hoſpitii ſcelere, in urſam proruiſſe, eaq; pariter dilacerata, meritas pro cane pœnas exegiſſe. Tantam autẽ eſſe magnanimitatem & generoſitatem hujus animalis compertum eſt, ut teſte Ariſtot. nec fugiat, nec metuat; ſed ſi venantium multitudini cedere cogitur, ſenſim pedatim diſcedat, crebro reſiſtens atque reſpectans. Nactus autem opaca, veloci quam maxime poteſt fuga, ſe ſubtrahit, donec in apertum deveniat, tum rurſus lente incedit. Sed ſi quando locis nudis atque patentibus cogitur aperte fugam arripere, currit, nec ſalit. Quum tamen infeſtatur, ubi jam propinquarit venator, in eum inſilit: percuſſorem agnoſcens ac obſervans invadit. Non autem tantum leo læſus confeſtim vindictam erga autorem vulneris cum rabie expetit, ſed in turba venatorum, quaſi ſervulos viliores faſtidiens, iis neglectis, plerunque in eos, qui reliquos vel autoritate, vel robore præcellunt, irruere ſolet. Illuſtratur hoc egregio exemplo à Q. Curtio, ubi ſcribit. In venatione leonum magnitudinis raræ, poſthabitis aliis, ipſum Alexandrum Regem, ſtipatum amicis & ſatellitibus, invaſiſſe. Id etiam teſtatur Rob. Gaguinus, ubi dicit, Apud Avernos leonem domeſticum domini ſui domo elapſum, complures viros fœminaſque voraſſe, donec ingreſſo in eam cum multitudine incolarum domino, quum forte leo apparuiſſet, cognito domino, ad eum ſe bellua contulerit; ſed confeſtim multis telis à turba confoſſum eſſe. Obſervatum præterea eſt, præci-

Lib. 10. c. 18. hiſt. Franc.

præcipuam leonum vim & vigorem in ipſorum oculis conſtare, quorum lumine hebefacto, aut velato, ferocitas omnis decidit; idq; Getulum quendam paſtorem, teſte Plinio primum docuiſſe. Quum enim pro pecore pugnaret, eſſetque inermis, & omni præſidio & exilio deſtitutus, frendensque leo in eum irrueret: fugam meditatus, veſtem qua amictus erat, exuit, & in feræ caput objecit. Hærente autem forte veſte in juba circumvoluta, oculosque leonis obvelante, ita ferocia ei diminuta eſt, ut quaſi obſtupefacta fera ſubſtiterit, paſtoriq; liberum ſpatium ad fugam reliquerit. Et hanc vim oculorum in leonibus, naturalium rerum periti, ſiccitati eorum attribuunt, hocq; probant ex eo, quod leones nulla re magis quam igni in fugam vertantur. Nam qui oculos ſicciores calidioresque habent, ii maxime omnium ignem averſantur. Quemadmodum autem non ſolum leones cæteris animalibus robore & ferocia præſtant, ita viciſſim providentia divina huic parti, qua feroeiunt, ut paulo poſt dicemus: velut frenum injectum eſt, ne eorum multitudo nimium augeretur, & hominibus, reliquisque animantibus plus æquo noxii eſſent. Huc accedit, quod alioquin quæ timido animo ſunt & eſculenta, ea omnia fœtuoſa fecit, ne aſſiduo eſu deperirent. Quocirca tam damæ, quam etiam oves, ſæpius geminos, pluresq; producunt fœtus. Sic etiam lepus, quem omnia venantur, fera, ales, homo, tam ferax eſt, & ſola, quæ ex omnibus beſtiis, quum gravida eſt, etiam implcatur, & alium fœtum in utero geſtans, pilis veſtitum; alium tantum non formatum concipit. At carnivora, & quæ ſanguine gaudent, minus fœcunda eſſe cernimus. Inprimis autem omnia animalia: quo majore corpore, hoc minus fœcunda eſſe teſtatur Plinius. Sic leæna, validiſſimum voraciſſimumque animal, ſemel in vita, & unum, ſi Herodoto credendum eſt, parit, cumque fœtu uterum emittit. Nam, inquit, catulus leoninus, ubi moveri in utero incipit, cum habeat ungues longe acutiſſimos ex omnibus feris, uterum lacerat, augeſcensque magis ac magis ungues imprimendo exulcerat, ita ut ad poſtremum, dum partus adeſt, nihil uteri relinquatur incolume. Huc reſpexit fabula Æſopica, in qua leæna vulpi exprobranti, quod & ſemel in vita, & unum tantum pareret, reſpondiſſe fingitur, Se quidem ſemel, & unum parere; ſed eum leonem. Solinus tamen & alii, tam ex veteribus quam recentioribus de partu hujus animalis rectius id quod experientia teſtatur, ſcribunt. Leænæ, inquit Solinus, fœtu primo catulos quinque edunt: deinde per ſingulos partus numerum decoquunt annis inſequentibus, ſed poſtremo quum ad unum materna fœcunditas recidit, ſteriles ſunt in æternum. Sed de partu leonum res tam intricata amplius non eſt, nam ii quoque in Germania in vivariis Principum ſæpius pepererunt. Alia quoq; ratione Creator omnium rerum, & fons origoque omnis ſapientiæ ferocitatem hujus animalis compeſcuit, & proſpexit,

Lib. 8. c. … *Herodotus in Thalia.* *Lib. 10. c. 63.* *Cap. 30.*

ne multitudo ipſorum aliis intolerabilis eſſet. Excitavit enim leonibus hoſtem vilem & deſpectum quidem, ſed acrem & indefeſſum, ſuiſque innumeris agminibus leones ad furorem internecinum exagitantem. Quod eo facilius fieri poteſt, cum leones natura iracundi & proclives ad furorem ſint. Ideoq; legimus apud Maronem:

— Iraque leonum, —

& apud Ovidium de eadem fera:

Iram vultus habet. —

Hoc quoq; ex Lucretii elegantiſſ. verſibus apparet:

Sed calidi plus eſt illis quibus acria corda,
Iracundaque mens facile effervescit in ira.
Quo genere in primis vis eſt violenta leonum,
Pectora qui fremitu rumpunt plerumq; gementes,
Nec capere irarum fluctus in pectore poſſunt.

Lib. 18. rerū geſtar. Cæterum ut meditationem noſtram proſequamur, de illo hoſte alioquin viliſſimo, ſed leonibus infenſiſſimo, audiamus Ammianum Marcellinum, qui ita ſcribit: Inter arundineta Meſopotamiæ fluminum & fruteta, leones vagantur innumeri, clementia hyemis, ibi molliſſimæ, ſemper innocui. At ubi Solis radiis exarſerit tempus in regionibus æſtu ambuſtis, vapore ſideris & multitudine culicum agitantur, quorum examinibus per eas terras referta ſunt omnia. Et quoniam oculos quaſi humida & lucentia membra, eædem appetunt volucres, palpebrarum libramentis mordicus inſidentes; iidem leones cruciati diutius aut fluminibus merſi ſorbentur, ad quæ remedii cauſa confugiunt; aut amiſſis oculis, quos unguibus crebro lacerantes effodiunt, immanius efferaſcunt. Quod ni fieret, univerſus Oriens hujusmodi beſtiis abundaret. Hactenus Marcellinus. Habent autem culices eo majorem occaſionem noctu atque interdiu continuo infeſtandi ſuum hoſtem alioquin omnium ferarum potentiſſimum, & ferociſſimum, cum leones ſomni parciſſimi ſint, oculoſq; habeant inter dormiendum ſplendeſcentes, ac ſemiapertos. Unde multis perſuaſum eſt, leones omnino inſomnes eſſe, cum præſertim inter quieſcendum caudam aſſidue moveant. Quod tamen Ariſtoteles naturali ratione fieri poſſe negat; nullum videlicet animal abſque ſomno vivere: quamvis non ignorem Olympiodorum Alexandrinum ſcribere hominem quendam inſomnem vixiſſe, qui ſolo aere ſolari nutriretur. *In Phædonis commentario.* Ob hanc leonum vigilantiam, eorum ſtatuæ à veteribus ante portas templorum, veluti cuſtodes ſacrorum, ſicut paſſim hodie ſaxei leones videntur, poſiti ſunt. Unde legimus in fabrica templi Salomonis cælatos, non tantum leones, ſed & boves, & Cherubin, ut is qui regat populos ſit vigilans, & in tuendis juſtitiæ legibus, fortis ut leo: modeſtiæ legibus commode ligatus, ut

ut bos: & ita demum Scientiæ luce donatus, ut Cherubin. Sed de leonibus uti cœpimus pergamus. Hoc etiam Alciat. observavit, ubi emblema de vigilantia & custodia ita concludit: *In Emblematibus.*

Est Leo, sed custos, oculis quia dormit apertis,
Templorum idcirco ponitur ante fores.

Unde Ægyptii vigilantem sedulumque hominem, aut etiam custodem ostendentes, leonis caput pingunt, quoniam leo vigilans oculos claudit, eosdem quum dormit, apertos habet, quod quidem custodiæ atque excubiarum signum est. *Orus in hieroglyphicis.* Eodem modo veteres, robur notantes, leonis anteriora membra pingunt, quod hæc ei ex toto corpore robustissima sint. *Orus ibid.* Sane quam idonea & potens hæc fera ad nocendum sit, multa passim ex historiis loca adduci possent. Præ cæteris autem est memorabile, quod Plutarchus de Megarensibus, apud quos Cassius leones, quos Ædilibus ludis præparaverat, reliquerat, scribit. *In vita Bruti.* Quum enim civitas per Calenum caperetur, Megarenses infausto sane consilio ferarum carceres effregerunt, eorum vinculis relaxatis, ut irruentibus hostibus objectæ negotium eis tantisper facesserent, tum sibi per moram aliquam consulere possent. Verum enimvero longe aliter evenit, quia leones in cives ipsos truculenta sævitia conversi, tantam inermium stragem edidere, dum obvios quosque adoriuntur, sternunt atque dilacerant, ut spectaculum id fuerit vel ipsis hostibus perquam miserabile. Tale aliquid nostro tempore accidisse in arce Neapolitana (quæ ad mare prope portum sita est, & olim teste Collenucio collegium Fratrum minorum, postea Regum Arragonum regia fuit, hodie Castellum novum vocatur) referebant nobis præsidiarii milites. Usitatum enim longo tempore fuisse ajebant, & adhuc esse conspeximus, ut leones aliquot ibi in loco, qui mare spectat, alantur. Quum autem aliquando hostes noctu navibus appulissent, & hac in parte occupaturi arcem, mœnia scalis clam appositis magno silentio transscendissent, præter suam spem inciderunt in leones, qui multos ex iis dilacerarunt, & suo rugitu vigiles excitarunt, ita ut non paucis desideratis irrito conatu discedere coacti fuerint. Sic quoque in sacris literis legimus, à Deo immissos esse leones in impios & profanos Babylonios, vel Chuthæos (quos Josephus à regione Persidis Chuta & flumine Chuto sic nominatos ait, eos Rex Assyriorum in terram Israelis, velut coloniam adduxerat) qui eos dilacerarunt. Habitare hi cœperant, quum Salmanasar Rex Assyriorum decem tribus Israelitarum captivas ob impietatem abduxisset, inter Judæam & Galilæam, à qua regione omnes dicebantur Samaritæ & Samaritani, forte quod regionis custodiendæ caussa adducti essent. *Lib. 2. Reg. c. 17.* Samarita enim custos Hebræis dicitur. Unde Propheta Ezechiel dicit,

Cap.4. Quatuor eſſe judicia DOMINI peſſima, quibus impii puniuntur, gladium, famem, peſtem, beſtias malas. Extat præterea triſte exemplum viri DEI, quem ob mandati divini neglecti crimen admiſſum, leo quidam dilaniavit. Sed & hoſtes Danielis à leonibus iis interfecti ſunt, quorum rictus paulo ante DEUS cohibuerat, ne Danielem ullo modo læderent. Notandum
Lib.1.Reg. c.13. ſane eſt apud Hebræos quatuor nomina leonum eſſe, juxta diverſos ætatis gradus. Primum eſt .ר. quandò adhuc catulus eſt: Secundo eſt: כביר quum auctus eſt ætate: Tertio ארית quum eſt robuſtus & fortis: Quarto לביא quando conſeneſcit, quamvis & ליש de eo jam decrepito quandoque dicatur; ſicut Petrus Martyr. in Lib. Judic. indicat, ubi Spiritus DOMINI per-
Cap.14. vaſiſſe Samſonem, & illum diviſiſſe irruentem leonem, ut ſolet diſcerpi hœdus ſcribitur. Fama inſuper eſt, leones quos Regios vocant (nam ferunt ex iis quoſdam omnino eſſe degeneres) ſicut ipſi generoſi & magnanimi ſunt, ita homines generoſos & fortes obſervare, & voces ipſorum horreſcere, ideoque non volunt, ut limis oculis, teſte Plinio capite ſupra allegato, aſpiciantur, cum & ipſi hoc non faciant. De hac re legimus hiſtoriam apud
In Saxonia Lib.3.c.24. Crantzium ſane memorabilem, de Henrico Comite Holſatiæ, qui à fortitudine ferreus dictus fuit, ad quem propter prolixitatem lectorem remitto.
In Idea Theatri. Eodem modo Julius Camillus refert, quum aliquando Lutetiæ in tornellis cum multis aliis nobilibus è feneſtra palatii in hortum proſpexiſſet, quod tunc forte à ſuis clauſtris leo evaſerit, ſeque à tergo diffugientibus hinc inde aliis, abſque noxa complexus fuerit, qua re ſe attonitum, leonem ſibi adhærentem ſubito audacter & torve inſpexiſſe, qui mox depoſita omni ferocia ad pedes ſuos procubuerit, inſtar blandientis, & veniam petentis. Tribuit autem is hanc vim virtuti ſolari, qua natura ſua excelluerit. Quare poſtremo non omittendum eſt, quod pleriſque perſuaſum ſit (id quod experientia teſtatur & ab oculatis teſtibus iiſdemque fide digniſſimis, audivi) leones cantum gallorum, & eorum conſpectum, quod ſint magis leonibus ſolares, vel alia occulta vi mirum in modum expaveſcere. Id quod poſt alios Alber-
Lib.5. tus Magnus quoque affirmat, qui tamen non omnibus gallis, ſed tantum candidis hanc vim perterrefaciendi leones attribuit. Putat autem Lucretius ut Epicuri ſectator ſemina quædam ſive idola, aut imagines ex corporibus gallorum emanare, eaſque involare in leones, ita acres & pungentes, ut leones eas ferre non poſſint. Ridicula & Epicuro digna cauſa & opinio, ſicut ex iis inſequentibus verſibus apparet:

Quin etiam Gallum noctem explaudentibus alis
Auroram clara conſuetum voce vocare,
Hunc nequeunt rapidi contra conſtare leones,
Inque tueri ita continuo meminere fugai:

Nimi.

Nimirum quia ſunt gallorum in corpore quædam
Semina, quæ cum ſint oculis infenſa leonum,
Pupillas interfodiunt, acremque colorem
Præſtant, ut nequeant contra durare feroces:
Cum tamen hæc noſtras acies nil lædere poſſint,
Aut quia non penetrant, aut quis penetrantibus illis
Exitus ex oculis liber datur, in remeando
Lædere ne poſſint ex ulla lumina parte.

Verum quomodocunq; ſeſe res habeat, compertum eſt non ita pridem in aula Principis cujusdam Germaniæ, leonem ſepta ſua tranſiliiſſe, & forte fortuna in locum irruiſſe, ubi aliquot cortes gallorum, gallinarum, aliarumq; altilium avium, in uſum aulæ ſaginarentur; eumq; iis conſpectis, non ſolum nullo modo deterritum, ſed plurimas ex iis devoraſſe.

Caput XXIII.

De equorum & luporum mira ἀντιπαθείᾳ *& diſſenſu; cum elogio equi pulcherrimo.*



Ira paſſim narrantur de lupo, apud nos ut notiſſima, ita omnibus inviſa, ſed aſtutiſſima fera. Inter cætera autem fabuloſum eſt, quod vulgo creditur, hominem à lupo præviſum ſubito conſternari, & vocem amittere, atq; vice verſa, ſi homo prius lupum conſpexerit, eum elinguem fieri. Nam quemadmodum fieri poſſit, ut ex propinquo lupus obviis, ex halitus, qui ab eo promanat, contagione, vocem adimat, aut raucedinem afflet; idq; meticuloſis facilime contingat: ita inanem perſuaſionem eſſe, hoc ipſum paſſim & ſemper fieri (pace Ariſtotelis, Plinii, & Solini, tantorum virorum, hoc dixerim) ſæpius expertus ſum, vel iter faciens, vel ruri obambulans, conſpectis ex improviſo lupis, qui me, vel qui mecum erant, absque dubio longe prius conſpexerant. Id quoque alios quibus hoc accidit, affirmantes audire memini. Et extat hac de re elegans diſputatio apud Julium Scaligerum, qui dicit: *De ſubtil. ad Cardan. exercit. 344.* Ter in venationibus ſcio me à lupo conſpectum. Semel ab uno inter virgulta latitante: iterum ex montis ſupercilio: tertio quum puellum rapuiſſet. Ex cannabina ſegete jam admodum adulta caput identidem promoverat ad ſpeculam. Tum quidam ex æqualibus puelli dixit: ô ingentem canem. Ego ab illo cum ſociis viſi ſumus; ille à noſtrûm nemine. Tantum abeſt ut obmu-

obmutuerimus, ut magnis clamoribus primo perterritum compulerimus ad fugam: mox inſecuti prædam, licet ſine vita, abſtulerimus. De iis autem quæ de mira diſſenſione, quam Græci ἀντιπάθειαν nominant, lupi & equi feruntur, periculum fieri facile poſſet. Ferunt enim equam non ſolum, ſi lupum calcarit, abortum facere, ſed etiamſi lupi calcarit veſtigium, eam protinus abortire. Ob hanc rem Ægyptii in ſuis hieroglyphicis, ſicut Orus notat, equa quæ lupum conculcat, mulierem abortientem deſignare voluerunt. Sic receptum eſt equum quantumlibet ferocem & generoſum, ſi luporum veſtigia conculcet caſu, obſtupeſcere, & crura ei torpore hebeſcere, ut ex Pamphilio recenſet Joan. Baptiſta Porta; & mortuum lupum vel terra conditum horrere. Hocque obſervaſſe quoſdam callidos homines Pierius tradit, qui omnivolam Principum cupiditatem eluſuri, quum equum inſigniorem ipſis poſtulantibus honeſte denegare non poſſent, lupinum inteſtinum in via, qua producendus equus erat in conſpectu Principis, clanculum ſepelierint, eaque mox equum eductum, ſimul ac inteſtini odorem ſenſerit, nulla unquam agitatione, nulliſque ſtimulis impelli potuiſſe, ut tranſiret, atque ita vel ſternacis, vel indomiti, vel retinentis accepta nota, à Principe repudiatum, priori domino remiſſum fuiſſe. Hoc fortaſſe, vel aliud experimentum veteribus quoque non ignotum fuiſſe conſtat ex eo, quod de Amphione Thebano memorant. Ferunt enim eum Pelopi nonnulla tradidiſſe, quæ obiter ſepelirentur, quibus non Oenomai modo equi perterrefacti ſunt, verum omnes quotquot illac in poſterum curſum arripuere. Ideoque loco illi nomen Taraxippo de re inditum. Eodem modo apud Romanos, olim agitatores in Circenſibus ſpectaculis, in quibus quadrigæ ſeptimo currebant circuitu; & equos partis adverſæ fregiſſe victoria erat; quæ à Romulo propter fœlicem Sabinarum raptum antiquitus inſtituta erant; dæmoniacis quibusdam imprecationibus adverſariorum equos impediiſſe, & ſuos ad curſum incitaſſe, D. Hieronymus, Arnobius & alii ſcribunt. Ex quo l.ult. C. De malefic. rectius intelligi poteſt. Ita enim Imper. Valentinianus, Theodoſius, & Arcadius pœnam capitis in maleficos agitatores ſtatuentes reſcripſerunt: QUOD SI QUISQUAM EX AGITATORIBUS CONTRA HOC INTERDICTUM VENIRE TENTAVERIT, ULTIMUM SUPPLICIUM NON EVADAT. Id quod erudite obſervavit Jacobus Ræyard. & hiſtoriam notabilem, quomodo conſilio ſancti Hilarionis Italus quidam Chriſtianus, Gazenſem gentilem, qui ejusmodi incantationibus ſuos equos incitaret ad curſum, & illius impediret, victor evaſerit, recenſet. Sed in propoſita meditatione pergamus. Nec minus odium inter lupum & equum in vita eorum eſt. Illud enim carnivorum animal, huic in paſcuis valde inſidioſum eſſe ſolet, ideoque non raro accidit, ut circumventus equus, lupo hoſti ſuo prædæ fiat,

Mag natural lib. 1. c. 9.
In Hieroglyphic. lib. 11.
Lib. 5. c. 14. variorum, ſive de juris ambiguitatibus.

fiat, quem tamen prævisum calcibus, qua in parte maximè viribus pollet & armatus equus est, repellit, celeriquc fuga sibi consulit. Callent enim in hoc cuncta animalia, sciuntque non sua modo commoda, verum & hostium adversa: norunt sua tela, norunt occasiones, partesque diffidentium imbecilles. Fama autem est, equos, qui cum lupis dimicarunt, præstantiores evadere eos Græci λυκοσπάδας appellant, & fieri potest, inde eos animosiores & perniciosiores reddi, velut idem Porta in supra allegato loco dicit: Lupus si equum mordicus læserit; equus eximia cursus pernicitate pollebit. Mirum etiam & memorabile est, ut idem Pierius refert, lupum tam ferocem ac subdolam belluam, neque ferrum neque fustem ita timere ut ictus lapidum. Compertum enim esse ait, ut qua parte lapide tacti fuerint, computrescant. Quin etiam repertos quosdam dicit, qui vel duorum concussu lapidum strepitum cientes, ferociss. à se lupos abegerint. Rectè itaque adversus hanc omnibus invisam belluam, ferè ubique lege definitum præmium est. Inprimis autem in Gallia, ubi pro singulis capitis lupis solidi viginti ex fisco solvuntur, præter publicam erogationem, quam plebs sua sponte venatoribus impendere solet. Hinc regia illa rescripta, quæ in ipsorum lingua dicuntur *Lettres de Leuueterie*, emanasse censet Claudius Mallævillæus in suis Regiis aquarum & sylvarum constitutionibus. Sed ut ad equum nostrum redeamus, non possum committere, quin ejus elogium elegantiss. cujus autor est nostri seculi præstantiss. poeta Georgius Buchananus, asscribam.

Plinius lib. 8. cap. 25.

Cap. 11.

Cætera rerum opifex animalia finxit ad usus
Quaque suos: equus ad cunctos se accommodat usus.
Plaustra trahit, fert clitellas, fert esseda, terram
Vomere proscindit, dominum fert, sive natatu
Flumina, seu fossam saltu, seu vincere cursu
Est salebras opus, aut canibus circundare saltus,
Aut molles glomerare gradus, aut flectere gyros,
Libera seu vacuis ludit lascivia campis.
Quod si bella vocent, tremulos vigor acer in artus
It, domino & socias vomit ore & naribus iras,
Vulneribusq; offert generosum pectus. & una
Gaudia mœrorem, sumit ponitq; vicissim
Cum domino: sortem sic officiosus in omnem,
Vt veteres nobis tam certo fœdere junctum
Crediderint mixta coalescere posse figura,
Inque Pelethroniis Centauros edere sylvis.

Equis autem judicium inter alios tribuit Solinus polyhistor, sicut supra diximus, ubi plura exempla insignia reperiuntur. Et præ cæteris memoria dignum

Cap. 47.

Q

gnum eſt, quod à Niceta Choniate in ſua hiſtoria de Alexii Imp. Græcorum (qui fratrem ſuum Iſacium, optimè de eo meritum, proditoriè regno ejecerat, oculiſque privaverat) recenſetur equo qui fuit Arabicus, fulvi coloris. Quum enim is è templo rediens equum hunc conſcendiſſet; ab eo, veluti rationis & ſenſus eſſet capax & tyrannum & fratricidam agnoſceret, hinnitu & morſibus & calcibus exagitatus, ejus tandem dorſo dejicitur, & gemmata corona capite excutitur: Secundo quoque adducto equo idem illi contigit, quo inauſpicato omine infelix Alexii exitus facilè denunciatus fuit. Non ſemel quoque audivi à nobili Equite Franco, viro militari & aperto, atque amico paterno veteri Matthæo à Rothenhan, &c. (quem honoris & virtutis ipſius cauſa nomino) ſe aliquoties equi ſui induſtria inſidias hoſtiles vitaſſe, inprimis autem quum aliquando flumen Mœnum, vado ſibi noto, tranſire vellet, & hoſtium ſclopetarii in altera ripa in inſidiis deliteſcentes ipſum & turmam equitum quos ipſe ducebat, obſervarent; in medio flumine equum ſuum, alioquin ad omnia morigerum & imperterritum, arrectis auribus ſubſtitiſſe, moxque veluti attonitum retroceſſiſſe, neque calcaribus voce aliove modo, præter conſuetudinem ſuam, ulterius impelli potuiſſe: donec mox patefactis inſidiis, equi ſagacitatem admiratus, liberè confeſſus fuerit, ſe divinitus equi virtute ſervatum fuiſſe. Si enim paſſum unum atque alterum ulterius proceſſiſſet, hoſtium globis, veluti meta expoſitus fuiſſet. Hunc equum ſæpius vidi, qui erat varius, & tales equi in noſtra vernacula lingua Schecken/ propter diverſi coloris maculas vocantur. Qui color, ut parens meus piæ memoriæ, in ſuo libello de tractandis equis, notat, argumento eſt naturæ bonæ & conſtitutæ, temperata quadam miſtione humorum de quibus & albi & nigri, & fulvi pili extiterint. Fueruntque ii Thracica lingua Marones appellati, & à Virgilio præ cæteris commendati. Notabile quoque eſt, quod Joan. Lup. Hiſpanus (qui citatur à Nicolao Boerio) refert, audiſſe ſe videlicet à fide digno homine, qui propriis oculis id viderit, quod in provincia Beticæ, generoſiſſimus equus propter inceſtum cum matre ſua commiſſum, ad quem committendum arte & unguentis pellectus fuerat, cognito crimine, morſu ſibi ipſi genitalia, magna cum admiratione aſtantium, abſciderit. De docilitate equorum Sybaritarum ſupra quædam recenſuimus, & habemus memorabile exemplum ad Dionem. Scribit enim Parthos Trajano equum inter cætera munera adduxiſſe, ita edoctum, ut Regem adoraret. Nam pedes anteriores in morem ſupplicantis flexit, caputque pedibus ejus qui proximus eſſet, ſubjecit. Extant præterea hac de re lectu digna apud Olaum Magnum. Meminit item ejus Julius Scaliger. Et peculiare caput de docilitate equorum inſeruit in ſuum librum de venatione, Beliſarius Neritinorum dux. Ut autem hoc animal domi-

In tract. matrimoniali Decis. 318. num. 2.

Cap. 20. In vita Trajani.

De animal. domeſt. l. 17.

De ſubtilitate exer. 209.

domitum facilè manſueſcit, & veluti famulare & obſequens, non ſecus ac canes, hominibus fit: ita ferum adhuc & indomitum, & quemadmodum etiam iratum, præſertim iis, quibus id ignotum & rarum eſt, terribile eſſe ſolet. Unde non fruſtra à poeta dicitur de equis:

——*Spirantes naribus ignem.*

Hoc teſtantur Indi illi occidentales quibus equi, licet domiti, quos Pachos ipſi vocant, uſque adeo formidabiles ſunt, ut & moloſſi, cum videlicet metuant ne ab illis vorentur; ut mille eorum pedites à tribus equitibus in fugam vertantur: ita ut appareat Indos illos potiſſimum auxilio equorum fugatos & devictos eſſe. Unde Benzo ſcribit, Indos illos ferociſſimum illud animal vehementius formidare, quam omnia Hiſpanorum arma, neque illud occultum habere imo palam dicere, non Chriſtianorum virtute, non armis, tormentis, haſtis, gladiis aut baliſtis ſe victos & ſubactos eſſe, ſed equorum ferocia & furore perterritos. Idque adeo experientiam ipſam & præſentem rerum effectum docere. Quæcunque enim loca, inquit, pedeſtres adiêre Hiſpani, quó equi penetrare non potuerunt, in iis ſemper ab Indis victi ſunt. *In hiſtor. novi Orbis lib. 2. c. 8.*

Caput XXIV.

De canum fidelitate & ſagacitate, cum elogio memorabili.



DE fidelitate & ſagacitate mira canum multa ſtupenda paſſim in hiſtoriis extant. Inter alia autem proditum memoriæ eſt, ut ex veteribus autoribus refert Pierius, Iliados Minervæ templum in Daulia fuiſſe, in quo canes alerentur, qui Græcis tantum adventantibus ſe mites, manſuetos, ac ludibundos offerrent, in barbaros vero feri, atroces ac indignabundi ſemper irruerunt. Eadem de avibus Diomedeis Plinius tradit, quæ tantum contra Apuliæ oram in inſula Diomedis tumulo atque delubro nobili viſebantur, & advenas barbaros clangore infeſtabant; Græcis ſolummodo adulabantur. Narrat quoque idem Pierius, apud veteres ſcriptores legi, Vulcani templum prope Æthnam Siciliæ montem fuiſſe, cujus lucum incolerent canes (ſicut Romæ ante ædes Vulcani in circo Flaminio canes fuiſſe fabulantur, ſacrilegos tantum allatrantes, ut Marlianus refert) qui caſte pieque adeuntibus abblandirentur: impuros vero pollutoſque, rem quaſi divinitus præſagientes, miſerabiliter lacerarent. Hoc cœlitus fieri Ethnicis olim viſum

In hieroglyphicis lib. 5. *Li. 10 c. 44.* *In antiqua Roma topographia lib. 6. cap. 8.*

In fine libri 2. de rebus Siculis prior. decad. lib. 23. cap. 29. viſum fuiſſe Fazellus ait: Nos verò inquit dæmonum impoſturas has fuiſſe verius exiſtimamus. Hujus templi veſtigium nullum hodie cerni, neque in qua montis parte fuerit compertum eſſe, idem aſſerit. De qua re plura reperies apud Cœlium Rhodin. & Alexandrum ab Alexand. Unde accidit, *Lib. 1. c. 3.* ut nonnulli inventi ſint, qui ſuam ſalutem potius huic animali, propter attentas excubias & fidelitatem committere maluêre, quam hominibus. Sicut de Rege Maſiniſſa legimus: qui latratu canum ſæpè latentium hoſtium inſidias evaſit, & venientes in ſe adverſarios longè ante didicit, cavitque, nec *Lib. 8. c. 40.* non & beneficio eorum victor aliquando extitit. Eodem modo Plinius recenſet, Colophonios magno ſtudio canes ad bellum inſtituiſſe, adeo ut ex illis quaſi cohortes quaſdam inſtruerent, quæ in prima acie certarent mira quadam ferocitate, nec unquam prælium detrectarent. Eorum autem operam inprimis nocturno tempore utilem fuiſſe. Sic ſcribunt Garamantum Regem per ſeditionem regno pulſum, auxilio ducentorum canum venaticorum reſtitutum fuiſſe. Quam indefeſſam fidelitatem hujus animalis forte *Lib. 17. de animal. domeſtic. Septent. cap. 6.* taſſe Henricus Angliæ Rex VIII. (juxta epiſtolam ab ejus legato, Regi Poloniæ Spira 1544. miſſam, ſicut ab Olao Magno refertur) conſideravit, quum in ſuo exercitu, quem maximum Carolo V. Cæſari contra Regem Galliarum miſit quadringenti milites, ac tot idem canes more gentis torquibus ferreis armati conſpicerentur, dubia relicta hominum opinione, an ad vigilias exercitus, an ad aliquod inſigne ſtratagema acquirendæ victoriæ miſſi eſſent. Hoc quoque olim teſte Strabone in uſu fuit, qui ex canibus Britannicis milites facit, quod priſci Galli iis in bello uterentur. Unde in Notitiarum libro procurator Cynegii in Britanniis Ventenſis ſive Bentenſis me- *In ſua Britannia. In paratitlis ad Cod. In Coſmographia.* moratur, ita enim legendum putat Camdenus, non Gynecii ſicut Jacobus Cujacius interpretatur. Procuratorem enim illum canes Imperatoribus ibi curaſſe cenſet Camdenus, cum Britannici vel Anglici primas inter Europæos omnes gerant. Inprimis autem Agaſæos, quorum Oppianus meminit, non ſolum apud veteres in pretio fuiſſe, ſed adhuc eſſe, & *agaſe boundt* appellari, idem autor ſcribit. Teſtatur hoc quoque Andreas Thevetus ubi de Rege Cephaliæ ſcribit, quod multa agmina canum ferociſſ. conflicturus cum hoſtibus inter aciem ſuorum militum admiſcere ſoleat. Et infra Capite XXXVIII. mentionem faciemus moloſſi cujuſdam, quem tam ferocem contra Indos in prælio fuiſſe ferunt, ut hoſtibus formidabilior, quam ipſimet Hiſpani milites, fuerit: ideoque ob ſtrenuam operam navatam militi domino ſuo menſtruum ſtipendium pro eo numeratum fuiſſe. Non omittendum præterea eſt, quod Michael Voſmerus de fidelitate, & ſi liceret, dicere *In vitis Comitum Hollandiæ & Selandiæ.* pietate, canum refert. Mirum, inquit, quod de canibus venaticis tradunt annales, qui dum caperetur herus (is fuit Florentius V. Hollandiæ & Selan-

diæ

diæ Comes, qui inter venandum plus viginti vulneribus confoſſus fuit) teſtes ipſi aderant, captum comitabantur in arcem Mudam avectum inde, atque in fuga à proditoribus ſeu conjuratis trucidatum mœſti cuſtodiebant. Demum amicis corpus urgentibus, ut Alemariam deferrent, in eandem navem canes conſcendebant, ab omni cibo & potu mordicus alieni. Funus in templum elatum proni venerabantur, ibique aſſiduo deſiderio ſui domini, donec vi abſtraherentur, ægrè vitam ſuſtinebant. Simile exemplum fidelitatis Corſici canis venatici erga dominum ſuum, recenſet Julius C. Scaliger ubi addit: Huic equidem cani Mauſeolum cum elogio libentius condiderim, quàm Sultano Solymanno. Altera quoque hiſtoria, quam de cane Gallico ibidem refert, non minus notabilis quam elegans eſt. Huc ſpectant, quæ Nicephorus de catello ſcribit; cum videlicet cæcum novas quaſdam res peregiſſe atque cuilibet ſuum tribuiſſe, & arcana quædam ſignis demonſtraſſe, ubi ſcholia ibidem ſic habent: Deſignabat mulieres utero geſtantes, ſcortatores, adulteros, avaros, magnanimos. Quapropter ſpiritum Pythonis habere creditus eſt. Andreas quidam Italicus circulator eum habuit, & circumduxit, &c. Verum arte circulatorum iſta fieri mihi planè perſuadeo. Nam ii aſſuefaciunt animalia, ut nutus eorum, voces & geſtus obſervent, ſicut in equuleo ejuſmodi indicationes pleraſque falſas faciente, animadverti: Memorabile inſuper eſt, quod Jovianus Pontanus, vir inſignis & gravis autor, de ſuis catellis abominantibus coitum inceſtuoſum, memoriæ tradidit. Fatendum ſanè eſt in hoc animante interdum peculiarem aliquem ſenſum ſagacitatis hominibus ignotum ineſſe, idque confirmatur mirabili exemplo, quod apud Novariam patrum noſtrorum memoria accidit, ſicut à Jovio, nec non à Juſtiniano in ſua hiſtoria Veneta, aliiſque autoribus commemoratur. Ajunt enim quum brevi futurum eſſet, ut inter Helvetios & Gallos ſignis collatis confligendum foret, canes ingenti numero, qui heros ſuos in bellum ſecuti fuerant, è Gallorum ſtatione in urbem Novariam ac proxima caſtra, ad Helvetios celeri curſu tranſiiſſe, eorumque pedes lambendo, caudaque abblandiendo, quaſi futuri ſucceſſus præſcios, ſeſe mox victoribus ſubmiſiſſe; Fretiq; illi hoc quaſi oſtento, intrepidè in acie prodiere, ac victoriam celeberrimam obtinuere. Ceterum ut meum propoſitum non eſt, integram de canibus ſcribere hiſtoriam: ita haud omittendum fuit tantam eſſe interdum inter generoſiores alacritatem hujus animalis, ut eo ferocius fiat, quo contra ſæviores feras exercetur. De qua re habemus memorabile exemplum, quod Plinio teſte, Alexandro Magno contigit. Is enim cum Indiam peteret, eique Rex Albaniæ canem admirandæ magnitudinis dono dediſſet, monens ne in parvas illum emitteret feras; ſed in leones aut elephantes: cupiens Alexander periculum facere hujus rei, canem iſtum cum leone commiſit,

De ſubtilit. ad Card. exercit. 202. num. 6.

Lib. 17. c. 32.

Lib. 8. c. 40. natur. hiſt.

quem quum abſque magno negotio dilaceratum interemptumque à cane vidiſſet elephantem juſſit induci, haud alio magis ſpectaculo lætatus. Nam primum horrentibus per totum corpus villis ingentem emiſit latratum, mox in cervicem aſſultans, contraque belluam exurgens, hinc atque illinc artificioſa dimicatione infeſtavit atque evitavit, donec aſſiduo rotarum vertigine ſolo afflixit. Cujus lapſus magno fragore terram concuſſit, cum ingenti plauſu atq; admiratione omnium ſpectantium. Hanc hiſtoriam etiam Solinus polyhiſtor, ſed paulo aliter recenſet, cujus verba quoque aſſcribere volui. Apud Albanos, inquit, nati canes feris omnibus anteponuntur: frangunt tauros, leones perimunt; detinent quicquid objectum eſt, quibus ex cauſis meruerunt etiam annalibus tradi. Legimus petenti Indiam Alexandro à Rege Albaniæ duos miſſos, quorum alter ſues ſibi & urſos oblatos uſque adeo ſprevit, ut offenſus degeneri præda, ignavo ſimilis diu accubaret, quem per ignorantiam velut inertem Alexander extingui imperavit: alter vero monitu eorum, qui donum proſecuti fuerant, leonem miſſum necavit, mox viſo elephanto notabiliter exultans, belluam primum aſtu fatigavit, deinde cum ſummo expectantium horrore terræ afflixit. Hoc genus canum creſcunt ad formam ampliſſimam, terrificis latratibus ultra leonum rugitus inſonantes, &c. Ex hoc genere canum forte fuit Andronici Imp. Conſtantinopolitani, cujus in ſuis annalibus Nicetas meminit. Is n. cum propter luxum & tyrannidē pleriſq; inviſus eſſet, non ſolum barbaricis cohortib. ad corporis ſui cuſtodiam uſus eſt: ſed etiam canem aſperum, qui cum leonib. pugnare, & armatum equitem humi ſternere poterat, in ſuo conclavi habuit. Nam, inquit ſatellites & cuſtodes noctu procul ab ejus cubiculo cubabant, canis vero ad januam alligatus, ad exiguum ſtrepitum horrendum in modum latrabat. Similem hiſtoriam ſcribit Curtius de generoſitate canum Indicorum Orientalium, ex quibus quatuor tantum præſente Alexandro, eximiæ magnitudinis leonem celeriter occuparunt. Hi canes ex cane & tygride nati putantur, invictæ virtutis & immenſi roboris. Sed ut revertatur unde digreſſa eſt noſtra oratio, ſi iſta quæ initio de Daulicis & Siculis canibus diximus, veluti obſoleta & minus veriſimilia videntur, audiamus quid noſtro ſeculo de hoc animali ſcribat Sabellicus. Tenebant, inquit, Rhodii oppidum opere & præſidio munitiſſ. Divi Petri caſtellum vocant in ea parte Cariæ, quæ Coo inſulæ ex adverſo reſpondet; unicum Chriſtianorum, ſervitutem ex Aſia fugientium, aſylum: Extra munitiones ipſas omnia hoſtes habebant, ita ut ne lignatum quidem ob aſſiduos barbarorum incurſus loci incolis liceret exire. Mira hic de canum ſagacitate & ſolertia Venetis narrabantur; habere oppidanos canes circiter quinquaginta, quos noctu extra munitiones cuſtodiæ cauſa mitterent; atque ita evenire conſuevisse, ut ſi in Chriſtianum hominem ſilentio

Cap. 20.

Lib. 9.

Dec. 3. lib. 5.

silentio noctis incidissent; benignè illum exciperent, ac veluti plausu quodam in oppidum perducerent? contra barbarum hostem nacti, illius accessum latratu maximo, velut classico quodam primum testati, impetu inde facto fœde lacerarent. Hæc Sabellicus. In Britannia quoque in oppido Rhedonensi,.& ibidem in munitissimo loco, qui à S. Malo appellatur, nec non & in insula D. Michaelis in Normandia, canes innumeros loco vigilum hodie adhuc ali, illos qui in his locis fuerunt, recensere sæpenumero audivi. Hoc olim in usu etiam fuisse testatur Plutarchus, tradit enim parum abfuisse, ut Aratus excubiis canum à recuperanda patria repelleretur. Ex his apparet, quid Socratem, ut eum Plato inducit, moverit, quod non nisi per canem jurare solitus fuerit, denotans videlicet incomparabilem fidelitatem canum. Unde etiam idem Plato naturam hujus animalis admiratione, propter genuinum atque expeditum naturæ impetum, & verè sagacem, dignam censet, quod in eum, quem incognitum videt, excandescat, etiamsi nihil ante mali ab eo perpessum sit: sin cognitum conspicatur, ei abblandiatur, quamvis ab eo boni quicquam prius minimè perceperit. Hæc sanè, si non aliena quam domestica tutius recenserentur, confirmare possem mei canis exemplo, qui mihi ingredienti iter Italicum & redeunti, fidissimus comes fuit. Ipsius enim peculiari sagacitate, protegente me inprimis benignitate divina, non levia pericula aliquoties, & ego solus, & una cum sodalibus meis, vitavimus. Inprimis autem rarum in eo erat, quod nulli vel Italo vel Judæo blandiri vellet, sed latratu & morsu illos prosequeretur, Tametsi Germanicæ nationis homines, etiam ignotos, & antea à se non visos, statim innata sagacitate canina nosceret, & erga eos blandus & mitis esset. Canes autem Italos, licet fœmellas, me præsente angue pejus oderat. Neque adduci potuit Ferrariæ, etsi erat integer, & tantum bimulus, ut cum illis, quando catulire solent, commisceretur. Nam & nobiles quidam Ferrarienses & ego, adductis generosis canibus, & cum illo seorsim conclusis sobolis propagandæ causa, hoc expetebamus. Signa sanè probi & generosi canis, hæc ferè sunt: Si torosus, magnus, venosa fronte, ac lata, oculis nigris flammeisque auribus tenuibus, ac prælongis, collo item prælongo, pectore carnoso, spatulæ ab humeris paulo recedentes, cruribus altis, lateribus extantibus, coxis teretibus inter se distantibus, villo tenui ac denso, colore non omnino uno sed mixto. De qua re plura reperiet studiosus lector in Belisarii Neritinorum Ducis libro. Et Suidas in historicis omnia genera canum succinctè describit. Sunt enim aut sagaces, feras alii invadunt: alii domus custodiunt: voluptatis denique gratia alii aluntur. Seneca verò canis venatici qualitates ita breviter notat, In cane sagacitas prima est, si investigare debet feras: cursus, si consequi: audacia si mordere, & invadere. Ut autem hanc sicut

In vita Arati.

Ricardus Dinothi in Adversariis De animalibus.

De venatione.

prio-

priorem meditationem, elogio hujus fidissimi animalis concludam, audiamus Jacobi Micylli viri doctissimi epigramma elegantissimum:

Inter quadrupedes canis fidelis,
Inter quadrupedes canis voluptas,
Inter quadrupedes canis patronum
Cognoscit, veneratur & tuetur.
Hic quæ tu jubeas, facit libenter.
Hunc si tu ferias, dolet, gemitq́,
Sed parcit tibi protinus revertens.
Hunc tu, si expuleris, redit benignus,
Et caudam movet ille blandiendo.
Hunc tu si meritis loquendo laudes,
Sentit quod loqueris, suasq́ laudes,
Et gestit tibi gratias referre.
Hic te si mare naviges, sequetur.
Hic, tu si mare pernates, natabit.
Non te per medios relinquet æstus.
Non te deseret horridos per imbres.
Non te deseret asperas per Alpes.
Non te deseret ille vel per hostes.
Te tutabitur ille vel hostes.
Te nam diligit ille diligentem.
Non te deserit ille vel diebus,
Non te deserit ille vel tenebris.
Te non diligit ille non amantem.
Si venaberis ille per labores
Conatur tibi complacere semper,
Et prædam tibi vincit aut triumphos,
Illæsum leporem tibi reportans.
Pro te non rabidos recusat ursos,
Et dentes patitur furentis apri.
Cervos, capreolos, vafrasq́, vulpes,
Et sternit genus omnium ferarum,
Certè non sibi sed tibi laborans,
Si solvis, jacet ille sic solutus,
Et jussus jacet ille sub catenis,
Non audens querelas movere voces.
Hic custos pecorum tuæq́ villæ,
Fures exigit arduos luposq́.

No

Nec non arcibus ille præsidentes
Tutos insidiis facit latratu.
Non te pocula delicata poscit,
Non obsonia sobrius requirit,
Contentus latices bibisse lymphæ,
Nec non relliquiis, tuisque frustis,
Qui tantos sibi sustinet labores.
Hos contendimus esse non habendos?
Hos contendimus esse non alendos.
Et non dulcius esse posse quicquam?
Inter quadrupedes canis fidelis.
Inter quadrupedes canis voluptas.

CAPUT XXV.

Tauros rubro, & Elephantos albo colore efferari: & quam proxime hæc bellua accedat ad rationem humanam. Nec non de hostibus ejus.



OTUM est in Italia, præsertim prope Neapolim, vagari passim in pratis, agris & sylvis magnam multitudinem bufalorum, vel bubalorum, ut quidam dicere malunt. Hoc autem animalis nomen, ut recens & veteribus incognitum esse putatur: ita an de bobus feris vel aliunde originem suam traxerit, aliis excutiendum relinquo. Bufali illi irritati truculentissimi sunt. Etsi enim cornua eorum ita universa (plane diversa ratione ab iis de quibus Herodot. scribit, qui apud Lotophagos præpostere pascuntur, quod cornua inflexa anterius habent, & ob id cessim euntes pascuntur, nam offensantibus in terra cornibus progrediendo pasci nequeunt, alioquin nihil differentes à cæteris bobus præter crassitudinem pellis atque duritiem) etsi inquam, cornua bufalorum inversa natura procreavit, ut ijs magnopere nocere non possint, tamen robore immanis corporis obvia quæque facile prosternunt. Siquidem fama est eos in prostrata animalia tam pertinaciter incumbere, ut ea mole sua premant donec sentiant animam adesse. Ego sane & mei sodales, quum iis in locis essemus, semel atque iterum non leve pericu- *In Melpomene.*

R lum

lum ab iſtis beſtiis irritatis ſuſtinuimus; vix enim earum rabiem celeri fuga, conſcenſis ruderibus forte oblatis, evaſimus. Nulla autem re magis efferatur, quam rubro vel puniceo colore, quod & noſtratibus tauris accidere conſuevit. Unde quum planiciem, ubi olim ſtetit Arpinum patria Ciceronis, in qua gregatim paſcuntur Bufali, & in paludibus atq; lacunis volutantur, tranſiremus, à ductore noſtro, qui vulgo Procaclus appellatur, fideliter admonebamur, uti i, qui rubras veſtes vel ejusdem coloris aliquid gererent, id, ſi tuti ab iis eſſe vellent, ſtudioſe abſconderent. Hoc quoque Juſtinianus in ſuis Inſtit. Juris notavit. Plutarchus præterea de fortuna & virt. Alex. hujus rei mentionem facit, ubi de induſtria hominum & proprietatibus animalium quorundam diſſerit: Belluas captantes homines, inquit, ſibi tergora obvolvunt, plumatisque amiculis amiciuntur, qui ad aucupia eunt; taurorum conſpectum vitant, qui puniceas veſtes geſtant, ut elephantorum qui candidas, nimirum quod iis coloribus irritentur & efferentur belluæ. Lemnius autem ex hiſtoria Macchabæorum probat, Elephantos eodem modo rubro colore irritari. Quum enim duos & triginta Rex Antiochus in aciem produxiſſet, quo belluæ efferatæ in pugna eſſent ferociores, objecta illis eſſe ait rubicunda velamina, mororum atque uvarum rubentium ſucco perfuſa. Nam; inquit, ſanguinolento colore exaſperantur elephantes, atque in hoſtem ſunt atrociores, majorique impetu feruntur. Mira ſane naturæ efficacia eſt, quod colore rubeo tauri ita ferociant, cum tamen quantumcunq; feroces alligati, ut fertur ad ficum, mitescant, ſicut poſt alios Michael Glycas tradit. Quanta autem vis & belluinus impetus ſit, in irritatis tauris, non ignoravit Annibal, quum ipſorum ope miro aſtu ex anguſtiis, in quas incautus inciderat, decepto Fabio Maximo prudentiſſimo & cautiſſimo duce, una cum ſuo exercitu & præda evaderet. Sed obſoleta & trita hæc ſunt. At recentior aſtus Inſulanorum in Tercera non minus memorabilis eſt. Eſt autem Tercera una ex inſulis in Oceano Occidentali, quas Aſores ſeu Falconum vocant, longitudine 58. Latitudine 37. gradui ſubjecta, nonnulli putant olim Caſſiterides fuiſſe, de qua tamen dubito. Noluit hæc mortuo Sebaſtiano Rege Luſitaniæ, & profligato Antonio, qui regni hæreditatem ſibi vendicabat, admittere Hiſpanicum imperium. Miſerat itaque eo Rex claſſem, cui præfecerat Valdeſſum, qui in expeditione Belgica cum Albano Duce multa fortiter geſſerat. Is expoſuit in inſula quingentos milites, qui occupaverant viam anguſtam & cavam inter montes, & inde multum Inſulanis incommodi inferebant, nec facile erat inde illos ex loco natura munito deturbare, quare hoc commento incolæ uſi ſunt. Habet illa inſula multos tauros feros, qui more aliarum ferarum vagantur. Eorum magnum numerum, canibus, venabulis, & accenſis facibus, compulerunt in eas anguſtias, in quibus Hiſpani latitabant

Interdum de obligat. quæ ex delict. naſ.

Lib. 2.

In ſimili. ac parab. Bibliicis c. 55.

In annalib. part. 1.

bant

bant, qui hoc modo irritati, maximo impetu in eos irruerunt, & multos protriverunt, atque illam uti putabant, tutissimam stationem coëgerunt eos deserere, quos disjectos & dispersos, incolæ facile profligarunt, & plerosque interfecerunt. Sed redeamus ad Elephantum. Quoniam autem de illa bellua quæ tam proxime accedit ad humanam rationem, ut non putem, eam ab ullo alio bruto animali hac in re superari, mentio facta est (licet passim multa, inprimis apud Plutarchum de solertia animalium, de Elephantorum docilitate, fidelitate, diligentia, ambitione, clementia, & si liceret dicere, de ipsorum religione & pietate, alijsque affectibus propemodum humanis, apud veteres extent) nonnulla selectiora, quæ & olim & nostro tempore cognita sunt, inprimis autem, quæ Pierius de Hannone elephanto, ab Emanuele Lusitaniæ Rege Leoni X. dono misso refert, recensenda duxi. Minime, inquit, hoc loco dissimulandum, quod super ejusdem Hannonis ingenio Michael Silvius Regis sui ad summum Pontificem, orator, summæ ut nosti, vir integritatis, fideique sanctiss. atque alij narravere, remq; multorum testimonio comprobavere. Quum destinasset Emanuel Rex eum Romam Pontifici donare, navi quam inscenderet jam instructa, parataque ad profectionem, nullo unquam pacto per aliquot dies fieri potuisse, ut Hanno, vel duci se ad navim, vel si quo modo adductus fuisset, eam vellet inscendere, usque adeo aversabundus profectionem hujusmodi reformidabat. Quumque Rex super ea re solicitus admodum esset, magnisq; pollicitationibus unumquemque invitaret, qui deducendi asportandiq; Hannonis negocium suscepissent, neq; quisquam nomen profiteretur suum, insusurratum demum est Regis auribus, ejus belluæ magistri dolo hæc fieri, quippe qui puellæ cujusdam amore præditus ægre ferret se in tam longinquas regiones ablegari, proindeque Hannoni persuasisset, ne se abduci pateretur, abvehendum quippe eum in loca sterilia, inamœna & barbara, ubi ludibrio contumeliisque omnibus tanquam hosticæ terræ animal afficeretur, neq; victui neque ornatui ejus vel necessaria vel commoda suffectura, Longum ad hæc iter, & incommodum & vastum maris æquor arandum: ut satius esset, in qua tunc erat terra quam primum contrucidari, quam per tot viarum difficultates ad ærumnosissimam deniq; vitam pervenire. Rex hac re cognita, magistrum Hannonis ad se quam primum accersiri jubet seque dolos ejus comperisse dicit, Ageret itaq; ut intra triduum Hanno in navim imponeretur, idq; ni fieret propere, interminatus est actutum se hominem extremo supplicio affecturum, ut aliis exemplo esset, qui mandatis regiis fucum facere ausi essent. Hac Regis asperitate territus elephanti magister, quum nullam in cunctatione salutem intueretur, discipulam belluam aggreditur, docet se malevolorum quorundam fraude subor-

In Hierogl. Lib. 2.

natum & qui felicitati utriusque inviderent, & Regi optimo male obtemperantes eſſent. Longe autem ſecus rem habere, quam illi mentiti eſſent. Siquidem non ad immania & effera loca profecturi eſſent, ſed ad urbem Orbis terrarum dominam, amœno loco ſitam, ubi rerum deliciarumque omnium, quotquot vel avidiſſimi cujusque cupiditate expeti poſſint, copia fertiliſſ. redundaret. Ibi eſſe Principem, cui totus pene orbis terrarum aſſurgeret, apud quem is in delicijs habendus eſſet, & tanquam luſciniæ pullus, lauticiarum blanditiarumq; affluentia nutricandus, proinde bono animo eſſet, ſecumque primo quoque tempore lætus & alacer navem aſcenderet; affuturos navigationi Deos & curſum omnem incredibili felicitate proſecuturos. Ita Hannonem ab eodem magiſtro in aliam ſententiam deductum, ubi ſigna data ſunt, ultro navem conſcendiſſe, neque ulla unquam imperia toto itinere detrectaſſe. Memini etiam, quum in Comitijs proximis Spirenſibus una cum amicis elephantum, quem optimus Imperator Maximilianus II. una ſecum adduxerat (rara enim hæc eſt bellua in Germania, licet olim ad Carolum Magnum Aron Rex Perſarum, cujus opes eo tempore in Oriente floreutiſſimæ erant inter alia dona eximia, teſte Aventino, & Gaguino, miſerit elephantum, cui nomen Abulabaz erat) viderem, multaque de mira natura & docilitate ejus à magiſtro ipſius audiviſſemus; quendam quærere, utrum rectius dentes iſti extantes, quibus elephantus ille ab utraq; parte oris armatus erat, an cornua dici poſſent. Pleriſque autem non ambigentibus, dentes non cornua eſſe, immo contendentibus eos neutiquem audiedos, qui elephantum cornutum potius quam dentatum appellare mallent; interpellantibus alijs negocijs, nihil tunc definitum eſt. Verum quum poſtea diligentius hac de re cogitarem, incidi in locum Plinij, ubi dicit, Elephantos, quum Pyrrhus Rex eos primum in Italiam duxiſſet, & in Lucanis viſi eſſent, boves Lucas appellatos, unde apparet pro cornutis, ſicut boves, eos eſſe habitos. Inveni quoque apud eundem Pierium, quod cornua animalium nulli majora neque ſpecioſiora, quam elephanto, attribuat. Probat enim ex Pauſania qui omnino elephantum cornutum facit, tum aliquorum animalium exemplo, quibus aut ſupercilio, aut in naribus cornua naſcantur: tum quod per aliquot annorum periodos corrupta decidant, & nova ſuppullulent, igneque molliantur; quod in dentibus haudquaquam fit; & quod in cranio oriantur. Sed hæc naturalium rerum indagatoribus excutienda relinquamus, & audiamus Augerium Busbequium Legatum Cæſareæ Majeſtatis ad Turcicum Imperatorem. Is enim ſcribit vidiſſe ſe ibidem elephantum plane juvenem, mire lepidum, ut qui ſaltaret & pila luderet. Hic credo, inquit, vix temperabis riſu: Elephantem, inquies ludentem pila, & ſaltantem? Qui minus quam funambulum Terentij, itemque Græcarum literarum peritum Plinij,

Lib. 4. annal. Boior. *Hiſt. Franc. lib. 4. c. 1.*

Lib. 8.

In Hieroglyphicis l. 2.

In Itinere Conſtantinopol.

Plinij,testimonio notos? Sed audi tamen, ne me quicquam fingere existimes, aut perperam intelligas. Quum saltare juberetur, movebat ita alternos pedes, toto corpore coruscans, ut non obscure tripudiare velle videretur:pila vero palmaria ita ludebat; ut pilam in se conjectam proboscide exciperet,longeque repercuteret, quod nos palma facimus, &c. Sane tria genera elephantorum,apud autores inveniuntur, Palustres, Montani, & Campestres. Palustres omnino leves dementesque esse compertum est: montanos pravos & insidiosos; campestres mansuefieri facilius & longe dociliores. Ex his Indici omnium sunt ferocissimi, adeo ut difficulter cicurari possint. His multo ignobiliores sunt Libyci, odorem enim & vocem non patiuntur, Indicosque utpote imbecillitatis suæ conscij, teste Solino,fugiunt, sicut eventus docuit in memorabili prælio inter duos Reges Ptolomæum & Antiochum,ad Raphiam,quod à Polybio describitur. Et hoc prælium cruentum, à Daniele Propheta prædictum fuisse interpretes judicant. Postremo præter eundum non est; Elephantum tam immane & nobile animal (quod non solum suo robore & mole corporis reliquis animantibus longe præstat,est enim, teste Plinio & Cicerone, maximum animal terrestrium, sed tantæ solertiæ,acutissimi sensus, sagacitatis & docilitatis inter belluas est, ut proxime ad rationem humanam accedat) conspectis duobus minutissimis & vilissimis animalculis, mure videlicet, & formica, ἀντιπαθείᾳ quadam occulta, non solum omnem ferociam & vigorem amittere, sed metu & formidine mirum in modum, trepidare & exhorrescere solere. Documentum sane insigne, quam cito sublimia & elata omnia occidant, & minima levissimaque interveniente occasione, in nihilum redigantur. Procreavit præterea natura elephanto alium hostem ferocem, potentem & internecinum, Rhinocerotem. Quæ bellua, ut à Jovio describitur,paulo humilior est elephanto, si altitudinem spectes; sed longitudine prope par; nostratis bubali formam referens: nam ungulas habet bisulcas, verum tergore buxei coloris, eoque ab impenetrabili duricie duplicato, tanquam perpetuo thorace protegitur,armaturque pedali osseo cornu supra nares eminente, quo ferire sub utero, atque transfodere elephantem peculiarem suum hostum, solet,si tamen injectæ ad collum & ocyssime strangulantis proboscidis vim effugiat. Nam in congressu perpetuò simulati, aut parta victoria aut certe decora morte satisfacit hæc mira ἀντιπάθεια istarum bellarum, apparuit, cum Emanuel Rex Portugaliæ Rhinocerotem Romam mittere constituisset, qui tamen in naufragio, cum esset compeditus, & ad miraculum usque natando evadere conatus fuisset,in Ligulticis scopulis perijt. Ferunt hunc Rhinocerotem (pergit ibidem Jovius) quum ab Oceano Vlixponensi in portu exponeretur, aspectu atque ore suo elephantum, qui tum erat in regia, us-

Lib. 5. Cap. 11.

In elegio Tristani Acunii Lusitani.

eque adeo truculenter terruiſſe, ut elephas ipſo naturæ miraculo præcipue infeſtus concepto incredibili pavore, ſeptum caveæ, ferreis ingentibus clathris permunitam, humerorum & capitis præcipiti impulſu, perruperit, & in longam ſe proripiens fugam, terribilique barritu edito, ſtridens, & furens, cuncta obvia proſtraverit. Sane & hac in re Elephanto natura proſpexit. Is enim quantumcunque inſanus, & furens, ariete conſpecto, manſueſcere dicitur.

Caput XXVI.

Aquam marinam potius excitare, quam extinguere incendium; Et de navibus quædam memorabilia.

Quum Anno M. D. LXXIV. Jenæ in prandio apud Illuſtriſſ. Principem Saxoniæ Fridericum Wilhelmum, tunc vix pubeſcentem, forte mentionem feciſſem de incendio quo nuper major pars palatij Ducis Veneti conflagraſſet, ſua Celſitudo mox ex me quæſivit, quo pacto ignis tam late ſerpere potuiſſet, cum magna vis aquæ in promptu fuiſſet. Tota namque, ajebat, urbs Veneta in paludibus Adriaticis ſita eſt, ut ab alijs audivi, & picturæ hoc exacte demonſtrant. Ad hanc percunctationem quum reſpondiſſem, compertum ſæpius eſſe, aquæ marinæ non tantam, ut dulcioribus aquis, vim, ad extinguendum ignem ineſſe, idque propter ſalſedinem, quæ igni quaſi vires ſubminiſtrat. Quare ſæpius & olim & noſtro tempore accidiſſe, ut propemodum totæ claſſes in medio ſalo conflagrarint. Quæ res quum ſuæ Celſitudini mira videretur, multas egregias rationes clariſſ. vir D. Johannes Schroterus, ut eſt non ſolum in arte Medica, ſed omnium rerum naturalium peritiſſimus, in medium protulit: & de proprietatibus maris erudite diſſeruit. Noſtram præterea ſententiam, additis eruditis rationibus confirmabat David Uttenhovius, vir nobilitate generis, & experientia rerum præſtantiſſ. Præfectus aulæ, quos ambos honoris cauſa nomino. Ita ut gauderem me autorem tam elegantis diſputationis fuiſſe. Hæc ſane colloquia mihi deinceps occaſionem præbuere, ut reverſus domum accuratius de ea re cogitarem. Non ſolum autem in memoriam revocavi, quæ apud Macrobium, marinam aquam pinguedinem habere, quæ quum inſpergatur flammæ, eam non tam extinguat, quam pariter accendat, nec non & apud Proco-

Lib. 7. c. 14.

Procopium, bitumini & sulphuri aquam majorem vim ad ignem alendum addere solere; denique apud Sabellicum legeram. Scribit enim hic tempore Moceniti Ducis in urbe Veneta ingentem cladem ex incendio, ut sæpe alias, acceptam. Siquidem ignem ex Ducario repente ortum, Auream D. Marci ædem, quæ illi incubat, repente corripuisse; flammamque ibi tam atrociter esse debacchatam, ut liquefacto plumbo (qua materia, ut nuper quoque tota ædes operta fuit) nihil quibusdam locis præter nudas testudines incendio superfuerit. Sed etiam opportune incidi in locum Dionis, quem ut refert, & ex Græco vertit Lazarus Baifius, ascribendum duxi. Dionis igitur verba cum pugnam navalem Antonii quæ ad Actium cum Cæsarianis facta est, describit, sunt hæc: cum ita diutius pari Marte dimicarent; Cæsar dubius quid sibi agendum foret, jussit è castris ignem comportari. Neque enim antea eo uti voluerat, sibi suisque prædam servare cupiens. Tunc autem prospiciens aliter victoriam se consequi non posse, ad illud tanquam extremum auxilium descendit: Ibi vero genus aliud pugnæ videre erat. Isti enim simul undecunq; adnavigantes in adversarios tela ignita conjiciebant, facesque ardentes emittebant, complures ollas etiam carbone piceq; refertas eminus machinis jaculabantur. Illi autem, ut singula quæque poterant, detrudebant. At ubi ea tela in materiam & ligna inciderant, flammamque multam utpote in navi excitaverant; primum quidem ad ea extinguenda aqua dulci, quam potus gratia comportarant, utebantur: nonnullaq; ea ratione extinxerunt. Ubi vero illa consumpta est, hauriebant aquam marinam, & quamdiu ea multa & abundanti usi sunt, ignem aquæ vi cohibuerunt. Quum autem non possent ubique id præstare, neque enim multa, neque ea ipsa ingentia habebant instrumenta ad aquam hauriendam, vasaq; adeo ipsa propter trepidationem " semiplena hauriebant. Quare non solum nihil proficiebant, sed ignem præ- " terea irritabant. Aqua enim salsa maris, si sensim in flammam infundatur, ve- " hementer ipsam excitat. Refert quoque Jovius in suis historiis, in conflictu quodam inter Gallos & Anglos, duas naves Britannicas, & Galliam unam inusitatæ magnitudinis, quam Cordigeram appellabant, cum harpagonibus connexæ essent, & diu tormentis & facibus dimicassent, tandem uno tempore miserabili exitu conflagrasse, & supra duo millia hominum, aut discerpta tormentis, aut flammis circumventa, aut demum semiambusta sponte in Oceanum præcipitata, periisse, totidemque fere omnis generis ænea tormenta Oceano submersa esse. Hujus Cordigeræ & Anglicæ navis una cum viris militaribus interitus, late & prolixe quoque describitur ab Huberto Vellejo. Idem accidit nostro tempore (sicut ex viro fide digno, qui huic prælio interfuit, audivi) in bello illo diuturno inter cognatos Reges Danum & Suecum. Nam quum ab universa fere Danica classe, una Suecica immensæ magnitu-

De bello Persico l. 2. *Lib. 19 decad. 1.* *In tractatu de re navali* *Lib. 71.* *In appendice historiæ Roberti Gaguini.*

gnitu-

gnitudinis & viris militaribus tormentisque inſtructiſſ. navis, quam ſi r... ...cte memini Magelesam à gigante quodam appellarunt, indagine cincta ... ſet, eaque diu fortiter ſeſe defendiſſet, neque expugnari aut ſubmergi potui... ſe, tandem forte igni miſſili in pulverem incendiarium conjecto, miſere u... cum viris & toto apparatu bellico & nautico; qui fuit immenſus, uſtulata... in mari periſſe. Affirmabat autem ille oculatus teſtis, hanc navem militare... munitæ arcis inſtar, tam excelſam, & trabibus intermixta lana aliisque r... bus firmam inſtructamque fuiſſe, ut ab omni vi & injuria hoſtilium torme... torum tuta fuerit, eamque judicio maritimarum rerum peritorum potui... ſuſtinere & eludere quosvis hoſtiles impetus, donec vel in portum app... liſſet, vel ſubſidia à ſuis habuiſſet, ſi non vi illa majori, ut dictum eſt, de... cta & ſubmerſa fuiſſet. Similem navem firmiſſimam deſcribit Hieronym... Oſorius, quum prælium navale Luſitanorum cum Dienſibus, qui Mam... lucos in auxilium accerſiverunt, prolixe recenſet. Relinquebatur, inqu... una adhuc navis, quæ adhuc expugnata non fuerat. Erat enim altiſſima... munitiſſima, & coriis crudis, ut ſi noſtri in eam ingredi vellent, eorum vel... gia labarent, obducta: & ſimiliter ſi faces conjicerent, incendium excitari n... poſſet. Milites in ea diſpoſiti erant permulti, & ad periculum propulſandu... viribus & animis & armorum exercitatione paratiſſimi. Utrumq; autem la... tanta erat craſſitudine & firmitate præditum, ut nullis globorum ictibus v... nerari poſſet. Tandem cum noſtræ naves illam circumſiſterent, & diutiſ... vehementer oppugnarent, demerſa eſt & propugnatores ſe in mare deni... runt. Noſtri eos nantes celocibus inſecuti in fluctibus occiderunt, ita ut p... ciadmodum evaderent. De ſimili nave, quæ tanto robore erat & craſſitu... ne ut omnes globos, non minus quam ſi eſſet à ſilice facta, repelleret, ibid... Oſorius ſcribit. In harum navium numerum recenſeri potuiſſet imme... magnitudinis & roboris navigium, quod Galeonum vocant. Id non ita p... dem Veneti, maximis ſumptibus ad arcendas piratarum incurſiones uti fa... eſt, ædificarant. Quum autem ſex paſſuum millia ab urbe in anchoris ſta... ſuborto primis tenebris ingenti violentoq; turbine navalis magiſtri im... ritia, qui illu..., ut fertur, parum exacta ratione fabricarat, abſorptum ... mergitur, nullaq; poſtea arte, vi & ingenio è profundo extrahi unquam ... tuit, incredibilisq; tormentorum, belliciq; apparatus jactura facta eſt, ut ... ſtinianus refert, ubi paulo poſt commemorat, quæ ingenioſa & ſumptu... machina, ad extrahendū è profundo hoc navigium inventa ſit, cujus ve... cum memorabilia ſint & huic capiti convenire videantur, aſſcribere vo... Ingentem, inquit, poſthæc, admirandamq; ingenioſiſſimus artifex Bart... lomæus Campi navalem machinam conſtruxit, ut Galeonum è profundo... lagi extraheret, quod exacto anno nocturnus turbo medio mari demerſ... mo...

De reb. Ind. lib. 6.

Lib. 8.

In hiſt. Venet. l. 14.

moleſq; multis aſſeribus bipedalibus ſeſquipedalibusq; compacta erat, cum frequentioribus tubis, ad evomendam maris aquam. Ejusq; longitudo quinquaginta cubitis conſtabat, altitudo triginta, latitudo quindecim, & fibulis clavisq; innumerabilibus, tigna craſſiſſima, ſupra & infra duorum pedum intervallo mira firmitate revinciebantur. Ingens adhæc rudentum funiumque quadruplicibus majoribus ſpiris intextorum copia parata erat, ferreiq; unci ac hami, quibus ſubligacula innecterentur ad erigendum aliquo modo ex profundo abyſſi Galeonum. Depreſſaque eſt machina altis fluctibus ad perpendiculum circa Galeoni latera. Sed incaſſum omne ſtudium impenſum; Operis tamen eximia ſtructura immortalem claramq; artificis cunctis ſeculis memoriam reddet, cui non ingenii felicitas defuit, ſed occulta quædam fati vis obſtitit, quò minus res memorabilis ad exitum perduceretur. Hæc Juſtinianus. Poſtremo omittendum non eſt, quod Lilius Gyrald. ex Theophraſto recenſet, viſco videlicet illitam materiam nō ardere, nec non turrim ligneam ad Pyræum Athenienſium portum, quam Archelaus Mithridatis Præfectus multo alumine oblevisſet, Sylla oppugnante minime arſiſſe. Vetus quoque opinio fuit, Laricem igni non cedere & prope contra eum illæſam perſiſtere. Quin & aſſeres objiciendos adverſus ignis pericula antiquorum quidam juſſere. Verum enimvero hoc tempore uſu comprobatum eſt, uri quidem, ita tamen ut ab ſe diſcutere & repellere ignem velle videatur. Flammam enim nō recipit, nec carbonem remittit, ſed ſpacio longiore vix comburitur, quod minima ſit ignis & aeris temperatura. Cognitum id ſumma Cæſaris admiratione apud Larginum oppidum ex arboris copia nuncupatum, quando ignibus obvallata turris ſuperfuit citra nocumentum.

De navig. c. 4.

CAPUT XXVII.

De improviſo periculo & morte quorundam Principum virorum.



A PARENTE meo optimo & præſtantiſſ. (quod enim alieno teſtimonium redderem, quodque illi ab iis qui ſunt ſtudioſi optimarum artium & partium, attribuitur, eo non fraudabo genitorem meum) puer ſæpius audire memini, Illuſtriſſ. principem Marchionem Albertum Brandenburgenſem Caſimiri filium, quum eſſet admodum adhuc juvenis, à venatione redeuntem, cum ſuis familiaribus cubiculo quodam calce tectoria nuper illito, cum contra-

 cta ex

cta ex labore, ſiti, largius poculis indulſiſſent, pernoctaſſe, mox illos omnes eodem in loco cubantes tam periculoſe laborare cœpiſſe, ut ſuſpicio à quibusdam ſuſpicacibus & curioſis hominibus orta ſit, eos in potu venenum hauſiſſe, cum præſertim unus & alter ex iis eo morbo ſubito extinctus eſſet. Ideoq; D. Maggebuchum Medicum tum temporis celeberrimum Norimberga ad Principem accerſitum fuiſſe, cumque ex diligenti percunctatione ſtatim vitium cubiculi, & cauſam morbi animadvertiſſe, adhibitisq; remediis neceſſariis, atq; inter illa inprimis ſale abſynthii chymico, juſſiſſe Principem in ſalubriora loca deferri. Tantam autem fuiſſe vim morbi in Principe ajebat, ut omnes ungues digitorum delapſi, & articuli manuum adeo emolliti fuerint, ut in utramque partem flexibiles apparuerint. Vixque cum labore magno & diligentia juvenem Principem valetudinem priſtinam recuperaſſe. Id periculum eo majus fuit, quod reperiamus aliquot magnos viros, hoc latens virus in calce tectoria recente, accedente præſertim intemperantia cibi & potus, accenſisq; prunis in clauſo cubiculo, non animadvertiſſe, ideoq; ſibimetipſis cauſam mortis pleroſque imprudenter, nonnullos tamen & data opera, accerſiviſſe. Teſtis nobis eſt Ammianus Marcellinus, recenſens mortem Joviniani Imperatoris, qui Juliano apoſtatæ ſucceſſerat, cujus hæc ſunt verba: Hinc quoq; Jovinianum celeri gradu, præſcriptus vitæ finiendæ dies exegit. Quum enim veniſſet Dadaſtanam, (qui locus Bithyniam diſtinguit & Galatas) exanimatus inventus eſt nocte, ſuper cujus obitu dubitationes emerſere complures. Fertur enim recenti calce cubiculi illiti ferre odorem noxium nequiviſſe, vel extuberato capite periiſſe ſuccenſione prunarum immenſa, aut certe ex colluvione ciborum avida cruditate diſtentus. Deceſſit autem anno triceſimo ætatis & tertio. Quumque hic & Æmiliano Scipioni vitæ exitus ſimilis eveniſſet, ſuper neutrius morte quæſtionem comperimus agitatam. Vellejus Paterculus autem ſcribit, hunc Scipionem mane in lectulo mortuum eſſe repertum, ita, ut quædam eliſarum faucium in cervice reperirentur notæ. Hoc confirmare videtur Plin. ubi dicit hunc Scipionem quum domi repente exanimis eſſet inventus, obvoluto capite elatum, ne livor in ore appareret. Sed ut redeamus, unde digreſſi ſumus, idem accidit Q. Catulo, quum ſævitiam Marii & Cinnæ ſpontanea morte prævenire vellet, ut idem Paterculus memoriæ tradidit. Q. Catulus, inquit, & aliarum virtutum & belli Cimbrici gloria, quæ illi cum Mario communis fuerat celeberrimus, quum ad mortem conquireretur, concluſit ſe loco nuper calce arenaque perpolito, illatoque igni, qui vim odoris excitaret, ſimul exitiali hauſto ſpiritu atque incluſo ſuo, mortem magis voto, quam arbitrio inimicorum obiit. Hæc autem vis nocendi in calce recenti, incluſo aere accedentibus etiam aliis adminiculis, de quibus dixi, reperitur: alioquin frequês calcis

Prope finem lib. 26.

In fragmentis hiſtor.

De viris illuſt. lib. 2. cap. 58.

calcis per ſe in medicina uſus eſt, teſte Plinio. Unde Galenus tradit, calcem ſæpius aqua lotam, valde ſiccare absque ulla mordacitate. In quem uſum hodierna die ad ulcera, emplaſtra ſalutaria conficiuntur. Non deſunt etiam qui exiſtimant calcem apte temperatam & illitam, aeris injurias nihilominus quam gummi, cedrium bitumen, mel, gypſum, aut ceram prohibere. Sed hæc ad naturalium rerum peritos rejicienda ſunt.

CAPUT XXVIII.

De morte Thomæ Mori, & quare Anglia lupis careat, nec non de muro vel vallo Pictico mirabilia.

IN legatione Sereniſſ. Reginæ Angliæ ad Cæſaream Majeſtatem (in qua princeps fuit Philipp. Sydnæus Viceregis Hiberniæ filius, tam illuſtri patre & animi & corporis dotib. digniſſ. ſoboles) enituit inter alios nobiliſſ. viros Georgius Morus, ex magni illius Thomæ Mori gente prognatus, cujus colloquia & converſatio mihi tam jucunda fuit, ut ejus memoria permanſura animo meo ſit perpetuo. Sæpius autẽ conſiderans ejus præclarã indolem & ſuavitatẽ morũ cum inſigni modeſtia conjunctã, in mentẽ mihi venit qualis & quantus Vir Thomas Morus fuerit, qui exitũ habuit, ſicut magnorum virorũ & patriæ amantiũ plerumq; eſſe ſolet, cum alienus eſſet ab omni aſſentatione, & quemadmodum fertur in novo matrimonio Regis ſui à reliquis aulicis diſſentiret, ideoque ut fieri ſolet, invidia virtutem ferre non poſſet. Etenim cum ſit invidia integritatis aſſecla, experientia teſtatur, quod iis maxime invidere homines ſoleant, quos ad virtutem rectiore tramite prodeuntes intuentur. Quocirca apud Plutarchum Themiſtocles, quum adhuc adoleſcens eſſet, nihil à ſe fieri ſplendidum dicebat, cum neminem adhuc ſibi invidum ſenſiſſet. Hoc etiam Plutarchus notavit in libro, quem de ſilentio Pythiæ oraculi ſcripſit ubi commemorat Corinthi in Oeco inter templi anathemata extitiſſe palmam æneam, cujus ad radices viſebantur ranæ & ſerpentes. Quibus ſignificabatur, à vitilitigatoribus, obſtreperis, ac maledicis, invidorum linguis exitiali veneno armatis, impeti illorum vitas, qui non obliqua, ſed recta ratione ad dignitatis rerumque faſtigia emergunt. De qua re extat pulcherrimum emblema XVI. doctiſſ. viri Hadriani Junii Medici, cum erudita interpretatione in ſuo elegantiſſ. libello Emblem. nec non & Joannis Boiſſardi Emble-

maxix. Sed ut ad Thomam Morum revertamur, de ejus morte habemus narrationem luculentam Nicolai Schombergii Cardinalis Capuani, in libro Italico, cujus autor eſt Zilletus, eique titulum fecit *Letere de Principe, &c.* Ejus autem Epitaphium tale à Joanne Secundo Hagienſi conſcriptum extat.

Quis jacet hic? truncus, cujus caput enſe reciſum eſt.
Quæ natat in tetro ſanguine? canicies.
Hic iſte ille Thomas Morus: ſic fata rependunt
Triſtia multa bonis, & bona multa malis.
Quæ circumſiſtunt diva lugubre cadaver?
Diva tenax veri, ſancta fides, Nemeſis,
Quarum prima fuit cauſa; & fuit altera mortis,
Vltrix injuſta tertia cædis erit.

Sed de cauſis, cur Thomas Morus capite plexus ſit, inter quas à nonnullis recenſetur, quod legibus publicisq; Regni decretis in abrogando Pontificis dominatu ſuffragari detrectarit, aliorum prudentiorum judicium eſto, & redeamus ad Sydnæum, Equitem nobiliſſ. & præſtantiſſimum, ex illuſtri Comitum Warvicenſium familia oriundum, qui erat caput, ut dixi legationis Regiæ & rectè à Gulielmo Camdeno, magna ſpes hominum, expreſſiſſimum virtutis exemplum & literati Orbis amor, appellatur, atque merito ejus obitus intempeſtivus, cum præconio virtutum, quibus præditus fuerat, deploratur. Vulneratus enim fuit fortiter pugnans cum hoſte ad Zutphenum Geldriæ, ex quo vulnere initio non lethali accedentibus aliis quoque, de quibus ſcribendum non eſt, paulo poſt diſceſſit anno 1586. Is, inquam, pro ſua eximia humanitate, multa notatu digna nobis referebat, cumque inter alia mentio facta eſſet, an ita ſeſe res haberet, quemadmodum & veteres memoriæ tradiderunt, & vulgo creditur, quod Anglia nullos lupos, vel ſponte productos, vel aliunde importatos, ferret, idque contingeret occulta quadam vi, & antipathia naturali, ſicut multæ regiones non patiuntur mures, ſerpentes, & alia venenata animalia, veram cauſam diſerte expoſuit, quam ſanè cum ea alibi, ut puto, tradita non reperiatur, hic commemorandam duxi. Fabula, inquit, eſt, quod regnum noſtrum proprietate quadam inſita & incognita, lupos non ferat, nam paſſim in vivariis apud magnates incluſi conſpiciuntur, & veluti beſtia rara ex vicina Hibernia aliisve locis importantur, & oſtentantur, ſed interdictum eſt ſeverè, ne vagari extra clauſtra permittantur. Quod autem diu ante, & hodierno tempore, Anglia lupis caruerit, procuratum eſt induſtria & arte ſuperiorum Regum noſtrorum. Conſtat enim hoc ſævum & vorax animal, olim non minus frequens apud nos fuiſſe, quam in Germania & aliis regionibus vicinis multumque damni dediſſe ovibus, quibus abundat Anglia, & ex illarum gregib⁹ fere innumeris quotannis, maxi-

In Britannia.

maximos reditus habet. Nam præstantia Anglici panni, qui ex lana earum conficitur, apud omnes gentes non obscura est. Etsi autem Anglia celebratur propter canes & molossos generosos & feroces, quorum singuli armati armillis suis ut moris est, quam plures lupos non formidabant, sed strenue cum illis pugnant & si non lacerant, attamen abigunt: tamen caveri non potuit, quin insidiosum illud animal, multum damni gregibus ovium, tam in pascuis, quum in caulis, noctu atque interdiu, nonnunquam inferret. Decretum igitur superioribus seculis regium factum est, ut ii qui aliquod delictum non dolosum commisissent, & tale esset, ut mortis pœna aliqua ex parte mitigari jure posset, hoc modo plecterentur, ut tamdiu extorres & infames essent, donec aliquot capita vel linguas luporum à se interfectorum, quorum numerus pro modo delicti, ex arbitrio judicis, major vel minor imponebatur, afferrent, & hoc pacto veluti noxam solverent, & sese expiarent. Hoc tam diu aliquot seculis duravit, ut crescente improbitate hominum, & multitudine delinquentium, sontes continue tam exquisite lupos & catulos rimati fuerint, ut quum lupicidarum plures essent, quam ferarum, quæ indagabantur, ii universi ex latebris & antris remotissimis extracti & interfecti sint. Unde accidit, ut tandem omne lupinum genus, penitus & radicitus interficeretur & deleretur. Cumque Anglia Oceano circumcirca, excepto eo angulo, quo cohæret Scotiæ, ambiatur; ac cautum severe esset, ne lupi deinceps importarentur, qui rursus seminaria pestis eradicatæ producere possent: nullum postea periculum amplius fuit; ne sponte denuo pullularent lupi, atque hoc pacto ex Anglia universa, hæc noxia bestia una cum catulis pulsa & prorsus eradicata est, hacque peste oviculæ liberatæ sunt, ita, ut nunc greges ovium, plerunque absque custode, in collibus & pascuis, noctu & interdiu: hinc inde, sine metu oberrare conspicias. Ob eam causam ista pœna luporum eradicandorum ergo inventa, quum nulli amplius vel in remotis montibus sylvis & antris reperirentur, necessario sublata fuit. Etenim posterioribus temporibus accidit, ut adscripti illi ad perniciem luporum, per decennium, & diutius, omnes sylvas & lustra ferarum, maximo labore, nequicquam perscrutantes, exilium perpetuum, gravius morte, perferre cogerentur. Cæterum ad Scotiam quod attinet, negari non potest, eam lupis neutiquam carere, sed cum angusto spacio terræ Angliæ cohæreat, ab utroque latere æstuariis maris insinuantibus, & fluminibus rapidissimis in Oceanum sese effundentibus, idque terræ spacium exiguum quod restat, & limes utriusque regni est, munitionibus & frequentia hominum, atque multitudine canum ferocissimorum occupetur; illic transitus luporum ex Scotia ad nos nullus est, & hac in parte etiam metu hujus exactæ bestiæ caremus. Hanc ajebat veriorem causam esse, quod An-

glia lupis careat, quam quod terra ipſa & regio eos natura non patiatur. Magno cum applauſu & iſta, & alia memorabilia inprimis de Hibernia, in quo regno pater ipſius Viceregis locum tunc obtinebat, & de antro illo olim religioſo Patricii, ſed nunc, ſuperſtitione detecta, plane neglecto, in convivio audita ſunt, & nemo erat, qui hac de re amplius ambigeret, applaudente præſertim Huberto Langueto, viro judicio perſpicaciſſimo, & rerum experientia præſtantiſſimo. Cœpi autem paulo poſt accuratius cogitare, & inſpicere tabulas topographicas Angliæ & Scotiæ, adjunctis hiſtoricis, inter quos Gulielmus Camdenus & Buchananus præ reliquis celebres ſunt, & reperi omnia convenire huic narrationi. Inprimis autem Scotiam lupos infeſtare, apparet ex eo, quod Buchananus ſcribit. Ferchardum LIV. Regem Scotorum inter venandum à lupo vulneratum, accedente febre, paulo poſt diem ſuum obiiſſe. Quod autem Oceanus ab utraque parte Angliæ in mediterranea loca anguſtiora ſe, ubi Scotiam ſpectat, inſinuet, patet ex eo, quod Severus Imperat. ad tuendam Britanniam contra hoſtiles incurſiones, in continenti magnam foſſam, firmiſſimumque vallum, crebris deſuper turribus communitum per XXII. millia paſſuum (ſic enim & non CXXXII. ſcribendum Buchananus lib. 4. putat) à mari ad mare duxit. Eodem modo & Adrianus Imp. vallo & foſſa, inter Tinæ & Eſcæ fluminum æſtuaria, per octoginta millia paſſuum ductis hoſtes à provincialibus excluſit, ſicut idem Buchananus ex Beda & Spartiano, aliiſque hiſtoricis, prolixe de rebus Scoticis demonſtrat. Cæterum ea, quæ ſermonibus nobiliſſimi Sydnæi, de lupis deletis recenſuimus, confirmare videtur idem Camdenus, quum Ordovices ſive Montgomericos pagos deſcribit, licet alium modum indicet. Numeroſi, inquit, ovium greges in his montib. errant, nec ullum eſt à lupis periculum, qui tunc per univerſam Angliam deleti ſunt, cum Edgarius Viſiſaxo Ludvallo harum regionum Principi tricenos lupos in ſingulos annos, vectigalis nomine imperaret. Idem autor quoque inſulam Hiberniam, quæ Angliæ propemodum contigua eſt, ita ut ſereno cœlo utraque inſula conſpici ſimul poſſit, ſicut Beda ſcribit, licet ſerpentibus & venenatis animalibus careat: tamen lupis refertam eſſe ſcribit, ita ut Hiberni illi ſilveſtres, lupos in magno honore habeant, & in patrimos adſciſcant, quos Charichriſt appellant, pro eis orantes & bene precantes, & ſic ſe ab illis lædi non verentur. Non ſecus ac veteres idololatræ Vejovis idolum, non ut juvaret, ſed ne illis noceret, ſacrificiis ſuis coluerunt. Quare non eſt mirum, quod Ariſtoteles ſcribit, apud Mæotidem paludem lupos eſſe, piſcatoribus familiares, qui niſi partem ſuam à piſcatoribus acceperint, retia lacerent; quæ terra expanſa reſiccantur. Murus quoque vel vallum Picticum admirandum, olim contra incurſiones Barbarorum

De reb. Scoticis Lib.

In Britannia.

Lib. 9. de hiſtor. animal. cap. 36.

rum, ad muniendam Angliam in provinciam redactam, à Romanis mira prudentia constructum, ab eodem Camdeno non minus erudite, quam eleganter & prolixe, describitur. Ejus quoque mentionem facit Beda Anglosaxo, & locum ubi adhuc ejus rudera apparent, designat. Addit quoque, quando & quomodo hic murus à Scotis & Pictis dirutus sit. Ubi inter alia recenset, muri hujus vestigia & rudera multis in locis extare, eumque castella habuisse crebriora, millenis passibus disparata, quorum radices quadrata forma alibi visantur, & his turres interpositas, in quibus dispositus miles barbaris immineret, & stationes Areani haberent. Genus id hominum erat, pergit ille à veteribus institutum, quorum, ut inquit Marcellinus, officium erat, ut ultro citroque per longa spacia discurrentes, vicinarum gentium strepitus nostris ducibus intimarent. Tubulum item æreum, eo artificio muro insertum inter singula castella & turres intercurrisse ferunt accolæ, ut si quis vocem in eum quacunque turri immisisset, statim sonus in proximam, inde ad tertiam, & omnes deinceps non interruptus perferretur ad significandum, ubi loci hostium insultus timeretur. Cujusmodi miraculum de Bizantii turribus è Dione refert Xiphilinus. Et paulo post: Vulgi de hoc muro fabellas sciens prætermitto, hoc unum tamen, quod à fide dignis accepi, lectori subducere nolo. Durat tradita persuasio, in magna parte populi circumvicini, limitaneos milites plantas vulneribus salutares olim in suum usum hic passim plantasse. Unde Empirici Scotorum chirurgi quotannis ineunte æstate huc ad plantas colligendas confluunt, quarum utilitatem longo temporis usu edocti, mirifice laudant & saluberrimas esse affirmant. Hactenus Camdenus. Cæterum ad tubulos æreos quod attinet, habemus, ni fallor, hodierno die specimen hujus artificii Mantuæ, in palatio Ducis, ante portam Sebastiani, in cubiculo quodam concamerato, ubi per ejusmodi, ut fertur, tubos, sub pictura, prælium Gigantum deos oppugnantium referente latentes, ex dissitis angulis transversim colloqui aliquis cum alio potest, quod proxime astans non percipit, cum tamen, qui ex altera parte cubiculi stat, admotis auribus ad parietem, (quod ipsemet cum meis sodalibus expertus sum) perspicue intelligat, ita ut ea, quæ modo Romanorum industria relata sunt, neutiquam pro fabulosis haberi possint, sicut non desunt, qui potius tanquam nugas explodunt, quàm fidem adhibeant.

In historia Severi.

CAP.

Caput XXIX.

In magnis & ſubitis mœroribus, lacrymis interdum locum non eſſe.

Lib.12.c.2. ant.Iudai.



LAVIUS Joſephus memoriæ tradidit, Ptolomæum Philadelphum Regem Ægypti, cum illi libri ſacri, literis aureis deſcripti porrigerentur, præ gaudio lacrymas uberrimas profudiſſe. Etſi autem hoc illi, ſicut aliis accidit, qui interdum præ ingenti lætitia, quam ex improviſo percipiunt, lacrymas continere nequeunt. Eodem modo lacrymandi frequentior cauſa eſt, cum homines mœrore & ægritudine afficiuntur: Velut Quintilianus dicit, Lachrymas natura mentis indices dedit, quæ erumpunt dolore, aut lætitia manant. Sicut in utroque genere in libro Eſdræ teſtimonium extat, ſiquidem ibi legimus, templo extructo populum fleviſſe, at non omnes eadem cauſa. Pars eorum dolebat: recentem fabricam dignitate atque ornamentis à priori multum diſtare: at è diverſo lætabantur alii, domum DEI, quæ tam diu proſtrata jacuerat, denuo excitatam. Et habemus præterea memorabile exemplum in Alexandro Magno, quum Nearchus claſſis ſuæ præfectus, ex longinqua & antea incognita navigatione, de improviſo ſalvus adveniſſet, & Rex lachrymas profunderet, cum non tam ob proſperum reditum amici lætaretur, quam claſſem & tot milites veteranos amiſſos eſſe metueret. Etſi, inquam, non raro ob mœrorem & lętitiam lachrymæ promiſcue profunduntur, tamen in magnis & inſolitis perturbationibus animi, plerumque accidere ſolet, ut lachrymæ ſtupore quodam retentæ, non emittantur, cum tamen in mediocrib. miſeriis eæ vix comprimi queant. Quod Phædræ apud Senecam accidit, ubi ita conqueritur: Curæ leves loquuntur, ingentes ſtupent. Accidit hoc quoque Arminii uxori captivæ, de qua ita Tacitus, Ea neq; voce ſupplex, neque victa in lachrymas, compreſſis intra ſinum manibus gravidum uterum, intuebatur. Quemadmodum n. in profundioribus vulneribus corporum, acutis armis factus, antequam ſanguis fluere incipiat, prius veluti candida fiſſura lineave apparet: non ſecius animus ſubito dolore, ſicut ſagitta percuſſus, lachrymas ſiſtit, neque eas erumpere permittit, niſi cor paulatim dolorem velut concoxerit. Nam ſunt lachrymæ inſtar ſanguinis animi perturbati & afflicti: ſiquidem animus triſtitia & dolore obrutus ad ipſam cerebri pelliculam fertur, ubi humorem, quem illic offendit, interdum comprimit, interdum erumpere cogit. Unde quidam putant humorem hunc lacrymam à Latinis dici, quaſi lacerrimam, quoniam ex animi laceratione cientur lacrymæ.

Arrianus de reb. Indicu.

Et

Et affert Alexand. Aphrodis. causam, tum mœstis, tum lætis congruentem, *Cap. 12.*
cur nempe utrique lacrymas profundant. In mœstis, inquit, hoc fit ob an- *Probat.*
gustum visus meatum, qui oculorum humorem comprimit, in iis, qui lætitia
gestiunt idem humor propter meatuum raritatem effunditur. Seneca au- *Epist. 100.*
tem putat ictu doloris totum ferme corpus concuti, & una oculos, à quibus *ad Lucilium*
adjacens humor exprimatur. Alii, inter quos est Plutarchus, speciem quandam sudoris fletum esse putant. Quomodocunque autem sese res habeat, experientia testatur; vel lætas vel adversas res, plerunque lacrymas hominibus exprimere. Sunt præterea quidam alii affectus, ex dolore ac lætitia mixti, qui nobis eas excutiunt, quemadmodum est ira vehemens, quæ secum ex contemtu doloremconjunctum habet, & una nonnihil lætitiæ seu voluptatis, dum ultionem tanquam præsentem meditatur. Misericordia etiam lacrymas exprimit, quando malis alienis perturbamur, ac dolemus, & afflictis prodesse cupimus. Necnon & desiderium vehemens lacrymas elicit. Hinc fit, ut cum sanctis viris horrenda spectacula peccatorum sæpissimè occurrant, facilius in lacrymas, quam risum solvantur. Id quoque Christo Servatori nostro accidit, quem sæpius flevisse, risisse autem nunquam legimus. Licet ipsius affectus cum nostris comparari neutiquam possint. Fuerunt enim motus perfecti, & non egrediebantur præscriptum verbi Dei, rationemque pœnæ non culpæ habebant. Affectus nostri autem sunt impuri: & secundum D. Augustinum, affectus Christi derivabantur ex potestate; nostri oriuntur ex infirmitate. Christus potuit suos adhibere, quando & quandiu vellet; nostri nobis nolentibus insurgunt, nec licet eos frenare, ideo turbidi sunt: Christi verò limpidi. Sed ne longius extra propositum excurram: Fœminis sanè, quarum natura mollior est, lacrymæ magis familiares esse solent. Et secundum Pythagoram duo lacrymarum genera sunt in oculis mulierum: veri doloris unum: insidiarum verò aliud, quibus addere tertium libet. Sunt *Lib. 1. §. Hoc*
enim lacrymæ interdum apud illas loco precum, vel ut Ulpianus Jurisconsul- *autem circa*
tus sentit, ploratus est illis instar armorum. Sane natura nostra in utroque *medium ff.*
sexu ita comparata est, ut lacrymæ quasi animo afflicto recreationem, & sub- *de Senatuscons.*
levationem afferre putentur, sicut Naso non uno in loco, haud inutiles lacry- *consul. Sylan.*
mas esse testatur, sed in eo potiss. ubi canit:

——est quædam flere voluptas,
Expletur lacrymis egeriturq; dolor.

Imo licet Menander lacrymas nihil prodesse arbitretur, tamen tandem fatetur, mœrôrem eas ferre, sicut arbores suos fructus, sunt autem hi ejus versiculi:

τί ὖν πλέον ποιῦμεν: ὐδὲν, ἡ λύπη δ᾽ ἔχει
ὥσπερ τὰ δένδρα καρπὸν τὰ δάκρυα.

T Hos

Hos verſus eruditus, & magno ingenio vir Henricus Stephanus ita vertit:

Quid ergo prodest flere? Nil, ſed lacrymas
Fert mœror, arbores ſuum ut fructum ferunt.

Ut autem ad propoſitum noſtrum revertamur, quod dolor acrior ſit, animumque magis ſauciet, quando lacrymæ in duriſſimis rebus comprimuntur, habemus hac de re exemplum memorabile in Pſammenito Rege Ægyptiorum, ſicut Herodotus tradit (licet Amaſi hoc contigerit, qui fuit pater Pſammeniti, ſicut exploratores, & rectè quidem, notant) quùm à Cambyſe Cyri filio regno pulſus, in vinculis detineretur, ejuſque filia ancillari veſte induta, cum aliquot nobilium virginibus mitteretur ad hauriendam aquam, ut hoc ſpectaculo parentum captivorum animos diſcruciaret: cæteris conſpectis filiabus, magno cum fletu id indigne ferentibus, ſolus Pſammenitus demiſit oculos, mox Cambyſes juſſit duci filium ipſius, cum aliis plurimis ejuſdem ætatis, vinctis cervicibus ore frenato. Ne hoc quidem ſpectaculo, ſolus Pſammenitus, ad lacrymas commotus eſt. Idem quum vidiſſet familiarem quendam exutum opibus mendicantem obambulare, hoc ſpectaculo adeo commotus eſt, ut ingenti fletu hominem amicum compellans, caput ſuum barbarico more cæderet. Ea re cognita, quum Cambyſes per nuncium cauſam ſciſcitaretur, cur in liberorum calamitate tacitus, unius amici calamitatem tam impotenter ferret? reſpondit: Fili Cyri domeſtica mala graviora ſunt, quam ut lacrymas recipiant: at amicus deplorandus erat, qui è multis opibus ad ſummam inopiam redactus eſt, idque in extremo ſenectutis limine. Hæc hiſtoria ab Ariſtotele allegatur, ubi novem genera eorum, quos miſerantur, enumerat. In quibus ſunt familiares, ſi non arcto admodum neceſſitudinis vinculo conjuncti ſunt. Mendicantem enim amicum videre miſerabile erat: filium vero ad ſupplicium duci, atrox, habens vim pellendæ miſericordiæ, ſicut ibi Antonius Riccobonus eruditè notat. Hoc etiam pictura ſua admonere voluit Timanthes, quum immolationem Iphigeniæ artificioſiſſ. depinxiſſet. Triſtem enim fecerat Calchantem, triſtiorem Ulyſſem, triſtiſſimum autem Menelaum, conſumptis vero affectibus quos penicillo exprimere non poterat, Agamemnonis caput obvelavit, ut omnes quem poſſent maximum mœrorem in virginis patre cogitarent. Eodem modo videmus quod lacrymæ difficilius contineri poſſint in rebus inopinatis, quam in iis, de quibus animum noſtrum præmeditatione quadam obfirmavimus. De hac re habemus exemplum in Cornelia matre Gracchorum, quæ maximam ſui admirationem movebat, quod abſque lachrymis & luctu filiorum ſuorum actiones caſuſque veluti priſcorum hominum referebat. De utroque Homerus luculento exemplo docuiſſe videtur, ſicut idem Plutarchus notavit. Ulyſſes enim peregrè reverſus, repentinæ morti canis ſui illacrymavit, uxori ſuæ flenti

In Thalia.

Lib. 2. Rhetor. cap. 8.

In paraphr. Pl. l. 10. c. 15.

Plutarchus in vita C. Gracchi.

De tranquillitate & ſecuritate animi.

flenti assidens, non illacrymavit. Siquidem jam inde adventans præsumpta lacrymantis uxoris imagine, erupturum haud dubiè in re præsenti affectum ociosè mancipaverat sibi, obfirmatoque prius animo in potestatem redegerat: canis verò nec inopinato interitu perturbatus est, quum spacium in re improvisa non haberet affectus vim inhibendi. Verumenimvero si penitus seriem totius vitæ humanæ, & continuum cursum, ab incunabulis videlicet usq; ad decrepitam ætatem, considerare volumus, tunc ea plenissima lacrymarum, tam externarum, quam internarum, reperietur, adeo ut ortus & cum intermedio tempore, exitus noster iis uberrimè scateat. Idque his versiculis exponitur:

δακρυχέων γενόμην, καὶ δακρύσας ἀποθνήσκω·
  δάκρυσι δ' ἐν πολλοῖς τὸν βίον εὗρον ὅλον.
ὦ γένος ἀνθρώπων πολυδάκρυτον ἀσθενὲς, οἰκτρὸν,
  συρόμενον κατὰ γῆς, καὶ διαλυόμενον.
Lacrymans sum natus, sed & lacrymans morior,
  In lacrymis universam comperi vitam.
O genus hominum lacrymosum, debile, miserabile,
  Tractum in terra solutumque!

Ut autem veteres sapientes idipsum indicare voluerunt, ubi fingunt, Prometheum, lutum ex quo hominem finxit, non macerasse aqua, sed lacrymis: ita hoc nuper melius & verius, doctus & pius quidam vir eleganti tetrasticho expressit:

Nascimur in lacrymis, lacrymis quoq; vita madescit,
  Et vitam rursus linquimus in lacrymis.
O multas hominum lacrymas: absterget at omnes
  Omnibus electis ipse Deus lacrymas.

CAPUT XXX.

Magnos viros divinitus ab insidiis & periculis, sæpenumero conservari.



ROMÆ in summitate Panthei, quod M. Vipsanius Agrippa (oriundus enim fuit ex gente Vipsania, licet propter ejus ignobilitatem, & obscuritatem, in publicis Agrippæ monumentis, nusquam ejus nomen, sed semper cognomen solum notatum sit) ædificari maximis impensis curavit, opus sane mirandum, & ex vetustis structuris, quæ hodie conspiciuntur, ut opinor, omnium integerrimum, monstratur locus, ex quo Italus quidam Ca-

rolum V. Imp. quum hoc ædificium perluſtraret, per impluvium, vel ſi mavis appellare feneſtram, quæ unica ſed magnæ capacitatis, in faſtigio hujus ædificii conſpicitur, præcipitem dare neſcio an ambitione quadam, vel cupiditate vindictæ, odio, aliave de cauſa, conſtituiſſe dicitur. Verum deterritum majeſtate & autoritate Cæſarea ab hoc ſuo ſcelerato propoſito deſtitiſſe. Hocque ſuum ſceleratum intentum illum deinceps antequam ex hac vita decederet parocho ſuo faſſum fuiſſe. Equidem quod de hac re affirmem, vel negem, non habeo, ſed tantum audita refero. Verum mihi perſuaſum eſt, quamvis tale ſcelus quidam agitaverit animo ſuo, eum hoc modo, quo voluiſſet, minime perficere potuiſſe. Ubi enim eſt metus vel ſuſpicio inſidiarum, nemini tunc niſi familiaribus permittitur, propius accedere ad tantum Imp. præſertim in tam periculoſo loco conſtitutum. Eodem modo legimus in hiſtoriis, Gabrinum Fundulum Cremonenſium Dominum ante obitum confeſſum fuiſſe, Cremonæ de altiſſima turri, quam propter altitudinem & pulchritudinem ſpectandi cauſſa aſcenderant Sigiſmundus Imp. & Johannes Pontifex XXIII. utrumque conſtituiſſe præcipitare; conſcientiæ tamen terrore à facinore tanto abſtinuiſſe. Quomodocunque autem res ſeſe habeat, teſtem habemus Suetonium, Auguſtum Imp. olim ſimile periculum ſubiiſſe. Scribit enim eum vultu vel in ſermone, vel tacitum, adeo tranquillo ſerenoque fuiſſe, ut quidam è primoribus Galliarum confeſſus ſit inter ſuos, eo ſe inhibitum ac remollitum, quominus eum ut deſtinarat, in tranſitu Alpium, per ſimulationem colloquii propius admiſſus in præcipitium propelleret. Has vel ſimiles inſidias ſubiiſſe Octavium Auguſtum, teſtatur etiam Val. Max. ubi exclamatione vehementi utitur contra eum, qui Auguſtum interficere voluerat. *Lib. 9. c. 11.* In ſimili periculo quoque fuit Tiberius ſucceſſor Auguſti, teſte eodem Suetonio, parum enim abfuit, quin à Rutheno, vel ut alii legunt Bructero inter proximos vel ſante occideretur. Equidem illis aſſentior, qui Rutero legunt. Ruteros enim Germani patrio nomine omnes equo merentes vocant. Hinc factum, ut Romani tanquam proprium viri nomen expreſſerint, ſicut Levino Torrentio quoque placet. Sic Alexander ille Magnus ex inſidiis propemodum interfectus fuit, ad urbem Thaurum à milite quodam, qui ei ad pedes acciderat. Sic in illa celebri expeditione Hieroſolymitana in Orientem, Gallorum & Anglorum Principes, inſidiis hoſtilibus partim ſuccubuerunt, partim vix ſervati ſunt. Etenim fuit tunc temporis in Oriente quoddam genus hominum Aſſaſſinorum ſive Beduinorum nomine, in denſis montibus habitantium, & Domino cuidam parentium, cujus nullum aliud nomen cognoſcebatur, quam quod Senem, ſive Magnum montis appellabant. Is per ſpeciem cujuſdam paradyſi voluptatis, quem eorum animis impreſſerat, tantum ab eis conſecutus erat, ut ſolenni voto ſponderent, ſeſe in principes omnes ſævituros eſſe, qui ipſo-

ipſorum ſectæ adverſarentur. Et ſanè compertū eſt, Principes Chriſtianos in tota illa expeditione, à nullis æquè atq; ab illa hominum fece fuiſſe infeſtatos. Eorum inſidiis & Comes Tripolitanus occiſus eſt, & aliquando poſt Eduardus filius Regis Angliæ ab iiſdem oppreſſus, in ſuo ipſius cubiculo vulneratus eſt. Philippus Galliæ Regis filius præmonitus de inſidiis, in ſe illis locis compoſitis, coactus eſt ex illis finibus excedere. Et Ludovicus, quem ſanctum appellant, pater ipſius, ipſe perditorum illorum conatus difficulter evaſit. Atque inde ASSASSINI in Gallica & Italica lingua vocantur; qui cædem aliquam, aut alioquin atrox facinus vel mercede conducti, vel ſpe præmii dedita opera perpetrant. Fridericus quoque Cæſar hujus nominis primus, qui à colore pilorum Barbaroſſa vocatur, majus periculum, ut refert Albertus Crantzius, vix evaſit. Quum enim caſtra ſua haberet ad fluvium quendam cujus citeriorem ripam hoſtes tenerent, & fortè ſolus cum famulo cogitabundus obambularet; quidam ex inſidiis ſubito in eum irruit, conatuſque eſt pertrahere ſecum Cæſarem in profluentem, hocq; perfeciſſet, niſi gladio miniſtri abacto latrone, Cæſar ſe explicuiſſet, illo per amnem ad ſuos natando revertente. Huic Cæſari Abbas Urſpergenſis hoc encomium tribuit. Quod eſſet princeps armis ſtrenuus, acer animo, exercitatus in bellis, in conſiliis providus, in negotiis peragendis virilis, affabilis, manſuetus, ſuperbis reſiſtens, memoria excellentiſſimus. Magnum quoque periculum evaſit Henricus III. Imp. quum profecturus in Hungariam ſecundo Danubio deveheretur, & à Richilta vidua Adalberti Ebersbergii magnificè hoſpitio & convivio exciperetur. Dum enim Cæſarem ea ſupplex orat; ut Boſenburgum & prædia nonnulla, quæ maritus ipſius poſſederat, Welphoni nepoti ſuo ex fratre tradat, & Cæſar extenſa dextra poſtulatis annuiſſet, repente contignatio collabitur. Henricus in alveum ſolii balnearii illæſus cecidit. Verum Bruno Epiſcopus Wirceburgenſis, cognatus Cæſaris, qui poſtea in numerum Divorum relatus eſt, Alemanus præſes Ebersbergenſis, & Richilta margini tabelliſque lignei labri graviter alliſi paucis poſt diebus hoc caſu extinguuntur, teſte Aventino, qui etiam recenſet, quale ſpectrum ſub imagine atri Æthiopis, paulo ante in ſaxo eminentiori apparuerit, & quomodo Brunonem cum Cæſare navigantem compellaverit. Non minus periculum evaſit Henricus IV. Imp. prope Nemetum Auguſtam, ut ibidem Aventinus refert, quum arte Annonis Archiepiſcopi Colonienſis in navim ornatiſſ. ad abducendum eum illectus eſſet, atque ad necem ſe duci ratus, è navigio in Rhenum ſe projeciſſet, ibi enim periiſſet, ni Ecberti patruelis ſui induſtria, quum jam in oculis omnium ſubmergeretur, ſervatus fuiſſet, miraquoque protectione divina ille ipſe inſidias & præſentiſſ. periculum Romæ in templo S. Mariæ Aventinæ evaſit, quam hiſtoriam infra ex Bennone Cardinale recenſebimus.

Hiſt. Saxon. lib. 7. c. 38.

Annal Boior. lib. 5.

Cap. 98.

Caput XXXI.

M. Tullium Ciceronem, non ſolum eloquentem ſed etiam (non tamen abſq; nota & jactura exiſtimationis) locupletem fuiſſe. Et de æſtimatione capitis ejuſq; monumento.



Magna cum voluptate vidimus, in agro Romano monaſterium ab Italis *Lagrotta ferrata* dictum, quod hodie tantum Græcis monachis, admodum Latinæ linguæ, & antiquitatis Romanæ, ut ex eorum ſermonibus intelligere potuimus, imperitis deſtinatum eſt. Non enim ambigitur, hunc eſſe cum ipſum locum, in quo olim ſtetit Tuſculanum Ciceronis (quem nonnulli natum putant Arpini, anno mundi 3855. matre Helvia, patre equeſtris ordinis, ex regio Volſcorum genere) quod infinito ſumtu ab eodem ædificatum fuiſſe, Saluſtius ipſi objecit. Et ſanè ſubterranea loca, ruinæ & ambitus, nec non & ſitus amœniſſ. indicia ſunt magnificentiæ, quæ paſſim prædicatur. Ipſe autem Cicero apud Atticum conqueritur, Tuſculani ſui ædificium tantum quingentis ſeſtertiis æſtimatum eſſe, quæ ſecundum doctiſſ. Budæum, duodecim millia & quingentos aureos faciunt. Conſtat quoque eum non minoris, quam quinquaginta millibus aureorum domum Publ. Craſſi emiſſe, & hâc ſua emptione non exiguam notam vanitatis ſubiiſſe, de qua re Gellium audiamus. Cicero inquit, quum emere vellet in palatio mutuo ſeſtertium vicies tacite accepit. Ea res tamen, priuſquam emeret, prodita in vulgus exivit, objectumque ei eſt, quod pecuniam domus emendæ cauſa à reo accepiſſet. Tum Cicero inopinata approbatione permotus, accepiſſe ſe, ac domum quoque ſe emturum negavit. Atque adeo ait, verum ſit accepiſſe me pecuniam, ſi domum emero. Sed quum poſtea emiſſet, & hoc mendacium in Senatu ei ab inimicis objiceretur, riſit ſatis, atque inter ridendum, Ignoratis, inquit, prudentis & cauti patrisfamilias eſſe, quod emere velit, emturum ſe negare, propter competitores emptionis. Hactenus Gellius. Blondus autem tradit, ſe obſervaſſe in epiſtolis Ciceronis, Ciceronem villas duodeviginti numero habuiſſe, in queis præcipuas Tuſculanam, Formianam, Arpinatem, Ancanam & Pompejanam. Has tamen eum uno tempore poſſediſſe Budæus negat, nec affirmat ipſe Blondus. Sane ipſa

Lib. 9. Roma triumphantis.
In 2. Antoniana.

ne ipſa

ne ipse Cicero fatetur, se sestertium ducenties hæreditatibus referre. Constat igitur Ciceroni, licet ei patrimonii tenuitas à Salustio objiciatur, non tantum ex litibus, sed etiam ex hæreditatibus aliisque rebus multis accrevisse, & ei fructuosam atque etiam auriferam eloquentiam fuisse. Id quod etiam ex hoc, ut de aliis accessionibus taceamus, constat, quod de insigni munificentia Pompeji Attici erga Ciceronem traditum est. Is enim quum Ciceroni in omnibus ejus periculis singularem fidem præstitisset, illi fugienti ex patria, sestertia ducenta & quinquaginta aureis nostris æstimat. Quanta autem fuit Attici observantia & fides erga Ciceronem, qui, ut Vellejus Paterculus de eo scribit, omnia incrementa sibi debuit, vir novitatis nobilissimæ, & ut vita clarus, ita ingenio maximus: tantã, immo multo majorem inimicitiam & implacabile odium Antonii in eum fuisse, ex hoc constat, quod caput ipsius occisi decuplo pluris æstimatum fuerit, quam aliorum scriptorum. Auctorem enim habemus Appianum, ducenta & quinquaginta millia drachmarum Popilio Lenæ pro capite Ciceronis Antonium dedisse, vel ut Budæus censet decies H-S, id est, quinque viginti millibus aureorum nostrorum, caput eloquentiæ ab inimico æstimatum esse. *Lib. 4. civil. belli.* Quare justa motus indignatione Vellejus Paterculus, mortem tanti viri deplorans, contra Antonium ita exclamat: *In fragmentis historiæ Romanæ.* Nihil egisti M. Antoni (cogit enim excedere propositi formam operis erumpens animo & pectore indignatio) nihil inquam, egisti mercedem cœlestissimi oris & clarissimi capitis abscissi numerando, autoramentoque funebri ac conservatoris quondam Reipub. tantique Cos. irritando necem. Rapuisti tu M. Ciceroni locum solicitum, & ætatem senilem, & vitam miseriorem te Principe, quam sub te Triumviro mortem. Famam vero gloriamque factorum atque dictorum adeo non abstulisti, ut auxeris. Vivit, vivetque per omnem seculorum memoriam. Dumque hoc vel forte, vel providentia, vel utcunque constitutum rerum naturæ corpus, quod ille pene solus Romanorum animo vidit, ingenio complexus est, eloquentia illuminavit, manebit incolume comitem ævi sui laudem Ciceronis trahet: omnisque posteritas illius in te scripta mirabitur, tuum in eum factum execrabitur, &c. Plutarchus quoque ita scribit: Ciceronis occisi caput & manum, quæ Philippicas scripserat amputari Antonius jussit, & ad se afferri, magnoq; cum gaudio spectavit allatam, ac cachinnos sustulit: *In vita Antonii.* Satur inde ejus spectaculi, in foro poni pro rostris jussit, quasi vero mortuum contumelia afficeret, & non potius se fortuna per libidinem abuti, & contaminare potentiam ostenderet. Etsi autem certo constat, quo genere mortis hoc lumen eloquentiæ extinctum sit: tamen de monumento ejus non plane convenit inter autores, nonnulli in ea opinione sunt, id Anno M.D.XLIV. Cal. Dec. inventum in Zacyntho, insula Venetorum, cum hac inscriptione fuisse:

M.Tul-

M. TULLI CICERO
HAVE.
ET TU TERTIA.
ANTONIA.

Adfuiſſe etiam duas urnas, quarum minor lacrymarum urnula fuit, majorem autem in fundo cinerum hæc verba continuiſſe, AVE MAR. TUL. Thevetus vero in ſua Coſmographia Gallica deſcribit & depingit, quod ipſemet ibidem viderit. Extant quoque in Ludovici Ponti deſcriptionibus Tarraconenſibus duæ, quas omittere nolui.

M. TULLIO CICERONI M. F.
ROMANÆ FACUND. PRINCIPI.
QUÆST. ÆDI. COS. PROCOS. IMPERATORI
PO. ARPINATES.

Altera.

M. TUL. CICERONEM OB EIUS EXIMIAM VIRTUTEM ET EGREGIAS ANIMI SUI DOTES PER UNIVERSUM ORBEM TERRARUM SALVUM ESSE IUBEO.

C. I. CÆSAR.

CAPUT XXII.

Privata beneficia à publicis ſeparanda, hæcque illis præponenda eſſe.



CUM res Romana moribus antiquis adhuc ſtaret, ii qui in magiſtratu & autoritate aliqua inter Romanos erant, omnem operam navarunt; ut publicum commodum à privato ſepararent, & illi quam huic magis ſtuderent. Eo tempore, inquit Valerius Maximus, animi virorum & fœminarum vigebant in civitate, eorumque bonis, dignitatis æſtimatio cunctis in rebus ponderabatur: hæc imperia conciliabant: hæc jungebant affinitates: hæc in foro: hæc in curia; hæc intra privatos parietes plurimum poterant. Patriæ enim rem unuſquiſque, non ſuam augere properabat, pauperque in divite, quam dives in paupere imperio verſari malebat. Atque huic tam præclaro propoſito illa merces reddebatur, quod nihil eorum, quæ virtuti debentur, emere pecunia licebat, inopiæque illuſtrium virorum ſuccurrebatur. De qua re cum alia memorabilia exempla in hiſtoricis extant, tum ea quæ de Scipione Africano Livius, Juſtinus, & alii autores tradiderunt. Cum enim Scipio Africanus ad Regem Syphacem in Africam fœderis cauſa trajeciſſet, forte

Lib. 4. c. 4.

forte accidit, ut eodem tempore Asdrubal dux Carthaginensium, jam dudum ab eodem Scipione ex Hispania pulsus, adveniret. Quum igitur Regi magnificum videretur, duorum opulentiss. ea tempestate duces populorum, uno die suam pacem amicitiamque petentes venisse, & utrumq; in hospitium invitasset, conatusq; eos esset in colloquium contrahere dirimendarum simultatum causa; abnuit Scipio aut privatum sibi ullum cum Pœno odium esse, quod colloquendo finiret: aut de Repub. se quicquam cum hoste agere injussu Senatus, posse. Huc referri potest aliud exemplum sane memorabile de eodem Scipione. Quum enim legati Antiochi Regis pacem à Consule Pub. Scipione fratre Africani peterent, ad hanc conciliandam peculiare donum Africano ferentes, ipsius filium, quem Rex parvo navigio trajicientem ceperat; Africanus, qui erat nomine Senatus populiq; Rom. legatus fratris, privata beneficia à rebus publicis segregata dixit; aliaque esse patris officia, alia patriæ jura, quæ non liberis tantum, verum etiam vitæ ipsi præponantur. Proinde se gratum munus accipere, privatoque impendio munificentiæ Regis responsurum. Quod ad bellum pacemque pertineat, nihil neque gratiæ dari, neque de jure patriæ decidi posse respondit. Nam neque de redimendo filio unquam tractavit, nec Senatum de eo agere permisit, sed ut dignum majestate ejus erat, armis se recepturum filium dixit. Is erat Scipio, qui postea Carthaginem captam diruit, secundus post hunc Africanus cognominatus Pauli filius, ejus qui Perseum Macedonem cepit, Scipionis nepos ex filia, & adoptione filius. Eundem animum habuit Pub. Popilius; Quum enim legatus ad Antiochum Regem, nomine Senatus populique Romani missus esset, cum mandatis, ut abstineret ab Ægypto, aut si jam incessisset, ut excedere eum juberet; Rexque advenienti osculum obtulisset (nam coluerat inter cæteros Popilium Antiochus, quum Romæ obses esset) tunc Popilius facessere interim privatam amicitiam jubet, cum mandata patriæ intercedant, prolatoque Senatus decreto, & tradito, quum cunctari regem videret consultationemque ad amicos referre: ibi Popilius virga, quam in manu gerebat, amplo circulo inclusum, ut amicos caperet, consulere jubet: nec prius inde exire, quam Senatui responsum daret aut pacem aut bellum cum Romanis habiturum. Adeoq; hæc asperitas Regem fregit, ut pariturum se senatui responderet. Simile & non minus memorabile exemplum legimus apud Valer. Max. Cautum erat apud Romanos neminem equo insidentem ad consulem venire debere, sed honoris gratia, antequam consuli appropinquasset, descendendum erat. Quum autem Q. Fab. Maximus ad filium consulem Suessam à Senatu legatus missus esset, isque animadvertisset, quod sedens equo ad se veniret; per lictorem ei indicari jussit, ut relicto equo ad se accederet. Cui quum continuo Fabius pater obsecutus esset: Non ego, inquit, fili summum

De Instit. antiquis.

imperium tuum contemsi, sed experiri volui, an scires Consulem agere. Libet quoq; adjicere, ea quæ Justin. histor. de Pharnace Rege Parthorum scribit. Is enim præteritis suis filiis, quos multos reliquerat, fratri potissimum Mithridati, insignis virtutis viro reliquit imperium, plus regno, quam patrio deberi nomini ratus, potiusq; patriæ, quam liberis consulendum. Hac de re habemus insigne exemplum ex recentioribus in Ferdinando Aragoniæ & Siciliæ Rege. Quum enim ab omnibus, rejecto Henrici fratris ejus filio Johanne ad quem mortuo patre successio pertinebat, Rex acclamaretur, eo abnuente, à Principibus ea causa ad concionem populus vocaretur, ubi & ipse Ferdinandus adesse jussus est: is quod futurum erat, animo prævidens, sub chlamyde fratris filium, admodum puerum adhuc, regio more amictum clam deferens, eo & ipse compulsus venit. Igitur omnium suffragiis & votis ac unanimi consensu Ferdinandus Aragonum Rex, puero dejecto, eligitur. Quod ubi Ferdinandus comperit, Johannem fratris filium è chlamyde extulit, humeroque impositum populo ostendens edita voce edixit: En Aragonenses Regem vestrum: noster hic est Rex: huic fidem servemus, prout mos est Hispanæ gentis: Atque his dictis collocatum in regio solio infantulum, primus ipse ad pedes ejus procumbens veneratus est, atque in verba ejus juravit, idemque ut omnes facerent, exemplo suo adegit. Restituto igitur auctoq; illi regno, privatum potius agere, quam sibi regnum alienum usurpare delegit. Hanc historiam, cum sit valde memorabilis, ex Fazello exscribere volui. Noluit enim optimus Rex Ferdinandus patriæ suæ hanc maculam inurere, ut legitimo Rege posthabito in ejus locum intempestivo favore nobilium & multitudinis, privatæ potius quam publicæ dignitati intentus, collocaretur. Sed ut ad Romam revertamur, audiamus quomodo hanc ob rem celebretur Pub. Scipionis Nasicæ Serapionis nomen ab insigni historico Vellejo Paterculo, ita enim inquit: Tum Pub. Scipio Nasica, ejus qui optimus vir à Senatu judicatus fuerat, nepos, ejus qui Censor porticus in Capitolio fecerat filius, pronepos autem Cn. Scipionis celeberrimi viri, P. Africani patrui, privatusque & togatus, quum esset consobrinus T. Gracchi, patriam, cognationi præferens, & quicquid publice salutare non esset, privatim alienum existimans, ob eas virtutes primus omnium absens Pontifex Maximus factus est, quum data lævo brachio togæ lacinia, ex superiore parte Capitolii summis gradibus insistens, hortatus est, qui salvam vellent Remp. se sequerentur. Tum optimates, Senatus, atque equestris ordinis pars melior & major, & intacta perniciosis consiliis plebs, irruere in Gracchum stantem in area cum catervis suis, & concientem pene totius Italiæ frequentiam. Is fugiens decurrensq; clivo Capitolino, fragmine subsellij ictus, vitam quam gloriosissime degere potuerat, immatura morte finivit. Unde teste Valer. Max. ambiguæ laudis

Lib. 14. prope finem.

De reb. Siculis poster. decad. l. 9.

Lib. 2.

laudis

laudis civis exiſtimabatur, qui debitis Reipubl. officijs non ſua ſponta, ſed juſſus fungeretur. Quia quicquid imperio cogitur, exigenti magis quam præſtanti acceptum refertur. Quamdiu autem hic animus Romanis manſit, tamdiu imperium eorum floruit, & propagatum eſt. Hoc quoque Paul. Æmilius Veronenſis obſervavit, quum à Toloſatibus, qui paulo ante propriis manibus patriam muris nudare cœperant, omniq; injuriæ opportunos ſeipſos fecerant, ingentem pecuniæ vim exactam eſſe ſcribit, & addit: Mirum, ita natura comparatum, ut ſua quemque damna magis, quam publicus dolor moveat, nec ullum acrius quam rei nummariæ telum inveniri poſſit. Qui patriam juſſu evertebant, arcæ jacturam facere non ſuſtinuerunt. Id ipſum monuit, vel potius exprobravit Annibal Carthaginenſibus, apud Livium. Quum enim victis illis à Romanis tributum eſſet impoſitum, & exhauſto diutino bello ærario prima collatio pecuniæ difficilis videretur, mœſticiaque & fletus in curia eſſet: ridentem ferunt Annibalem conſpectum, cujus quum Aſdrubal Hædus riſum increparet in publico fletu, cum ipſe lacrymarum cauſa eſſet: Si quemadmodum oris habitus cernitur oculis, inquit, ſic & animus intus cerni poſſet: facile vobis appareret, non læti, ſed prope amentis malis cordis hunc quem increpatis riſum eſſe: qui tamen nequaquam adeo eſt intempeſtivus, quam veſtræ iſtæ abſurdæ atque abhorrentes lacrymæ ſunt. Tūc fleviſſe decuit, quum adempta nobis arma, incenſæ naves, interdictum externis bellis: illo enim vulnere concidimus. Nec eſſe in vos odio veſtro conſultum ab Romanis credatis. Nulla magna civitas diu quieſcere poteſt. Si foris hoſtem non habet, domi invenit: ut prævalida corpora ab externis cauſis tuta videntur, ſed ſuis ipſa viribus onerantur. Tantum nimirum ex publicis malis ſentimus, quantum ad privatas res pertinet: nec in eis quicquam acrius, quam pecuniæ damnum ſtimulat. Itaque quum ſpolia victæ Carthagini detrahebantur, quum inermem jam ac nudam deſtitui inter tot armatas gentes Africæ cerneretis, nemo ingemuit: nunc quia tributum ex privato conferendum eſt, tanquam in publico funere comploratis. Quam vereor, ne propediem ſentiatis, leviſſimo in malo vos hodie lacrymaſſe? Huc præterea reſpexit Rob. Gaguinus. Illud, inquit, nonnunquam compertum eſt inter Francos plus damni in Rempub. invehi, dum ſacerdotis conſilio res agitur, quam quum prudens aliquis ex ſæculi nobilitate rebus gerendis præficitur. Ille enim neſcio qua inſatiabili ambitione omnia ſibi vendicat: Hic populi miſertus, & communitatis detrimentum ſuum eſſe ratus, Reip. bene ut poteſt, conſulit. Ille faſtum & pompam ex dignitate metiens, eo audacius divitias congerit, quo minus ultionem timet, Eccleſiaſtica libertate protectus: Hic autem opes ſuas cum Repub. conjunctas eſſe non ignarus, ex publico incommodo, privatum quoq; auguratur. Nam qui res ſuas ex Reip. ſtatu conſiderat, illas

De reb. geſt. Franc. l. 6.

Lib. 30.

In hiſtor. Francor. l. 9. c. 3.

Prope finem l. 2. de reb. Gall. illas ſine hac nequaquam ſtare poſſe intelligit, Et Tilius citat Demoſthenem dicentem, Quo magis res privatæ eorum, qui publicas functionos habent, augentur, eo magis Remp. minui. Si res, inquit, privata, non avertit publicam, æquiſſimum eſt, ut res eorum privata, qui publicam adjuvant, augeatur, & incrementi fiant participes. Propterea Perdiccas (teſte Plutarcho) cui Alexander Magnus ad Aſiaticam expeditionem ſeipſum comparans, attribuerat de proventu Macedoniæ, quum Alexandrum audiviſſet dicentem, nihil velle ſe aliud retinere, quam ſpem ſui conſilii, dono renuncians dixit, ſe quoque velle fieri illius ſpei participem, cujus exemplo alii permulta fecerunt, conſimiliter, quod melius omnibus cecidit. Hoc quoque Cornelius Tacitus conſideravit, ubi de Britannis ita ſcribit: Olim Regibus parebant, nunc » per Principes factionibus & ſtudiis trahuntur. Nec aliud adverſus validiſſ. » gentes pro nobis utilius, quàm quod in commune non conſulunt; Rarus » duabus tribusque civitatibus ad propulſandum commune periculum con» ventus. Ita dum ſinguli pugnant, univerſi vincuntur, &c. Et profectò ut utilitatis publicæ major, quam privati emolumenti ratio habeatur, ſingulare omnibus bonis debet eſſe propoſitum. De hac re quoque Legislatores ſoliciti fuere. Quod niſi fiat, itidem nobis eveniet, ſicut membris accidiſſe legimus, quæ ob contemtum, & nimiam curam ſui ipſius, detractis ventriculo conſuetis obſequiis, à quo tamen ipſis curſus vigor & vires ſuppeditabantur, ſero & cum propria jactura intellexerunt, quam ſtolide contra proprium commodum laboraſſent. Etenim humani generis ſocietatem, corporis unius inſtar eſſe videmus, in quo ſi unumquodque membrum ſenſum cum habeat, ut commodum ſuum tantum utilitatemque reſpiciat, & non etiam aliorum, nec inter ſe membra omnia conveniant, vicemque referant, fieri facile poteſt, ut cito debilitetur, totumque diſſoluta compage intereat: Nam ſi jecur, ſi caput, ſi cor privatam tantum & ſuam reſpiciant utilitatem & commodum, nec eam ſervent, quam corporis harmoniam concentumque ſapientes quidam appellavere, hoc eſt, ſi membra invicem par pari non referant; corpus integrum pereat & concentus ille diſſolvatur, neceſſe eſt. Hoc tandem illi florentiſſ. Romanæ Reip. accidit, quum enim propemodum in toto Orbe terrarum ubi innotuerat, victrix eſſet, ſedulo nixa eſt, ut inteſtinis odijs bellisque ſeipſam quoque deſtrueret & vinceret.

In vita Iulii Agricolæ.

c. licet quibusdam pa. nagr. illo en per ext. de regul. & transf. ad reg. Auth. Res qua insi. C. Comm. de leg.

Gyraldus in ſuo paranetico libro adverſus ingratos.

A ſe non victum ne quid in orbe foret.

Polyb. l. 2. de Gallis. Id autem prius fieri non potuit, niſi cum publico commodo privatum anteponerent, unde ſecuta ſunt occulta odia, donec juvenilia conſilia etiam accederent. Nam poſtquam ſenes, qui & conſpexerant ſæpe pericula, & varias experti fuerant jacturas, naturæ conceſſerunt, inſurrexere juvenes, ingenio pravo, rudes & præteritarum rerum omnium inexperti. Hæc igitur intrin-

ſeca

seca pernicies rem Romanam, quæ ita stabilita erat, ut à quovis externo hoste & qualibet vi majori tuta, firmaque esset, tandem evertit, sicut Cicero testatur. Et plura hac de re scribit insignis JC. Paulus Castr. in Rubr. C. de Justin. Codice confirmando num. 2. *In Catone Maiore.*

Caput XXXIII.

Privatos affectus in consultationibus publicis abesse debere.

LAUDABILEM ferunt esse morem Venetijs inter Senatores, quando in Curiam ad consultandum de rebus publicis conveniunt. Solent enim ante vestibulum ejus omnes privatas inimicitias & simultates inter ipsos, apud S. Marcum, uti mos loquendi ipsis est, deponere, ut animum ab affectibus in consiliis publicis liberiorem habere possint. Utinam autem hoc quoque apud nos, quando de salute Imperij & rebus publicis tractatur, accideret, tunc fortasse in meliore statu Germania esset. Et sine dubio hæc res illis plurimum adjumenti affert ad stabiliendam ipsorum Remp. quæ plus quam mille annos floruit, neque ipsorum urbs unquam ab ullo hoste, quos habuit sæpenumero potentissimos, postquam fuit condita, occupata est. Tale exemplum, ut puto, nullum habemus in historijs de ulla urbe vel Repub. licet potentiss. & munitiss. Ideoque non frustra gloriantur, urbem Venetam esse adhuc virginem, utpote quæ origine tenus ab hoste semper inviolata incorruptave manserit. Sed ut ad propositum nostrum revertamur, idipsum innuere & monere voluit inscriptio elegans & pia in curia Ratisbonensi, quæ conspicitur in tabula marmorea, aureis literis, talis:

QVISQVIS SENATOR CURIAM OFFICII CAUSA INGREDERIS, ANTE HOC OSTIUM PRIVATOS AFFECTUS OMNES ABIICITO: IRAM, VIM, ODIUM, AMICITIAM, ADULATIONEM, REIPUB. PERSONAM ET CURAM SUBIICITO. NAM UT ALIIS ÆQVUS AUT INIQVUS FUERIS: ITA QVOQVE DEI IUDICIUM EXPECTABIS, ET SUSTINEBIS.

Hoc laudabile institutum habuit quoque optimus Rex Aragonum Alfonsus. Dicere enim solitus fuit, si sibi contigisset nasci temporibus, quibus Romana Respub. florebat, se constructurum fuisse contra curiam, templum Jovi Positorio, in quo priusquam venirent in Senatum Patres conscripti, odium, amorem, ac privatos affectus omnes deponerent. Hoc nos etiam docuit Aristi-

In Vrania. Aneſin. l.2. riſtides, qui licet Themiſtoclis potiſſimum opera in exilium ejectus eſſet, tamen omnes injurias in communis totius Græciæ periculo patriæ condonans, ſponteque ad Themiſtoclem ſibi antea inimicum accedens, eum ita apud Herodotum compellat: Nos certare oportet omni tempore non privatis ſimultatibus & odiis, ſed uter noſtrum, melius de patria mereri, & plura in eam beneficia conferre poſſit. Prudenter etiam Narſes in expeditione Gothica ad Beliſarium & reliquos duces exercitus ita exorditur ſuam orationem; Quum de publica, ô viri, utilitate conſulitur, eſt quidem, ut exiſtimo, utilitas ipſa per ſe inſpicienda, nec aliis reſpectibus, vel odii vel amoris perfundanda, &c. Ob eam cauſam & Romani laudantur. Quamdiu enim illis ſidum erat & altum Reip. pectus Curia, ſilentiique ſalubritate munitum & vallatum undique; cujus limen intrantes, privata charitate abjecta publicam induebant: tamdiu ab omni injuria & hoſtili vi tuti fuere. Hoc ipſum rectius cerni poterit ex ſacramento Conſiliariorum ſeu Senatorum, quod præſtare tenebantur, illud fuit ejuſmodi:

De bello Italico contra Gothos. Valer. Max. lib. 2. c. 2.

JURO PER JOVEM OLYMPIUM ET CONSILIARIUM, ET PER VESTAM CONSULTRICEM, ET PER JOVEM MARITALEM, ET IUNONEM MARITALEM, ET MINERVAM PROVIDAM ET VICTORIAM, ET VENEREM ET AMICITIAM ET CONCORDIAM, ET IUS ATQVE FAS ET BONAM FORTUNAM, ALIOSQVE UNIVERSOS DEOS AC DEAS, ME SENTENTIAM VELLE DICERE SECUNDUM LEGES ET CONSULTA A CIVITATE APPROBATA, ET SECUNDUM DECRETA ROMANORUM ET LEGES, QVIBUS NOSTRA RESPUBL. ADMINISTRATUR, IN RESPECTU UTILITATIS PATRIÆ, PRO VIRIBUS MEIS NON ALITER QVAM IS FECIT, QVI SENATOR FUIT LAUDATISS. PATRIÆ SUÆ VEL ROMANÆ VEL GRÆCÆ CIVITATIS, NEQVE GRATIÆ, NEQVE ODIO NEQVE MUNERIBUS PATIAR SERVIRE IUDICIUM CONSULTUMVE MEUM. NEQVE PRIVATO ADDICAM SENTENTIAM MEAM, NEQVE ME ULLI PARTI AUT NOMINI ADIUNGAM, SED TANTUM COMMUNI UTILITATI AUCTURUS PRO VIRIBUS REMPUBL. ITA UT DII ET BONI VIRI VOLUNT, MIHI QVIDEM SANCTE IURATO BENE SIT, ET DII ATQVE DÆMONES FAVEANT ITEMQVE MEIS OMNIBUS CUM AMICIS TUM UNIVERSO GENERI ET FAMILIÆ, IN PERIURIO VERO NE DEPREHENDAR UNQVAM.

Poſtremo adjicere libet exemplum M. Attilij Reguli, qui quum certo ſciret, ſe ad exquiſitiſſima ſupplicia trahi in Africam, tamen neglecta ſua vita, neque habito reſpectu ſuorum, patriæ curam tantum habuit. Suaſit enim in Senatu, ne captivi cum Carthaginenſibus permutarentur, utque perſuade-

ſuaderet, venenum ſibi Carthaginenſes dediſſe affirmavit, non præſentaneum, ſed ejuſmodi, quod mortem in diem proferret, eo conſilio, ut viveret quidem tantiſper quoad fieret permutatio; poſt autem graſſante ſenſim veneno, cor tabeſceret. Quum deinde Carthaginem rediſſet, in atras & profundiſſ. tenebras clauſus fuit, ac diu poſt, ubi erat Sol ardentiſſimus, repente eductus & adverſus ictus ſolis oppoſitus, poſtquam palpebras ejus, ne connivere poſſet, ſurſum ac deorſum deductas inſuerant; atque intendere in cœlum oculos coactus, donec ſomno prohibitus, vitam finiret. Id ubi Romæ cognitum eſt; nobiliſſimi Pœnorum captivi, liberis Reguli à Senatu dediti ſunt & ab iis in armario muricibus præfixo deſtituti, eademque inſomnia perpeſſi, & ſic cruciati interierunt, ut Gel. ex Tuditano memoriæ tradidit. Et latius iſta Eutropius, Oroſius, Val. Max. Cicer. Horatius, & alij poſteritati ſuis ſcriptis tradiderunt. *C. Fannii fragmenta* *Lib. 6. c. 8.*

Caput XXXIII.

Ethnicos in balneis majorem verecundiæ rationem habuiſſe, quam nonnullos Chriſtianos.

SÆpius miratus fui in nonnullis locis publica balnea & lavacra promiſcua noſtro tempore adhuc conſpici, nulla habita aut ſexus, aut ætatis conſideratione, cum tamen hæc res veteribus Ethnicis, apud quod vel ſpecies honeſtatis & pietatis reliqua manſit, exoſa fuerit. Etſi enim ſub Heliogabali Imperio, Romæ balnea mixta fuerunt, neque mirum eſt, quod ſubditi Imperatorem, qui tam profligatis moribus fuit, ut omnes ejus conatus eo ſpectarint, non quinam alio deterior, ſed qua in ſeipſo pejor eſſet, imitati ſint: tamen ante ejus tempora, & deinceps Romanis legibus ea interdicta fuere. Hac de re extat Romuli I. Regis Romanorum lex. Ita enim in honorem muliebris ſexus ſtatuit: Qui ſe nudum à fœmina videri paſſus fuerit, criminis capitalis reus habeatur. Imo parentes cum liberis, & generi cum ſoceris lavare erubuerunt, ſicut Plutarchus memoriæ tradidit de modeſtia Catonis Majoris. Scribit enim cum filio præſente, non minus verecunde, quam ſi adeſſent Veſtales, ab obſcœnis dictis ſibi temperaſſe, neque unquam cum eo laviſſe: huncque morem omnibus Romanis communem fuiſſe putat idem autor. Nam generi, inquit, pudorem nudandi corporis ſervantes communia cum ſoceris lavacra vitarunt. Huc referri poteſt oratio Cyri, quam ante mortem ad filios habuit. Si quis, inquit, veſtrum aut dextrâ meam *Ælius Lampridius.* *Plutarchus in vita Romuli.* *Plutarch. in vita Catonis.* *Xenoph. de disciplina Cyri lib. 6.*

contin-

contingere, aut oculos adhuc viventis aſpicere vult, is accedito. Ubi vero ego obvolvendo me contexero, peto à vobis filij mei, ne quis deinde mortalium meum corpus intueatur, ac ne ipſi quidem vos, &c. Ubi parens meus piæ memoriæ in ſuis annotationibus ita ſcribit: Mos erat olim, ut corpora mortuorum lavarentur, & ita obvoluta ſepelirentur. Id quod de ſe Socrates fieri non vult in Phœdone Platonis, & anticipat lavacrum vivus. Cognovi autem narratione fide dignorum hominum, laudatiſſ. Imp. Maximilianum, Friderici filium, & ipſe vetuiſſe corpus ſuum, ubi mortem obiiſſet, nudum aſpici, ſive verecundiæ honeſtiſſ. ſenſu, ſive aliam ſane ob cauſam. Sed revertamur ad lavacra promiſcua, Refert quoque Dion hiſtoricus, Adrianum Imp. viros diſcretos à fœminis lavari voluiſſe, quam legem Alexander Soverus confirmavit. Hos poſtremo Juſtinianus imitatus eſt. Præterea Jura Canonica hanc turpitudinem ferre noluerunt, nam in illis Chriſtianis lavacra communia cum mulieribus habere prohibetur, quoniam hoc Ethnici reprehenderunt. Juſtinianus autem Imp. ſtatuit, ſi vir ad balneum extraneæ mulieris accederet, eum privari debere donatione propter nuptias: mulierem autem dote ſi cum viro alio lavaret. Unde doctiſſ. vir Ludovicus Vives, non ſine indignatione exclamat: Quid attinet morem illum barbaricum inſectari, quo apud quaſdam gentes promiſcue viri & fœminæ eiſdem balneis lavant? ne commemorandus is quidem eſt, ferinus potius quam humanus. Hujus opinionis quoque fuit Poggius Florentinus, quum deſcribit, qualis licentia ſit in thermis Badenſibus apud Helvetios, dum ſexus uterque promiſcuis lavacris utitur. Eſt autem epiſtola ipſius ad Leonardum Aretinum inter epiſtolas Æneæ Sylvij, hunc habens titulum: Poggius de ſchola Epicureæ factionis, quæ regnat in Teutonia in balneo naturali Dominorum de Baden. Sane Turci adhuc promiſcui ſexus lavacra ita averſantur,, ut capitale ſit viro intereſſe, vel conſpici in loco ubi fœminæ lavant. Immo apud ipſos nefas eſt, uxores eorum in publico aperta facie conſpici, vel cum viro aliquo loqui. Hinc videmus, quod non ſine ratione Lycurgi inſtitutum de veſtitu & exercitijs puellarum cum adoleſcentibus, tanquam fomes libidinis reprehenſum ſit, inter quos fuit Euripid. ſicut ejus elegantiſſimi verſiculi teſtantur:

L. ult. C. de repud. Diſt. 816. non oportuit. & ibi gl. In d. l. ult Lib 2 de Chriſtian. fœmina.

Epiſt. 425.

In Andromache.

——— οὐδ' ἂν εἰ βούλοιτό τις.
σώφρων γένοιτο Σπαρτιατίδων κόρη,
αἳ ξὺν νέοισιν ἐξερημοῦσαι δόμους.
γυμνοῖσι μηροῖς καὶ πέπλοις ἀνειμένοις,
δρόμους παλαίστρας τ' οὐκ ἀνασχετοὺς ἐμοὶ
κοινοὺς ἔχουσι, κᾆτα θαυμάζειν χρεὼν
εἰ μὴ γυναῖκας σώφρονας παιδεύετε.

Ne-

——Neq; ſi velit quæpiam
Caſta eſſe, queat Spartana puella,
Quæ cum juvenibus relinquentes domos,
Nudis fœmoribus & tunicis diſſolutis,
Curſus palæſtraſq; non tolerabiles mihi
Communes habent & tamen admirabile videtur,
Si non caſtas mulieres educatis?

Ob eandem cauſam etiam Plato ab Euſebio, aliiſque Eccleſiaſticis ſcriptoribus reprehenditur, quod ſecutus conſtitutiones Lycurgi, in libris ſuis de Repub. & legibus, juſſerit, mulieres, non ſolum juvenes, ſed etiam anus in gymnaſiis nudas cum viris luctari, adoleſcentulas nudas curſu & equis certare, & in ſolemnitatibus eas quoque nudas cum nudis juvenibus tripudiare. Hanc ob rem ita compellat Sathanam Ignatius: Quid vero virgineam improbas naturam, & membra appellas obſcœna: qui olim hæc membra in pompis oſtentabas, mares nudari jubens in conſpectu fœminarum, itemque fœminas in cupiditatem libidinoſam marium? nunc contra hæc ipſa à te judicantur obſcœna, & honeſtatem ſimulas, qui ſpiritus es fornicationis, &c. Idipſum reprehendit Lactantius, quum de Floralibus ludis dicit: Celebrantur ergo illi ludi cum omni laſcivia, convenientes memoriæ meretricis. Nam præter verborum licentiam, quibus obſcœnitas omnis effunditur, exuuntur etiam veſtibus populo flagitante meretrices, quę tunc mimorum officio funguntur, & in conſpectu populi usque ad ſatietatem impudicorum luminum pudendis motibus detinentur. Multi itaque mirantur, quid Franciſc. Aret. Juriſconſultum alioquin celeberrimum moverit, quod probare conatur, Franciſc. Sfortiam Ducem Mediolani jure petiiſſe, ut Dorotheam filiam Ludovici Marchionis Mantuæ, Galeatio ipſius filio deſponſatam, Medici quidam à ſe miſſi conſpicarentur, ut hinc detegeretur, ſi quæ puellæ eſſet deformitas, contra Ludovicum hoc ipſum non injuria recuſaſſe, ſed tantum filiam obtuliſſe videndam Cotta (ſic enim veſtem appellat) quam ad eam Galeatius ipſe miſerat, coopertam. Hoc & alia multa exempla referuntur à Tiraquello in ſua quarta lege connubiali, quæ eſt talis: SUAM QUISQUE DEFORMITATEM FUTURO MARITO AUT UXORI DETEGITO, NE TAMEN SE PROPTEREA, PRÆSERTIM FOEMINA, NUDATO. Non fruſtra itaq; dicit Gyges apud Herodotum: Mulier exuta tunica & verecundiam pariter exuit. Cum enim uxor Candaulis Regis Lydiæ volente marito, ſed ea inſcia à Gyge conſpecta nuda eſſet, illa indignatione commota, ac ſi proſtituta fuiſſet, re comperta poſtea non quievit, donec ſuo impulſu Gyges Regem maritum occideret: & ſeſe una cum regno in poteſtatem parricidæ & adulteri traderet. Rectiſſ. igitur reprehenduntur Babylonicæ mulierculæ, quarum

In epiſt. ad Philippenſes.

Lib. 1. c. 20. de fal. relig.

Conſ. 42.

Lib. 5. de rebus geſt. Alexan. Mag.

teſte Q. Curtio, licet in conviviis principio modeſtus habitus ſit, tamen deinde ſumma quæq; amicula exuunt, paulatimq; pudorem profanant. Ad ultimum (honos auribus habitus ſit) ima corporum velamenta projiciunt, nec meretricum hoc dedecus eſt, ſed matronarum, virorumq; apud quos comitas habetur vulgati corporis vilitas. Hæc autem à me non recenſentur quod nuditas corporum per ſe obſcœna habenda ſit. Non enim ignoro Virtutem à veterib. ſemper nudam depingi. Ea enim non ita deſiderat divitias & opes, ſed immortale nomen, gloriam & honorem, idq; apparet ex antiquiſſ. monumento, in quo eſt talis inſcriptio: VIRTUS NUDO HOMINE CONTENTA EST. Ob hanc rem gentiles Herculem, ad demonſtrandam ejus virtutem, poſtquam eum in numerum Deorum retuliſſent, finxerunt nudum, cum exuviis leoninis, & clava, ſicut in vetuſtiſſ. numinis videre licet, quod poſt alios diligenter deſcripſit & depinxit Gulielmus Choulius nobilis Lugdunenſis.

De antiqua Religione Romanorũ.

Notum etiam eſt, primum hominem in ſua perfectione & innocentia nudum ab initio conditum eſſe, neque eum puduiſſe nuditatis, ſiquidem verecundia & pudor à turpibus malis derivatur. Sed tum demum eam turpem & infamem factam eſſe ſentio, poſtquam corrupta natura è lapſu, cupiditates impuræ acceſſerunt. Ideo recte idem Ignatius compellando Sathanam ita pergit: Ignorans tunc demum aliquid eſſe obſcœnum, quum per ſcelus illud polluimus, cum vero omne abeſt peccatum, nihil turpe cenſendum eſſe, nihil malum eorum, quæ facta ſunt, ſed omnia valde bona. Et Auguſtin. dicit, Genitalia membra à Deo condita eſſe honeſta & decora, ſed per hominis peccatum facta inhoneſta, adeo ut jam tegantur, & Adamum ea poſt peccatum, propter turpitudinem, quam in eorum motu ſenſit, texiſſe. Concludit igitur, hominis pudenda non tegi, tanquam ſit in iis crimen aliquod artificis Dei, ſed hominis ipſius, Et recte quidem. Omnia enim, teſte Chryſoſtomo, membra animæ vel corporis, non ſolum homini Deus ad uſum creavit, ſed ad gloriam. Huc quoq; reſpexit Pierius, Vetuſtas, inquit, ut minus vitioſa fuit, ita ſimplicius apertiusque de unaquaque re philoſophata eſt: neque erat tunc temporis in humano corpore quicquam, quod vel viſu vel nuncupatione ſua turpe judicaretur. Pravis vero moribus ſuccreſcentibus, multa decernenda fuere, tam factu eſſe quam dictu turpia, ut qui rebus ſuis modum præſcribere neſcirent, ipſa ſaltem turpitudinis infamia abſterrerentur. Idipſum Lerium commovit, qui non abſurdis rationibus confirmat, vagas libidines non tam ab Americanis nudis fœminis inter quas continuo aliquid verſandum ibi eſt, licet pulchritudine noſtratibus inferiores non ſint, excitari, verum eas in ſua ſimplici & naturali nuditate potius excuſandas, minusque laſcivis moribus eſſe, quam Gallicas mul[illegible]culas, qu[illegible]gantibus & exquiſitis veſtibus & ornamentis ſuperbire ſolent.

In epiſt. ad Philippenſes

Contra Iulianum c. 16.

In Hieroglyphic. de pud. lib. 34.

In deſcriptione Americ.

C

Caput XXXV.

In dextra manu eſſe ſignum pacis, aut ſimultatis.



LBERTUS Imp. II. hujus nominis, frequenter in ore habuit, & loco ſymboli uſus eſt hoc dicto: Amicum ne temere aſſciveris, aſſcitum ne leviter rejeceris. Sumptum hoc fortaſſe eſt ex dicto Solonis, φίλους μὴ ταχὺ κτῶ, οὓς δὲ κτήσῃ, μὴ ἀποδοκίμαζε. Amicos ne cito compares, quos autẽ acquiſieris, ne rejicias contemnasve. De qua re extat quoq; Pythagorica admonitio. Non unicuiq; eſſe dexteram porrigendam, tacite innuens non temere eſſe quempiam in amicitiæ familiaritatisque fœdus admittendum. Quemadmodum autem olim in ſalutatione majores dextram dextræ jungebant, cujus rei cauſa eſt, quod omnis eorum honor dextrarum conſtitit virtute, ob quam rem hac ſe venerabantur corporis parte: ita apud principes & magnates, hodie, velut & olim, uſitatum eſt, ut dextrã ſuam, niſi in ſignũ benignitatis, & honoris cauſa porrigere non ſoleant. Sic quoq; ut tactus palmarum ſignificat concordiam: *Gloſſ. in leg.* ita tangendo manum inimico, intelligitur facta pax & injuria remiſſa. Eodem *1. de cenſib.* modo Livius ſcribit, dextras nudas oſtendiſſe oppidanos nonnullos, amici- *Iaſon in lib.* tiam & deditionẽ ſignificantes. Lacedæmonii quoq; apud Thucydidem cir- *1. col 3.* cumventi ab Athenienſibus τὰς χεῖρας ἀνέσεισαν manus quatiebant, utpote *De pactis* ſignum pacis & deditionis. Unde ſerio denegare vel de induſtria ſubducere *Lib. 28.* dexteram expectanti, ſolet eſſe plerunq; ſignum evidens apertæ ſimultatis & *Lib. 4.* inimicitiæ. De hac re habemus exemplum teſte Meyero, in Philippo Duce *In annalib.* Burgundiæ patre Caroli, qui in prælio ad Nanceiũ occubuit. Cum enim pro- *Flandriæ* pter nonnullas offenſiones abſente filio Carolo, Brugis graviter ægrotare *lib. 16.* cœpiſſet, & vox uſusq; loquendi eum deſtitiſſet; Carolus certior factus quo in periculo pater verſaretur, Gandavo celeriter accurrit, projecitq; ſe parenti ad pedes flensq; largiter veniam oravit omniũ quæ in illum admiſerat, paternamq; benedictionem demiſiſſime petiit. Confeſſionario autem ſuggerente, ſi loqui non valeret ſignum ſaltem filio oſtenderet ſuæ bonæ voluntatis: pius princeps oculos aperuit, filiiq; dextram prehendens, illam ſua firmiter manu preſſit, quod ſignum amoris erat & veniæ; Hoc teſtatur quoque Ammianus *Lib. 11. rerum* Marcel. de Nebridio quodam. Is enim cum contra Conſtantium unus omniũ *geſt.* conjurare recuſaſſet, & metu militum, qui ferrum in eum ſtrinxerant, ad Julianum profugiſſet, ſuppliciter rogavit, ut timoris levandi cauſa ei dextram

porrigeret. Cui Julianus, ecquid, ait, præcipuum amicis servabitur, si tu dextram attigeris meam? Huc spectat quod eruditissimus Lipsius in Taciti lib. Annal. XV. notat, ubi ex Gemisto Plethone allegat, Persarum Regem Mentorem dextra data conservasse. Ob hanc causam Alexan. do Alexand. refert, Religionem quandam in dextris esse, nam eam inquit porrigimus, si quid data fide futurum pollicemur. In ipsa enim fidem sacratam Numa Pompilius voluit, sacrumque fidei instituit, ad quod Flamines curru arcuato, manu ad digitos involuta solenni pompa vehi jussit, magno argumento illam in dextris sanctam sacramque & propterea minime violandam ratus. Constat quoque apud Persas usitatum fuisse, si quid firmum illibatumque volebant, ut illud dextræ & fidei pignore sancirent. Itaque nihil apud eos fide antiquius fuit. Testis est hac de re Gobryas apud Xenophontem, qui laudat dextram Cyri. Nihil enim inquit, mentitur de iis, quæ pollicitus est. Ubi parens meus piæ memoriæ in suis annotationibus allegat: Homericum hoc: καὶ δεξιαὶ αἷς ἐπέπιθμεν, & addit: Nam data dextra fides firmatur, atque Reges Persici hanc mittebant quoque, id est, suo nomine dari jubebant, &c. Eodem modo Imperatores & Reges Germaniæ olim chirothecas suas ad stabiliendam pacem & actiones quibus interesse non poterant, mittere solebant, sicut Jus vel Speculum Saxonicum testatur. In dextra etiam magnam viro inesse autoritatem majestatemque ex hoc notatur, cum tumultuantem multitudinem dextra compescimus, ac silentium indicere, pacemque manu exporrecta afferre significamus. Quo poeta quoque respexit, ubi dicit:

Lib. 2. de reb. Græcorum. *Lib. 2. genial. dier. c. 29.* *De Cyri disciplin.*

Pars mihi pacis erit, dextram tetigisse tyranni.

Testes insuper sunt hac de re statuæ Principum antiquæ, quas porrecta dextra plerunque conspicimus. Unde de Mario Plutarchus scribit, cum in suos cives innumeris cædibus sæviret crudeliter, & sui stipatores obvios quosque interficerent, quos servare voluerit, dextra porrecta, aut salute data, incolumes fecisse. Postremo ut autoritatem sacrarum literarum adducamus, ex iis constat, Dextram felicitatis & dignitatis locum esse: sinistram Infelicitatis & miseriæ. Unde quemadmodum per dextram sæpe indicatur beata vita & per sinistram perpetua damnatio: ita dextera DEI passim dicitur gloria æterna: sinistra opprobrium, suppliciumque perpetuum.

CAP.

CAPUT XXXVI.

De Barba & Coma.



RIGENES & Hieronymus nos docent, quod barba & capilli in ſacris literis, non tanquam res corporeæ intelligendæ, ſed metaphorica ſignificatione ad animam referenda ſint. Huic enim hoc modo barba, capilli, aliæque corporis partes attribuuntur. Id apparet ex Pſalmo de fragranti barba Aaronis. Eodem modo, ubi lege divina filiis Aaron præcipitur: Non radent caput, neque barbam. Ibi Heſychius Hieroſolymitanus ait, caput & barbam ſapientiæ & perfectionis noſtræ eſſe ſignum. Id quoq; veteribus ignotum non fuit. Siquidem apud veteres Francos ſubditis in ſubjectionis ſignum cæſi erant capilli, Principibus agnatis prolixi ad inſigne dominatus. Hi à puero antequam adirent regna, quam plurimum poterant alebant eos, ita ut de ſyncipite penderent capilli in humeros paſſi, occipitio vero ad utrumque latus eſſent crines implexi, pexi, uncti & odoramento delibuti, ut hodie ſigna eorum extant in antiquis monumentis Eccleſiarum S. Dionyſii Franciſci & Germani Pratenſis. Hoc diſcrimen (ita pergit commemorare Tilius) narrat Agathius in hiſtoria Gothica, & Burgundos ait, ex capillis paſſis agnoſcentes Clodomirum Regem filium Clodovæi, qui primus Rex fuerat Chriſtianus in prælio occidiſſe. Gregorius Turonenſis & Aimonius narrant Clotarium primum noluiſſe Gondelbaldum agnoſcere, propterea ad reprobationis ſignum, ut tonderetur perſæpe curaſſe. Scribit idem Gregorius, Clodovæi filii, Chilperici Regis corpus, mandato Fredegontis novercæ occiſi, in Matronam conjectum retibus à piſcatore fuiſſe captum, & prolixa cæſarie implexaq; agnitum. Ex Eginardo conſtat rationem hanc per ſecundam Caroleorum ſtirpem fuiſſe ſublatam, etſi regum filii ſuam partem nomine Regni in ea perceperunt. In Germania fuerunt populi, in quibus æque populares ac Principes longa cæſarie utebantur, inter alios Suevi & Sicambri, id eſt, Geldri & Clivenſes, Martiale teſte. Hæc Tilius. Illuſtratur præterea hoc memorabili exemplo Chrotildis Reginæ matris Childeberti & Clotarii Regum, ut refertur à Franciſco Hotomanno. Dominata eſt, inquit, quondam Chrotildis, quæ dum alterius filii, nomine Chlodometis, demortui filios inſano quodam amore proſequeretur, ſummam contentionem adhibuit, ut nepotes remotis filiis in Regiam dignitatem producerentur. Itaque capillitium eorũ, pro eo inſtituto, ſumma cum cura & diligentia nutriebat. Cujus rei Reges fratres certiores facti, confeſtim Arcadium quendam ad eam miſerũt, qui nudum gladium ſimulque forcipem ei oſtentans, optionem illi faceret,

Pſalm. 133.
Levit. 21. c.
Ioan. Tilius lib. 2. de reb. Gallia.
In principio vita Caroli Magni.
In Epigrammatis.
In Francogallia, c. 19.

utrum illorum nepotum suorum capiti admoveri mallet. At illa, inquit Gregorius Turonensis, nimium felle commota, pręcipue quum gladium cerneret evaginatum, ac forcipem, amaritudine præventa, respondit: SATIUS MIHI EST, SI AD REGNUM NON ERIGUNTUR, MORTUOS EOS VIDERE, QUAM TONSOS. Itaque nepos uterque in ipsius conspectu interfectus est. Hæc Hotomannus, qu ibidem multa notatu digna, De jure Regalis capillitii recenset. Idem mos olim posterioribus temporibus apud Græcos, & fere ubique in Oriente, magna cum religione servatus fuit. Apud illos enim capillorum & barbæ per ignominiam resectio non vulgare supplicium fuit, Solebant enim barbas maxima cura nutrire, probroque inprimis ducere, vel unum pilum per vim revelli. Unde pœna stupri fuit, securi barbas publice hujus flagitii convictis, præcidi, atq; illos ita, ut infames dimitti solere. Immo pro sanctissimo pignore, si cui obligata esset barba, apud Græcos habita fuit. De qua re duæ elegantiss. historiæ recensentur, in appendice Chronologiæ Nicephori, opera parentis mei optimi, editæ. Legimus præterea Diogenem dicere solitum, se ideo barbam gestare, ut subinde se virum esse recordaretur. Recte autem Aristoteles & plerique philosophi tradiderunt, barbam viris à natura ornamenti dignitatisque causa contributam. Hoc etiam apud Judæos fuisse observatum, testatur factum Regis Ammonitarum, qui legatis Davidis ad ipsum missis, ut consolarentur eum ob patris obitum, barbas & vestes præcidit. Quam rem, utpote in ignominiam & contemptum sui commissam, tam ægre tulit Rex David, ut Ammonitas acerrimo bello tam diu persecutus sit, donec eorum Rex, & reliqui Ammonitæ dignas pœnas insolentiæ darent. Non sine causa igitur constitutiones contra tales, ut violatores pacis & tranquillitatis publicæ factæ sunt posterioribus temporibus, sicut videre licet in constitutione Friderici de pace tenenda, & ejus violatoribus, ubi ita legitur: Si quis aliquem ceperit, & absque sanguinis effusione fustibus percusserit, vel crines ejus aut barbam expilaverit; decem libras ei, cui injuria illata esse videtur, per compositionem impendat, & judici viginti libras persolvat. Extant etiam hac de re leges Alemannorum vetustiores, quæ temporibus Clotarii Regis sancitæ sunt, sub tit. De eo qui alium contra legem totonderit, ubi ita statuitur: Si quis alicui contra legem totonderit caput liberum non volenti, cum XII. sol. componat. Si autem barbam alterius totonderit nolentis, cum VI. sol. componat. Sic in lege Salica mulcta constituitur in eos, qui pueros vel puellas totonderint. Et Boerius dicit, id quod Cornelius Tacitus de Germanis quoque scribit, Franciæ consuetudine, uxorem à marito postulatam adulterii, & convictam, tonderi, & capillis abscissis vestibusque in circuitum resectis ignominiose per vicos circumduci. Eodem modo Gandinus refert, silvæ incendiarios & fures aliquibus casibus in Lon-

Cap. 19.

Decisione 297. nu 13.

De malefic. in tract. pœnarum 56.

Longobardia solere tonderi, & decalvari pro secundo furto. Unde doctiores in usibus feudorum §. si quis quinque solidos, in modo allegata constit. Friderici, de pace tenenda, legendum putant: Si fur minus quinque solidis furatus fuerit, scopis & forcipe excorietur, & tondeatur, non tundatur, vocabulo minus usitato ut pleraque exempla, quæ ego vidi, habent. Fures enim à tonsura noscebantur, alioquin tunc temporis moris erat, capillos prolixos gestare, sicut in addit. Speculi Saxonici notatur. Huc referendum est, quod Thevetus asserit, Hodierno die apud Candiotas vel Cretenses loco pœnæ haberi, si barba tondeatur. Sic olim apud Indos eum qui maximum aliquod delictum perpetrarat, Rex tonderi jussit, tanquam extrema sit talis ignominia. Unde non absurde dixit quispiam ex veteribus, tam deforme esse ornatum barbæ auferre viris, quam leoni vel equis jubas attondere. Id videre licet apud Plutarchum, qui morem Siculorum refert. Ii enim victores equis lauro coronatis, captivi vero tonsis crinibus in triumpho utebantur. Hoc etiam Fazellus testatur. Non sine causa igitur propter insolitam rem, mirati sunt Itali equitatum Germanicum Cæsaris Maximiliani I. quum nostrorum patrum memoria contra Venetos bellum gereret, quod plerisque equis jubæ detonsæ, & caudæ mutilatæ essent; nescientes videlicet ideo fieri (ut nostris hominibus tunc temporis persuasum erat) ut equi hac mutilatione alacriores & spina dorsi robustior fieret. Sic legimus apud M. Paulum Venetum, Carariamitas Tartaros equis suis, quos habent præstantissimos, auferre solere de osse caudæ nodos duos vel tres, ne equus sessorem cauda feriat, & ne caudam nunc huc, nunc illuc flectere possit. Turpe enim hoc judicant. Sed ut ad nostrum propositum revertamur, operæ precium putavi recensere quod apud Aristotelem legimus, Ephoros initio sui magistratus civibus edixisse, ut superius labrum raderent ac legibus animum adverterent, ne molesti ipsis esse cogerentur. Quod ideo factum putat Plutarchus, ut in minimis quoque rebus dicto audientes esse juvenes assuefacerent. Non omittendum etiam fuit, Alexandrum Magnum voluisse ut Macedones, quum vellent cum hoste confligere, barbas raderent. Traditum enim est, quum quodam tempore omnibus ad prælium paratis, is à præfectis interrogaretur, num quid aliud præter hæc fieri vellet; respondisse: Nihil, nisi ut Macedonum barbæ radantur. Hoc dictum quid sibi vellet admirante Parmenione: An nescis, inquit, in prælio nullam ansam meliorem esse, quam barbæ? Significabat videlicet cominus esse pugnandum, in quo genere barbæ officiunt, quod his milites facilime possint apprehendi. Idipsum Saracenis Indis ignotum non fuit. Scribit enim Hieronymus Osorius, Quum Lusitani ad Pananem in terram desilire conarentur, triginta Saracenos capitibus & mentis abrasis in eos impetum fecisse. Eam autem abrasionem devotionis fuisse indicium, qua sibi diras horribiles imprecabantur, si è prælio, nisi victores,

In Cosmograph. 4.

De rebus Siculis prior. deca. lib. 4.

Lib. 1. c. 40. de regionib. Orientalib.

In vita Cleomenu.

De rebus Afric. & Indic. lib. 5.

res, excederent, & addit ibidem, ejusmodi abrasorum fuisse magnam multitudinem, quibus erat necesse, aut hosti vitam eripere, aut in certamine mortẽ oppetere. Hoc impedimentum in comis Arabes quoq; Abantes, & Mysios animadvertisse Alex. de Alex. testatur. Etenim ne in conflictu belli hostibus prædæ forent, anteriorem capillum rasitarunt. Idem Curetes (qui ideo detonsi appellati sunt, ἀπὸ τῆς κουρᾶς id est, tonsura) & Ætoli fecerunt. Nam quũ à fronte essent capillati, & crinibus ab hostibus Eubœis raperentur, ferunt eos frontem abrasisse, & ab occipite cæsariem nutriisse. Hoc in hodiernum diem faciunt Americani, & reliqui Indi occidentales. Lycurgus autem, ut Plutarchus memoriæ tradidit, Lacedæmonios voluit comam retinere, & sententiæ hanc rationem attulit. Si vultus & forma fuerit bona, coma gratiam addit. Sin vero facies turpior erit, coma efficietur horribilis, ut magis terrorem incutiant. Verum qui magis sapuerunt, morem hunc reprehendebãt. Neq; is mos Lacedæmoniorum semper in usu fuit. Nam ut scribit idem autor, juvenes consueverunt, quum ex ephebis excederent, comas deponere Delphis. Et egregii ac insignes Imperatores milites tonsos omnino volebant, nec Romani aliter videntur consuevisse. Hanc rationem, ut sapientiorum ac plurium sectatus est D. Paulus Apostolus (ut misceamus sacra profanis) ubi dicit probro viro dari, si comam promiserit, eamq; naturam appellat, quod homines instinctu naturæ sic judicent, Mentum autem & barbam radere Alexandri temporibus fuisse repertum, cum non raderentur prius, asserit Chrysippus, sicut ab Athenæo citatur, ubi Alexin ita dicentem introducit:

Lib. 5. gen. dier. Cap. 18.

In vita Lysandri.

1. Corinth. 2.

Lib. 4. de voluptate & bono.

Lib. 13. dipnosoph. c. 6.

Picatum aut derasum si quem forte videris,
Horum utrumque cujus rei gratia factum putes?
Aut de militia cogitare ille mihi videtur,
Facturus omnia quæ barbæ non conveniant:
Aut in civitate flagitiis omnibus se inquinat urbe.
Nam per deos ecquid nobis barbæ pilus molestus est.
Propter q. em hominem esse unumquemque nostrum apparet,
Nisi fortasse mediteris quod indignum eo sit.

Sane patrum nostrorum memoria in Germania & Gallia aliisque locis comarum usus paulatim in desuetudinem abiit, & multi sunt in illa opinione, Philippum Bonum Ducem Burgundiæ circa annum 1460. hujus rei initium præbuisse, Is enim ut Heuterus Delphius refert, cum longo incognitoq; implicaretur morbo; ei pellendo, inter varia remedia, medicis est visum comam (quam tum summa cura viri proceres nutriebant) ut poneret. Quum vero animadverteret, se propter novitatem rei à suis familiaribus, aliisque eum invisentibus derideri, edictum proposuit, quo aulicis & nobilibus sui imperii omnibus quemadmodum fecisset, caput radi jubebat, parentibus Bruxellæ eo die

De reb. Burgund. lib. 4.

die quingentis;cæteris ut idem facerent,opera Petri Vaſquembaccii viri nobilis,ad hanc rem delecti,coactis,ita ut Bruxellæ cæteriſque urbibus ac oppidis,nobiles omnes raſi,magno vulgi cum riſu,conſpicerentur. Hæc res tum temporis inſolita, paucos poſt annos,non ſolum apud Belgas,& Gallos, ſed univerſam Europam invaluit,& quidem non abſque ratione. Virorum enim major gravitas eſſe debet,quam ut ſeriis omiſſis in ornanda coma,inſtar muliercularum occupati ſint. Huc accedit quod coma prolixior non ſolum multis in rebus impedimento,ſed etiam nocumento eſt,præſertim in fluxionibus capitis & vulneribus curandis. Poſtremo ſilentio prætereundum non fuit,ſicut olim,ita nunc mali ominis loco haberi,in ſomno videre ſibi amputari vel amittere capillos. De qua re extat epiſtola notabilis C. Plinii Cecilii ad Suram *Lib. 7. epiſt. 27.* ubi interpres allegat Suidam ſentientem,quemadmodum tondere de vertice capillos portendat detrimentum rerum:ſic capillum decidere,magnum periculum. Hujus rei quoque meminit Pierius,dextram videlicet capitis partem *In hieroglyph. lib. 32.* capillis denudatam imaginari oſtendere mares conſanguineos extingui debere,quod ſi nullos habuerit,damnum nihilo ſecius aliquod extimeſcendum. Si vero læva capitis pars ſine capillis eſſe viſa fuerit, cui hoc acciderit, fœminas,ſi quas habet conſanguinitate junctas,interituras oſtendit:ſi non habeat, alicunde damnum omnino obventurum. Sed hæc conjectoribus ſomniorum relinquamus qui ſomniantibus ſimiles, peculiares libros conſcripſerunt, inter quos Apomaſaris Apoteleſmata, præ reliquis commendantur. Nos autem ex ſacris literis certo ſcire debemus,capillos capitis noſtri numeratos eſſe omnes,neque unum ex iis abſq; voluntate divina decidere poſſe,cum præſertim non ignoremus divinationem ſuperſtitioſam per inſomnia, non tantum à Chriſtianis damnari, ſed etiam legibus Romanis prohiberi & puniri. *L. etſi excepta. C. de maleſic. & mathem.* Apud Jeremiam quoq; Deus per Prophetam ſomnia vana & inania deteſtatur, ſed vera & divina commendat. Et Siracides in libro ſuo Sapientiæ monet,ne ſomniis vanis aliquid tribuamus,quia cordi,inquit,tuo viſa offeruntur,inſtar parturientis. Niſi ab altiſſimo demiſſa fuerint, ne attribuas ad illa cor tuum. *Cap. 23.* Multos n. deceperunt ſomnia, & prolapſi ſunt, qui ſpem in illis collocarunt. *Cap. 34.*

Caput XXXVII.

De miranda naturæ compenſatione.

Mira eſt providentia & ſolicitudo naturæ, quam Creator omnium rerum ei tanquam optimæ matri attribuit. Ea enim in animalibus membris diſtortis, vel mutilatis aut debilitatis, vel etiam omnino deficientibus plerunque aliis membris præter ſuum officium,ad quod deſtinata ſunt, tale robur & dexteritatē ex diuturna conſuetu-

 dine

dine suppeditat, ut dicere aliquis possit, non in distinctione membrorum, sed in continuo usu perfectionem consistere, hac de re sæpius cogitavi, quum essemus Comburgi apud verè nobilem & præstantissimum virum D. Erasmum Neusteterum. Is enim quum nulla benignitatis & humanitatis erga nos prætermisisset officia, jussit accersiri, ex vicinis Salinis Suevicis Thomam Schweicherum, natum XXXI. annos, & quidem honestis parentibus, quem licet mater sua absque brachiis in lucem enixa fuisset, omnia tamen munia manuum, pedum subsidio, ita exequebatur, ut quod in uno desideraret, in altero compensatum sibi esse affirmare non erubesceret. Nam quum in editiore loco, qui æquaret altitudinem tabulæ, in qua esculenta apposita erant, consedisset, apprehenso pedibus cultro, scindebat panem, & alios cibos: pedes ea postea nec non & potum, veluti manus ori porrigebant; peracto prandio pedibus pingebat nobis omnibus videntibus tam elegantes latinas & germanicas literas, ut exempla earum, quasi rem insolitam nobiscum sumserimus. Postulantibus etiam nobis cultello parabat calamos ad scribendum aptissimos, quos postea nobis donabat. Quum esset ita occupatus, diligenter inspexi formam pedum, quorum digiti erant ita longi, & ad res tenendas apti, ut procul aspicientibus manus (pallio enim suo verecundè admodum crura tegebat) viderentur. Hoc spectaculum nobis sanè jucundum, & antea non visum, jussus etiam fuerat paulo ante Cæsareæ Majestati, quum illac transiret, exhibere, quæ hanc mirandam naturæ compensationem, non absque munificentia, lubens spectavit. Hoc ipsum illustravit elegantiss. epigrammate Johannes Posthius Medicus & Poeta eximius. Id, sicut ipse nuper ad me misit, huc ascribendum duxi:

Mira fides! pedibus dextre facit omnia Thomas,
Cui natura parens brachia nulla dedit.
Namque bibit pedibus, pedibus sua fercula sumit,
Volvit & his libros, præparat his calamos.
Quin & Literulas pede tam bene pingere novit
Artificis superet grammata ducta manu.
Maximus hoc Cæsar, stupuit quondam Æmilianus,
Donaque scribenti largus honesta dedit.
Omnia nempe potest vigilans industria, quodque
Natura ipsa negat, perficit ingenium.

Similis homo mancus, videlicet absque brachiis, nostro tempore ferè totam Germaniam pervagatus est, qui collo & mento gladium vibrare, hastilia ejaculari, & alia multa mira dexteritate, & ita certo longa consuetudine, quæ velut in artem transierat, didicerat, ut à proposito scopo raro aut nunquam aberrare solitus sit. Reliqua officia manuum, pedum ministerio supplebat. Verum

rum eum fuiſſe impoſtorem & ſceleratum hominem, ejus infamis exitus (ut fertur) demonſtravit. Id quoq; aliis nationibus olim rarum viſum fuit. Nam ut referunt hiſtorici, inter dona Regum Indiæ Octavio Auguſto oblata, præter opulentiam mercium Indicarum ex auro & gemmis oſtentationem, adoleſcens brachiis ad humeros uſque præſectis, qui pedibus omnia manuum officia præſtaret, veluti res propter raritatem admiranda, adductus fuit. Apud nos ſanè habemus adhuc adoleſcentem & virginem, ex iiſdem parentibus, & quidem celebri & honeſto genere prognatos, qui peculiari acumine ingenii ſunt præditi. Et licet mutos & ſurdos eos ambos natura procreavit, tamen uterque ſcite legere & ſcribere elegantiſſimè, nec non & rationes mercatorias computare poteſt. Ut autem hic ex nutu quæ ſibi facienda ſunt dextrè percipit, & ſi deeſt calamus, geſticulationibus ſuas cogitationes exprimit, nec non & in omnibus aleæ luſibus, qui apud nos uſitati ſunt, & non ſine accurata ratiocinatione perfici poſſunt, excellit: ita illa acu, & ingenioſa textura alias puellas facilè ſuperat. Inter cæteras autem mirificas dotes, quas illis natura compenſavit, memorabile eſt, quod ex motu labiorum interdum percipere videntur, quid aliquis loquatur. Unde videas eos conciones ſacras ſæpiſſimè frequentare, ut aliquis non abſurdè dicere poſſet, videri intentis oculis viſu eos haurire, quod alii auditu facere ſolent. Siquidem orationem dominicam, aliaſque pias preces quando volunt, abſque ſuggeſtione, aliiſve adminiculis, ſcribunt, Evangeliaque feſtis diebus deſtinata non ſecus ac alii memoriæ commendant, ita ut expeditè ea ſcribere poſſint. Quod ſi in templis ſalutiferum nomen Jeſu Chriſti profertur, hic præ cæteris in cœtu detracto capiti pileo, & genu flexo venerabundus conſpicitur. Adeo natura, veluti fidelis mater, compenſando ſolicita & ſtudioſa eſt, ne tanquam dura noverca merito accuſari poſſit. Quod enim in aliquibus ſenſibus adimit, in aliis reſtituit. Id quod olim accidit Didymo Alexandrino, de quo Ruff. ſcribit, Quum luminibus orbatus eſſet, eum adhibitis piis precibus ſtudia ad laborem ac juges continuataſque vigilias, non ad legendum, ſed ad audiendum, ut quod aliis viſus hoc illi conferret auditus, adhibuiſſe, eaque indefeſſa diligentia, docente Deo, in tantam divinarum humanarumque rerum eruditionem & ſcientiam veniſſe, ut ſcholæ Eccleſiaſticæ doctor exiſteret. Huc referri quoque poſſunt, quæ infra de mutis geſticulatoriis notabimus. Notum præterea eſt, fuiſſe majorum noſtrorum tempore Joannem Ferdinandum, natum in Flandria, patre Hiſpano, cæcum & præterea inopem. Quas tamen ambas difficultates, admodum contrarias hominibus doctis, ita ſuperavit, ut non ſolum poëta & phiſophus inſignis evaſerit, ſed etiam tam eximius Muſicus ut cum maxima audientium delectatione varia genera Muſica tractaret, atque inſuper cantilenas aliquot vocum artificioſiſſimas memoriter componere-

In vita Auguſti Imperatoris.

Lib. 2. cap. 7. Eccleſ. hiſt.

Cap. 86.

poneret. Hunc tamen longè superavit Nicasius de Werda Mechliniæ natus. Qui licet ab anno tertio ætatis suæ oculis captus, & ob id etiam elementorum literarum penitus ignarus fuisset: tamen nihilominus in omni doctrina divina & humana adeò profecit, ut admirationi omnibus esset, & quum Lovanii gradum Magisterii accepisset, scholis aliquandiu Mechliniæ cum laude præesset, & Lovanii aliquanto post licentiam in Theologia consecutus, cæcus quamvis Evangelium tamen publicè docuerit. Quin & post hæc gradum Doctoris utriusque juris in Academia Coloniensi quum accepisset, in gymnasio publicè ibidem jura cum stupore omnium docuit, atque libros utriusque juris, quos nunquam viderat, & legerat memoriter recitavit, donec Coloniæ moreretur. Anno 1492.

Caput XXXVIII.

De Vrsis ambestricibus hominum, & mira crudelitate quorundam, qui Christiani perhiberi volunt.



Enerosus & excellens vir, D. Nicolaus Virlæus Polonus, nobis multa stupenda de vita & moribus Johannis Basilidis Magni ducis & Principis Moscorum, & inter alia narrare solebat, quod prope suum cubiculum ursos aliquot immanes alere consuevisset, iisque homines, quos è medio tollere vellet, plerosque indicta causa non habito respectu proprii sanguinis, dilaniandos objiceret, eumque hac re magnam delectationem capere, idque postea una cum aliis ejus horrendis & nefariis sceleribus, quibus omnibus tyrannis qui crudelissimi fuerunt, antecellit, in descriptione Moscoviæ prolixè recensuit Alexander Gaguinus, & alii nonnulli quorum scripta extant. Quum autem hoc genus supplicii plerisque mirum & sævum videretur, & ipsemet quoque hac de re cogitarem, incidi paulo post in locum Ammiani Marcellini, qui fere eadem refert de crudelitate Valentiniani Imperatoris. Ita enim scribit: Illud tamen nec præteriri est æquum, nec sileri, quod quum duas haberet ursas sævas, hominum ambestrices, Micam auream & Innocentiam, cura agebat enixa, ut earum caveas prope cubiculum suum locaret custodesque adderet fidos, &c. Innocentiam denique post multas, quas ejus laniatu cadaverum viderat sepulturas, ut benè meritam, in sylvas abire dimisit innoxiam, &c. Etsi autem Caligula aliique Imperatores vel potius tyranni, sæpissimè utriusque sexus homines feris, interdum etiam ferinis pellibus, ut Nero fecit, insutos, dilaniandos objicere jusserunt, hacque laniena (à qua

Lib. 29.

tamen

tamen pii homines protectione divina ſæpè incolumes manſere, feræque contra naturam mitiores, quam homines ipſi fuerunt, ut apud Euſebium videre licet) delectatos mirificè conſtat: tamen horrendum eſt, quod Suetonius de Nerone ſcribit. Credimus, inquit, etiam polyphago cuidam Ægyptii generis crudam carnem, & quicquid daretur mandere aſſueto, concupiſſe vivos homines laniandos abſumendoſque objicere. Talem ſervum Æthiopem, qui humana carne veſcebatur, una cum aliis muneribus Aladinum Haſſiorum in magna Taprobana Indiæ inſula Regem, ante pluſculos annos ad Solimanum Turcarum Regem, per Benchaomerum legatum ſuum miſiſſe, refert Juſtinianus. De Amida Tunetorum Rege Jovius ſcribit, quod ſolitus fuerit non ſolum hominum interfectorum cadavera canibus laceranda objicere, ſed etiam in vivos homines mordaces moloſſos, diuturnaque fame, ut aſperius ſævirent, efferatos immittere. Si igitur ob hanc crudelitatem Ethnici, ac Mahumetani, & quidem merito reprehenduntur, quis negare poterit, eos qui Chriſtiani eſſe & perhiberi volunt, ſeſe minimè excuſare poſſe. Ideoque perpetua nota infamiæ & crudelitatis dignos eſſe. Quare non ſine ſtupore legitur, quod Sabellicus ſcribit. Famam fuiſſe, Franciſcum Carretum Patavinum Principem canes immanis ſtaturæ habuiſſe, quibus miſeros cives laniandos objicere ſolitus eſſet. Eandem crudelitatem belluinam Johannem Mariæ Ducem Mediolanenſem exercuiſſe teſtatur idem Jovius. Sævus, inquit, princeps in cives, poſt multos ex amicis paternis ſecuri percuſſos inauditæ crudelitatis carnificinam exercuit. Prægrandes enim & voraciſſ. moloſſos, noxiorum primo, & mox innocentum carne nutritos, magiſter eorum Gyranus fera immanitate ita alebat, ut eis, quos odiſſet princeps diſcerpendos objiceret, incredibili horrore gemituque paventis populi. Quid autem vetat dicere nonnullos ex domitoribus iſtis novi Orbis, erga Indos occidentales crudelitate his, de quibus diximus, haud inferiores fuiſſe, quum opulentiſſimam civitatem Cuſconem occupaſſent, & cæſis captiſque incolis totam illam regionem ampl[illegible] miſerè afflixiſſent. Ferunt enim repertos Hiſpanos quoſdam, qui trucidatos ad ludicrum oblectamentum Indos vorandos canibus objicerent. Et extat in Oviedi Indiæ hiſtoria, memorabilis & lepida res, quoniam benè cecidit, talis videlicet: Didaco Salazari (cujus inter S. Joannis inſulæ primos occupatores celebre adhuc nomen eſt) canis erat moloſſus acer & barbaris inprimis infeſtus, Bezerillum vocabant. Nocte, quæ diem quo Caciecum Mabodomacam prælio Hiſpani vicerunt, ſecuta eſt, Salazar canem adverſus Indicam anum, quæ inter captivos erat, emittere conſtituit. Id ut commodius faceret, epiſtolam tradidit vetulæ perferendam ad Gubernatorem, qui duobus inde fortè miliarib. aberat, ſed eo conſilio ut ſimul atq; à ſuorum conſpectu ablata eſſet, canem in eam ſolveret. Et quum læta abiret, ſperans ſe hu-

Lib. 8. cap. 7. eccleſ. hiſt.
In vita Neronis.
In hiſtoria Venet. lib. 5.
Lib. 44.
Lib. 8. dec. 2 de reb. Venet.
In elog. illuſt. viror. lib. 2.
Benz. in hiſt. novi Orbis lib. 3. c. 5.
Lib. 16. c. 11.

ſe hujus epiſtolæ beneficio libertatem conſecuturam, vixque inde lapidis ja-
ctu abeſſet, Salazar canem emittit, is vetulam facilè aſſequitur. Miſera anus
ubi moloſſum furibundum ad ſe recta tendere videt, humi reſidens, his eum
idiomatis ſui verbis mulcere cœpit: Domine canis, domine canis, ego fero
iſtas literas ad Gubernatorem, obſignatam ei epiſtolam oſtendens, & addens:
Ne ſævias in me domine canis. Hic canis, velut ſupplices illas & adjectas pre-
ces ſenſiſſet, protinus mitigato impetu ſubſtitit, & ſublato altero crure, ut ca-
nes ad parietem ſolent, eam perminxit. Ea res Hiſpanis, qui ferociam & ſæ-
vitiam animalis noverant, miraculo fuit, puduitque ipſos fœminam interfi-
Lib. 1. Rhet. cere, cui canis pepercisset. Hinc apparet verum eſſe quod Ariſtoteles ſcribit,
ὅτι δὲ πρὸς τοὺς ταπεινουμένους παύεται ἡ ὀργὴ καὶ οἱ κυνὲς δηλοῦσιν, οὐ δάκνοντες τοὺς
καθίζοντας. Adverſus ſe ſubmittentes, requieſcere iram etiam canes manife-
ſtum faciunt, non mordentes eos, qui proſtrati ſunt. Eodem modo in hiſto-
De destru- riis legimus Indos illos occidentales in regno Peruano, quum Hiſpanos auro
ctione Indo- explere non poſſent, id eoque tormentis ſubjicerentur, in ſilvas ſeſe abdidiſ-
rum per Hi- ſe, quos Hiſpani velut feras indagantes ſagaci canum odoratu perveſtiga-
ſpanos. runt, multoſque ita repertos, efferati canes dilaceravere: ipſi vero damnatæ
vitę ſpe tantas ærumnas ſuſpendio finiebant. Idipſum etiam, tanquam [illegible]
confirmabat Bartholomæus Epiſcopus de Laſcaſas, ſive Caſaus, Hiſpanus, or-
dinis Dominicani monachus, ubi in deſcriptione regni Peruani, ita Indorum
calamitatem deplorat: Præterea recenſendus eſt alius actus diabolicus, qui
neſcio an potius feris beſtiis quam hominibus conveniat. Etenim Hiſpani
de induſtria alunt moloſſos ferociſſimos & ſanguinarios, quos potiſſimum
aſſuefaciunt ad dilaniandos & occidendos Indos. Non puto quod tam genui-
ni, & veri Chriſtiani, quam qui volunt videri tales, & non ſunt, dicturi ſunt, ſi-
mile aliquid auditum eſſe: Hiſpani illi ſecum ducunt, quo proficiſcuntur, ma-
gnam multitudinem Indorum in vinculis, ac ſi eſſet grex porcorum. Hos ma-
ctant, & habent macellum carnis humanæ. Sæpius autem unus alterum ita
compellat: Concede mihi fruſtum carnis Vellaci (ita enim contumelioſo
nomine vocant Indos illos) pro paſtu canum meorum quod ſi mactavero u-
num ex meis, id tibi reſtituam: non ſecus ac ſi alius alii partem porci vel ver-
vecis concederet. Nonnulli ex iis ſolent ire venatum, qui ſi revertuntur & in-
terrogantur, quo pacto venatio ſucceſſerit, Rectè inquiunt, quia occidi cum
meis canibus quindecim aut viginti Vellacos. Hæc & alia horrenda ſcribit
Epiſcopus ille Hiſpanus in dicto ſuo libro, qui impreſſus in ſua vernacula lin-
gua Hiſpali, Anno M. D. LII. & poſtea in Gallicum idioma converſus fuit, ex
quo hæc tranſtuli. Præterea Antonius Piſo in ſuo diſcurſu quem Gallico ſer-
mone conſcripſit, refert ex hiſtoriis Indicis, Valboæ præfecti Hiſpanorum
juſſu, Regem Indorum Pancram nomine, cum ſuis aliquot principibus fuiſſe
canibus

canibus objectum,& ab iis devoratum. Ubi addit, militem Hispanum in illa expeditione adduxisse secum molossum tantæ ferocitatis, ut in præliis hostibus terribilior esset,quam ipsimet Hispani milites. Ideoque suo domino menstruum stipendium peculiare pro illo numeratum fuisse. Hunc tandem ab Indis interfectum jaculis cum tanto gaudio ipsorum fuisse, ac si plures hostes mactassent. Idipsum affirmat Petrus Martyr, ubi dilacerata cadavera à canibus cremata esse dicit. Est postquam de ferocitate molossorum erga miseros nudos & inermes Indos plura recensuit,aliter tamen accidit,inquit,quando cum Caramairensibus & Caribib. manus conserunt,ferociores namque bellisque gerendis aptiores sunt,irruentibus canibus citius fulgoris ictu venenatas destinant sagittas, & multos perimunt. *In Oceani dese.cap.5. lib.1.*

Caput XXXIX.

De crudelitate Ethnicorum erga amabile Christianum nomen.



Tantum semper fuit odium diaboli erga Christianos (Antiochiæ enim primum discipuli appellati sunt Christiani, quum Petrus & Paulus ibi fundarent Ecclesiam) ut sua organa quiescere non sit passus,sed excitarit & excæcarit,ut inauditis modis erga eos, qui nomen suum Christo dederant,sævierint. Siquidem spiritus isti contaminati ac perditi (ut Lactantii verbis utar) quibus veritas & nota est,& invisa,quia per se nocere piis nihil possunt, publicis eos odiis persequuntur quos sibi graves sentiunt,exercentque sævitiam quam violentiss. possunt, ut aut eorum fidem minuant per dolorem: aut si id efficere non quiverint,auferant omninò de terra,ne sint qui possint eorum nequitiam coërcere:&c,Unde evenit,ut mendaces& sanguine gaudentes innoxio illi spiritus,suis organis persuaserint,Christianos autores esse omnium malorum, atq; ita eo rem deduxerint ut deficientibus aliis criminosis obtrectationibus solummodo tam amabile nomen hoc capitale esset. Hinc emanavit Edictum Neronis imperii sui Anno XIV. Quisquis Christianum se esse confitetur,is tanquam generis humani convictus hostis,sine ulteriore sui defensione,capite plectatur. Etsi autem sub imperio Commodi,qui regnare cœpit post natum Christum, Anno CLXXX. lex lata fuit,quæ delatores Christianorum non sinebat vivere,ut Eusebius memoriæ tradidit ubi refert, quomodo delator Appollonii Martyris fractis cruribus punitus sit. Immo Antonini Pii constitutio testis est, eam in honorem Christianorum promulgatam esse. Ea extat relatore Ulpiano, hisce verbis: Eis qui Judaicam superstitionem sequuntur, DD. Verus& Antoninus hono- *Lib.5. cap.1. de just.* *Lib.5.c.19. Eccles. hist.* *In l generaliter 5 fin.ff. De decurionibus.*

honores adipiſci permiſerunt. Non loquitur autem hic Ulpianus, ut Accurſius & alii putant, de Judæis, ſed de Chriſtianis, qui propterea Judaicam ſuperſtitionem ſequi dicebantur, quod à Judæis primordia ſuæ doctrinæ hauſiſſent. Hoc quoque eruditiſſ. Lipſius obſervavit, ubi de Pomponia Græcina, quæ ſuperſtitionis externæ rea facta ſcribitur, inquit: Chriſtianiſmi credo accuſatam hanc fœminam, ſive, ut tunc confundebant, Judaiſmi. Habuit ſanè cauſam gravem Antoninus, ut faveret Chriſtianis, eorum enim precibus ipſe cum univerſo exercitu in bello Sarmatico ſervatus, & victoriam conſecutus eſt, unde legionem iſtam Chriſtianorum militum κεραυνοβόλον, id eſt, fulminatricem appellatam aſſerunt, ſicut Euſebius Oroſius Nicephorus & Paulus Diaconus teſtantur. Eodem modo deinceps non raro præſides provinciarum mitiores fuerunt, & Chriſtianis, utpote innoxiis, & pacatis hominibus pepercerunt, ſæpe etiam eos in honore habuerunt, conſiderantes ſcilicet tanquam præſtantiſſimi viri, non minus impium eſſe, eos qui non peccarunt, impietatis condemnare, quam impios abſolvere. Etſi vero hæc ita habebant, ut dixi: tamen accuſatores & hoſtes Chriſtianorum, Cainico odio & Diabolico furore incitati, magis fremebant, & quum nihil aliud illis ſuppeteret, inſanum & furioſum populum incedebant, ut clamarent Chriſtianos eſſe atheos, ſicut Juſtinus queritur, nec non hoſtes communes ſeditioſos & turbatores pacis & Reip. eoſque tanquam homines noxios & flagitioſos apud præſides deferebant. Eo autem res tandem pervenit, ut, ſicut idem Lactantius deplorat, inepti religioſi inexpiabili ſcelere contaminari atque aſtringi ſe putarint, ſi Chriſtianos rationem fidei ſuæ reddentes audirent. Timent enim inquit, ne à nobis revicti, manus dare aliquando clamante ipſa veritate cogantur. Obſtrepunt igitur & intercedunt, ne audiant & oculos ſuos opprimunt, ne lumen videant quod offerimus. Quo planè ipſi diffidentiam ſuæ prædictæ rationis oſtendunt, quum neque cognoſcere, neque congredi audent, quia ſciunt ſe facilè ſuperari. Et idcirco diſceptatione ſublata:

In li. 12 Annal. Taciti.

In princ. l. 5. divinarum Inſtitut.

Pellitur è medio ſapientia, vi geritur res.

Ut ait Ennius; & qui ſtudent damnare tanquam nocentes, quos utique ſciunt innocentes, conſtare de ipſa innocentia nolunt. Quaſi vero major iniquitas ſit probatam innocentiam damnaſſe, quam inauditam. Sed verentur, ne ſi audierint damnare non poſſint. Et ideo cultores Dei ſummi, hoc eſt, juſtos homines torquent, interficiunt, exterminant, nec cauſſas odiorum reddere ipſi poſſunt, qui tam vehementer oderunt. Quia ipſi errant, iraſcuntur iis, qui veram viam ſequuntur, & cum corrigere ſe poſſint, errores ſuos inſuper crudelibus factis coacervant, innocentium cruore maculantur, & dicatas Deo mentes eviſceratis corporibus extorquent. Cum talibus nunc congredi & diſputare contendimus, hos ad veritatem ab inepta perſuaſione traducere

qu

qui ſanguinem facilius hauſerint, quam verba juſtorum, &c. Teſtis præterea eſt hac de re locuples Tertullianus: Si, inquit, Tiberis aſcendit in mœnia, ſi Nilus non aſcendit in arva, ſi cœlum ſtetit, ſi terra movit, ſi fames, ſi lues; ſtatim, Chriſtianos ad leonem, acclamatur. Quin immo, teſte eodem autore, Chriſtianos Sarmenticios & ſemiſſios vulgus appellavit, quia ad ſtipitem dimidij aſſis revincti, ſarmentorum ambitu exurerentur. Cum tamen idē Tertullianus alio loco pro defenſione Chriſtiani nominis, dicat: Nos pro ſalute Imperatorum Deum vocamus æternum, Deum verū, & Deum vivum, quē & ipſi Imperatores propitiū ſibi præ cæteris malunt: Imperatoribus precamur vitā prolixam, imperium ſecurum, domum tutā, exercitus fortes, ſenatum fidelem, populum probum, orbem quietum. Eodē modo Arnobius ita cōqueritur: Cur noſtra ſcripta ignibus meruerunt dari? cur immaniter conventicula diruit: in quibus ſummus oratur Deus, pax cunctis & venia poſtulatur, magiſtratib. exercitibus, Regibus familiaribus, inimicis, adhuc vitam degentib. & reſolutis corporum unctione? in quibus aliud auditur nihil, niſi quod humanos faciat; niſi quod mites, verecūdos, pudicos, caſtos, familiares communicatores rei cum omnibus, quos ſolidet germanitatis neceſſitudine copulatio. Verum ita ſe res habet, ut quoiam plurimum gladiis & poteſtate valetis ferri, ante ire vos etiam veritatis ſcientia judicetis &c. Hunc furorē populi, cujus mos, quamvis falſus reum ſubdere, principes provinciæ humaniores cōpeſcere non potuerunt, licet egregium Imperatorum reſponſum tunc temporis habuerint, quod poſtea in Juſtiniani Codicem relatum eſt; Vanas videlicet populi voces non eſſe audiendas, nec enim vocibus eorum credi oportere, quando aut noxium crimine abſolvi, aut innocentē condemnari deſiderant. Eſt enim, teſte Saluſtio, vulgus ingenio mobili, ſeditioſum, atque diſcordioſum, cupidum novarum rerum, quieti & ocio adverſum. Attribuerunt autem Gentiles Chriſtianæ fidei, mutationem & labefactationem imperij, ob eam rem in immolationes conſervandas, & ſacrorum Chriſtianorum cultum deſerendum contenderunt, unde tanta & tam crebra mala fluxiſſent. Idque patet ex oratione Symmachi præfecti Urbis & Legati Senatus Romani, qui Valentiniano, Theodoſio & Arcadio Impp. veterem deorum cultum reſtituendum perſuadere voluit. Namque ut reparationem Aræ Victoriæ (quam, vel, non procul ab ea, Revardus Puteal Libonis fuiſſe putat) quæ à Chriſtianis Imperatoribus de curia ſublata erat; facilius impetraret, allegavit Romanæ urbis ſenectutem, cultusque falſorum deorum diuturnitatem, ſimul dicens, feliciter & proſpere omnia ſucceſſiſſe olim ac eveniſſe, ſub falſorum deorum cultu, & contra ſub Chriſtiana religione converſa omnia in deterius; terrarum ſterilitatem, famem, bella, & neſcio quæ alia mala exorta eſſe. Verum ejus rationes & argumenta graviter à D. Ambroſio & Aurelio,

Contra gentes.

Cornel. Tac lib. 2. hiſt.

L. decurionum C. de pœnis.

Lib. 5. c. 9. de jur. ambig.

Ruffin.l.2. c.39. eccleſ. hiſtor.

Prudentio confutata ſunt. Huc referri poſſunt, quæ regnante Theodoſio deſtructor templo Serapis, in quo Alexandriæ colebatur, accidere. Moris enim erat in Ægypto, ut menſura aſcendentis Nili fluminis ad templum Serapis deferretur, velut ad incrementi aquarum & inundationis autorem. Subverſo autem ejus ſimulacro, igniquе conſumpto, omnes ſimul negabant Serapin injuriæ memorem aquas ultra affluentia ſolita largiturum. Sed ut oſtenderet Deus, non Serapin, qui multo erat Nilo poſterior, ſed ſe eſſe qui aquas fluminis temporibus ſuis juberet exceſcere, tanta ex eo & deinceps fuit inundatio, quantam fuiſſe prius ætas nulla meminerat. Et ideo ulna ipſa, id eſt, aquæ menſura, quam πῆχυν vocant, ad aquarum Dominum in Eccleſia cœpta deferri. Hæc geſta ubi religioſo Principi nunciata ſunt, extentis ad cœlum palmis, cum ingenti fertur exultatione dixiſſe: Gratias tibi Chriſte, quod abſq; urbis illius magnæ pernicie tam vetuſtus error extinctus eſt. Eodem modo accidit, quando Radagaiſus Scytha innumerabiles copias in Italiam adduceret. Quum enim Romam tanquam caput imperij peteret, neque in Honorio Imper. ulla ſpes eſſet; pagani qui adhuc multi in urbe atque Italia, ſacris Chriſtianis nondum acceptis, erant erecti animo, palam in ſermone jactare, merito hæc barbaris ſecunda evenire, quod deos propitios haberent, quos ritu gentilitio colerent: Chriſtianam vero pietatē, quæ Deum ſuum haberet infeſtum, maledictis inceſſere, ac civitatem Romanam idcirco deſtitutam aſſerere, quia deos & ſacra deſeruiſſet. Profecto, ſi priſcæ ceremoniæ repetantur, finem his malis & periculis affore. Idem accidit, quum Alaricus Gothicum exercitum in Italiam duceret, & Romam acerrima obſidione premeret. Nam tunc omni humana ope deplorata, ad vetera deorum auxilia à quibus ſæpe ſe conſervatos ferebant, imploranda ſe converterunt. Auxit vero eorum fiduciam, ut Sigonij verbis utar, Pompejanus urbis præfectus, qui ſe Tuſcos quoſdam audiviſſe dixit, aſſerentes ſe nuper Narniam, ſacrificijs factis, è maximis periculis exemiſſe, atque hoſtes longe à mœnibus propuliſſe. Quam rem cum ad Innocentium Pontificem retuliſſet, ille ſi Zoſimo pagano homini habenda fides eſt, reſpondit: Agerent quod Reip. conducturum putarent. Cæterum Senatum in Capitolio ſacrificijs incumbentem populus averſatus eſt, ſacrilegium illud verius, quam ſacrum arbitratus. Eodem modo in ſacris literis legimus, Achazem Regem Judæ, quum premeretur bello ab Aſſyriis, idolis ipſorum, relicto vero Deo, ſacrificaſſe, quum putaret eorum auxilio ſe victum, & hoſtibus feliciter omnia procedere. Sed recte ibi dicitur: Iſta ſacrificia prohibita, ruinam & exitium tam Regi, quam populo Iſraelitico, accumulatis pœnis, acceſſiviſſe. Hoc ſane conſiderari debuiſſet, quum non ita pridem, Romæ, teſte Jovio hiſtorico, Græculus quidam Demetrius taurum peſtilentiæ placando numini in amphitheatro,

Lib.21.

ethnico

ethnico ritu immolaret, quæ inanis sacrificij litatio, quum morbus paulo post sua spõte mitescere cœpisset. à multitudine efficax habita fuit. Sed ne longius à proposito vagemur, Cedrenus Græcæ historiæ scriptor memoriæ tradidit, tempore Diocletiani (sub cujus imperio Christiani decimam, eamq; longe acerrimam persecutionem perpessi sunt, siquidem Eusebius refert, se vidisse *Lib. 8. c. 11. eccles. hist.* in Phrygia urbẽ Christianorũ cum omnib. civib. & parvulis funditus deletã & concrematã, idq; jussu Diocletiani & Maximiani, eo quod sacris gentiliũ interesse noluerint) oraculum editum fuisse, Christianis omnibus interfectis, Rom. imperium prosperis rebus affluxurum. Idem accidit temporib. Maximini *Lib. 9. c. 2. & 3. eccles. hist.* quum artib. Theocni quæstoris Antiocheni viri, ut Eusebius recenset, potentis, attamen incantatoris, & malitiosi, qui postea detectis ejus dolosis artibus, cum omnibus suis affectis, à Licinio supplicio affectus est, in odium Christianorum Imperator persuasus esset, Deum, (incantationib. enim suis effecerat, ut idolum Jovis talia oracula ederet) jussisse, ut Christiani in exiliũ extra civitatem ac ejus agros, tanquam sibi inimici abigerẽtur. Verum secus, inquit Cedrenus evenit, quam furiis istis visum fuit. Nam fames (teste etiam *Lib. 9. c. 8. & 9.* Euseb.) pestis & siccitas homines infestavit, ac ulcera, quos carbunculos vocant per totũ serpentia corpus, periculosos morbos afferebant, præsertim oculis occupatis, multa virorũ, mulierũ, puerorumq; millia mutilaverunt. Ad hæc addit, tyrannum ipsum morbo acerrimo afflictum & oculis captum, ex faucibus verminm multitudinẽ ejecisse, tandemq; sub extremo spiritu dixisse: Væ misero mihi & digno qui lugeatur. Nam justas meorum in Christianos impiorum conatuum pœnas pendo. Idem accidit Maximiano, sicut Euseb. & *Lib. 8. c. 17. & seq.* Pomponius Lætus refert, homini sicut ab Eutropio describitur, propalã fero *In compend. historiarum Rom.* natura, ardenti libidine, consilio stolido, ortu agresti, asperitatem suam etiam vultus horrore significanti. Incidit enim etiam in morbum, quo ulcus inguinibus innatum virilia exedit, Marcescẽte tota illa corporis parte, vermes pullularunt: remedia deerant: Medici desperavere. In hoc cruciatu quum esset, suspicatus ob sævitiam in Christianos id perpeti, revocavit decreta & superinduxit, illos accersiri jubens, ut pro salute Principis orarent. Sed pro truculento & sanguinolento homine preces non valuere, Si enim convaluisset, rediisset ad solitam crudelitatem, itaq; ex morbo periit, homo gloria rei militaris illustris, verum sævitia in Christianos crudelis, unde fœdum eum habuisse creditum est exitum, sicut pluribus idem Euseb. recenset. De hoc tyranno *In tripartita l. 9. c. 10.* Suidas, quem Maximinum nominat, ita scribit: Quum in morbum atrociss. incidisset, vehementes dolores omnem carnem ejus vexabant, & intestina ex acerrima inflammatione corrumpebantur, & caro tota ceræ instar liquescebat: eoque incendio aucto, ipsa etiam ossa tosta sunt, ut humanæ formæ character deleretur. Miserabiliter itaque putrescens, tantopere olebat, ut à

 cada-

cadaveribus in ſepulchris nihil differret, exiguoq; ſpiritu præditus, cum gemitu obiret. Non diſſimilem exitum habuit, immaniſſ. tyrannus & parricida, Herodes, teſte Flavio Joſepho. Huc referri poteſt id, quod Sozomenus de Juliano Imperatoris Julian. avunculo memoriæ tradidit. Simile exemplum pœnæ divinæ habent Judæi in Rege Antiocho Epiphane, vel potius Epimane, ita enim propter crudelitatem appellatus eſt in libris Macchabæorum. Sane in antiquiſſ. Arevacis Hiſpaniæ columnis notandum eſt, quam inviſum nomen Chriſtianorum iſtis duobus Imperatoribus fuerit, idque funditus eradicare omnibus viribus contenderint. Tales enim in illis leguntur inſcriptiones, quas Adolphus Occo, Medicus eximius, & antiquitatis Romanæ peritiſſimus in ſuum librum nuniſmatum inſeruit.

Lib. 5. c. 7. Eccleſ. hiſt.

DIOCLETIAN. JOVIUS MAXIMINIAN. HERCULÆUS CÆSS. AUGG. AMPLIFICATO PER ORIENTEM ET OCCIDENTEM IMPERIO ROM. NOMINE CHRISTIANORUM DELETO QUIA REMP. EVERTEBAT.

DIOCLETIANO CÆS. AUG. GALERIO IN ORIENTE ADOPT. SUPERSTITIONE CHRISTI UBIQUE DELETA ET CULTU DEORUM PROPAGATO.

Etſi autem ab aſſentatoribus aulicis, quemadmodum paſſim fieri ſolet ejusmodi inſcriptiones in gratiam Imperatorum abſque dubio factæ ſunt: tamen tantum abfuit, ut acerrimis ſuis perſecutionibus & lanienis Chriſtianorum nomen extirparent, ut eorum ſucceſſor Conſtantius Chlorus, filius adoptivus Maximiani, Chriſtianos ad ſummos honores extulerit, ejusque filius Conſtantinus Magnus, ipſemet Chriſto ſuum nomen dederit. Unde ſcribunt hiſtorici, Diocletianum (durum enim, imo duriſſimum illi fuit contra ſtimulum calcitrare) alienato animo deſipere cœpiſſe, eo quod Chriſti nomen ſe deleturum, uti cupierat, ſibique perſuaſerat, deſperaſſet, poſtquam ſingularem Chriſtianorum in morte conſtantiam, & incrementum eorum perſpexiſſet. Vixit enim non longe à Salone urbe Dalmatiæ, (qui locus ditionis Venetæ nunc eſt, & Spalatrum vocatur; eſtque expoſitus incurſionibus Turcicis continuis) ſectans ocium, annis decem, reſignato imperio, licet privatus, tamen miſere, dum ſibi ſemper metueret male, ne fulminis ictu concideret, ut idem Conſtantinus apud Euſebium dicit, & addit ibidem: Iſta loquitur Nicomedia; non tacent etiam qui eadem oculis viderunt, ex quorum numero ipſe equidem ſum. Palatium ejus ac domus ſane fulmine eam depaſcente; faceque cœleſti exedente, vaſtata fuit: Quas res ita eventuras ſapientes plane prædixerant. Neque enim ſiluerunt, neque mœrorem pro ſceleribus tam inique contra Chriſtianos admiſſis ſuſceptum, ſimulatione occultarunt, ſed perſpicue ac palam ipſi inter ſe libere de iisdem diſſe-

In oratione ad Sanctorum cœtum c. 52.

diſſenſerunt. Quis talis furor, quæ plane principatus inſolentia, ut homines cum ſint, audiant tamen Deum bello laceſſere, inque religionem ſanctiſſ. juſtiſſimamque veſano animo inſultare, & tam infinitæ populi hominumque juſtorum multitudini, nulla cauſa antecedente, exitium moliri? & ea quæ ſequuntur, quæ ſtudioſus lector ibi videre poterit. Adeo veritas, licet expreſſa videatur, tamen opprimi nequit, ſed velut aromata magis redolent, quanto magis conteruntur: ita ea quanto magis conteritur & oppugnatur, tanto clarius in ipſis tribulationibus in lucem progreditur. Ut vere dictum ſit, ſanguinem Martyrum eſſe ſeminarium Eccleſiæ. Eſt autem Euſebius autor, immanem illam & diuturnam Chriſtianorum perſecutionem ſub Diocletiano, ſicut is ab Aventino citatur, ortam eſſe ex ſuperbia, avaritia, invidia & odio Epiſcoporum inter ſe diſſidentium, dum alter alteri præferri vellet, ſeque hæreſeos invicem inſimularent. Moti enim his illorum diſſidijs Imperatores putabant, cum nulla inter Chriſtianorum præſides & Epiſcopos eſſet concordia, nequaquam religionis eorum ſanctitatem ſinceram eſſe poſſe: ideoq; prorſus Chriſtianorum nomen extirpare animum inducebant. Verum quo major tyrannorum erat ſævitia, eo magis Chriſtianorum numerus, ut dictum eſt, augebatur. Poſtquam vero Imperatores ipſi Chriſtianam fidem amplexi fuere, tum quidem Eccleſiarum præſules externis bonis plurimum profeciſſe, ſpiritualibus vero donis defeciſſe ſcribit D. Hieronymus. Idipſum Thomas Aquinas indicare voluit, ſicut cenſetur à Joan. Baptiſta Gelli, Academico Florentino. Quum enim ad Innocentium III. Pontif. Romanum veniſſet, coram quo forte magna vis auri ſignati numeraretur, ſque ad eum dixiſſet: Videsne Thoma, Eccleſiam non amplius, ſicut olim, um primum inciperet, dicere poſſe: Aurum & argentum non habeo (gnaus enim erat, ut Folieta legatum Venetum loquentem introducit, nullum opulentius vectigal eſſe toto orbe terrarum Pontificis calamo, cujus ſimplex uctus, quamvis ingentem pecuniæ vim parat) Thomas mox reſpondit: Fatendum hoc eſt pater ſancte: ſed etiam Eccleſia modo non poteſt, ſicut primitiva ad claudum, dicere: Surge, ambula, ſanus eſto. Inprimis autem Eccleſia ſemper in magno periculo propter duas cauſas fuit, propter ambitionem et avaritiam, ad quas ſi ſeſe cupiditas vindictæ & crudelitas adjunxerit, neceſſe eſt, ut optimus quiſq; quo major eſt, eo magis ſibi ſit à calumniis metuendum. Quod autem ſupra diximus, tantũ Chriſtianum nomen olim ſuffeciſſe, ut ij, qui hoc profiterentur, ad ſupplicium raperentur (nihil enim aliud habebant gentiles, quod in Chriſtiana plebe reprehenderent, ſiquidem inter eos nulla conſpiratio, ſicut olim apud Mileſios fuit; Nemo videlicet NOSTRUM FRUGI ESTO: ſed ſancta confœderatio; NEMO NOSTRUM SCELERATUS ANTEQUAM ESTO) patet eodem Tertulliano, qui dicit, tabellá damnatio-

In Eccleſ. hiſt. l. 8. c. 1.

Dialog. 5.

De ſacro fœdere l. 1.

 mnatio-

Lib. 10. Epist. 101. mnationis tantum continuisse, Reum esse Christianum, Nomen enim, in-quit, in nobis tantummodo damnatur, non aliquod crimen. Et Plinius se scribit ad Trajanum: Interrogavi ipsos an essent Christiani: confitentes ite-rum ac tertio interrogavi; supplicium minatus: perseverantes duci jussi. Id præterea confirmatur duobus memorabilibus exemplis in Attalo & Poly-carpo. Ille enim, quum in amphitheatro Lugdunensi circumduceretur, præ-lata fuit tabula, in qua scriptum erat: HIC EST ATTALUS CHRISTIANUS. De hoc quum in Asia ad supplicium duceretur, jussu Præsidis præco clama-vit: POLYCARPUS CHRISTIANUM ESSE SE CONFESSUS EST, sicut apud

Lib. 4. c. 15. & lib. 5. c. 1. Eccles. hist. De edictis contra Christian. lib. 4. c. 7. Eusebium videre licet. Erat autem moris antiqui, ut causa damnationis po-pulo publice exponeretur, per tabellam, vel voce præconis, ut erudite ob-servavit Franciscus Balduinus. Hinc videre licet quam pie, caste & integre vixerint ij, qui Christiano nomine gloriabantur, idque illustratur insigni ex-emplo ab eodem Eusebio. Quum enim Ptolomæus quidam vir pius, Ale-xandriæ, nullam aliam ob causam, nisi quod Christianum se esse confessus erat, jussu Urbicij ad supplicium duceretur; Lucius quidam & ipse Christia-nus, videns judicium esse præter rationem factum, Urbicium ita compella-vit: Quæ ratio est, quod hominem hunc qui nec adulterium commisit, nec scortatus est, neque homicidium perpetravit, neq; suppilator est, neq; raptor neq; simpliciter aliquid iniqui designasse deprehenditur, propter Christiani nominis confessionem punivisti? Judicia tua nec Pio Imperatori nec Cæsa-ris filio, neque sacro Senatui decora sunt; ô Urbici. Ad hoc Urbicius nihil respondens ad Lucium dixit: Et tu mihi talis esse videris, Lucio responden-te maxime; & ipsum abduci jussit. Ad hoc Lucius illi gratias egit, ac subje-cit, hac se ratione à malis hujusmodi dominis liberari, & ad bonum Patrem ac Regem Deum proficisci. Et alius quidam tertius accedens, & ipse suppli-

Lib. 15. annal. cio est adjudicatus. Hæc Eusebius ex Justino retulit. Testis quoque est Cor-nelius Tacitus, quam invisum salutiferum hoc nomen Ethnicis fuerit. Hæc enim sunt Ethnici verba de Nerone, quum ob incendium urbis infamis es-set, & hic incendiarius & patriæ pestis, pulpamentum quæreret cujus præ-textu culpam & odium à se in innocentes transferre cuperet. Ergo abolen-do, inquit, rumori Nero subdidit reos, & quæsitiss. pœnis affecit, quos per flagitia invisos, vulgus Christianos appellabat. Autor nominis ejus Chri-stus, qui Tiberio imperitante per Procuratorem Pontium Pilatum, suppli-cio affectus erat. Repressaque in præsens exitiabilis superstitio rursus erum-pebat, non modo per Judæam originem ejus mali, sed per Urbem etiam quo cuncta undique atrocia, aut pudenda confluunt, celebranturque. Igitur pri-mo correpti qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens haud perinde in crimine incendij, quàm odio humani generis, convicti sunt.

Et pe-

Ea pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent; aut crucibus affixi; aut flammandi; atque ubi defeciflet dies, in uſum nocturni luminis urerentur. Hortos ſuos ei Spectaculo Nero obtulerat, & Circenſe ludicrum edebat, habitu aurigæ permixtus plebi, vel circulo inſiſtens. Unde quanquam adverſus ſontes, & noviſſima exempla meritos miſeratio oriebatur, tanquam non utilitate publica, ſed in ſævitiam unius abſumerentur, &c. Hæc Tacitus, quem Budæus, quum hunc locum *Li.4.de aſſe.* ex eo allegat, non ſine ratione appellat hominem nefarium, adverſisque placitis providentiæ genitum, qui æqualium ſuorum ſenſui ſerviens, non ſuo judicio, prodere hoc exemplum nefariæ mentis non veritus ſit. Etſi autem tempore Apoſtolorum & deinceps, graviſſimæ fuerunt perſecutiones Chriſtianorum, ita ut eæ abſque lacrymis & ingenti dolore, à piis mentibus legi, & de iis cogitari non poſſit: tamen longe graviores ante finem mundi eos manere, ex ſacris literis, ipſisque monitionibus Chriſti apparet. Inde Iſidorus dicit: Gravius tunc contra Eccleſiam deſæviet ſynagoga, *De ſummo* quam in ipſo Salvatoris adventu Chriſtianos eſt perſecuta. Dum in Marty- *bono lib.1.* res Diabolus jam exercuerit magnam crudelitatem etiam alligatus: crude- *c.28.* lior tamen erit Antichriſti temporibus, quando etiam erit ſolvendus. Nam ligatus tanta facere potuit, quanta ſolutus faciet? Obſervandum ſane eſt, Chriſtianos in primitiva Eccleſia à nullo alio niſi à ſuo ſervatore unico, & Rege, cui homagium ſuum in ſacro fonte præſtiterant, (toto enim corde *In epiſt. ad* non oretenus imitabantur Chriſtum præceptorem ſuum, ut hoc nomine *Magneſios.* digni haberentur, καὶ πρέπον ἐστί, inquit Ignatius Epiſcopus & Martyr, μὴ μόνον καλεῖσθαι χριστιανούς, ἀλλὰ καὶ εἶναι. οὐ γὰρ τὸ λέγεσθαι, ἀλλὰ τὸ εἶναι μακάριον ποιεῖ.) *Epiſt.1.c.3.* denominari voluiſſe, idque tanquam traditionem Apoſtolicam obſervaſſe. Animadverterunt enim quam periculoſum, vel potius pernicioſum eſſet, aſſcitis aliis denominationibus ab hoc ſalutifero nomine diſcedere. Idipſum quoque Paulus Apoſtolus Corinthios ſuos monet. Hoc etiam eundem Ignatium coætaneum Apoſtolorum movit, ubi in allegata epiſtola ad Magneſios de origine Chriſtianorum ita dicit: ὃς γὰρ ἂν ἄλλῳ ὀνόματι καλεῖται πλέον, οὗτος οὐκ ἔστι τοῦ θεοῦ, οὐδὲ δέδεκται τὴν προφητείαν τὴν λέγουσαν περὶ ἡμῶν, ... κληθήσεται ὀνόματι καινῷ, ὃ κύριος ὀνομάσει αὐτόν, καὶ ἔσται λαὸς ἅγιος. id eſt: Qui enim alio nomine appellatur præter hoc, hic non eſt DEI; nec accepit prophetiam loquentem de nobis: APPELLABITUR NOMINE ALIO, QUO DOMINUS NOMINABIT EUM, ET ERIT POPULUS SANCTUS. Hæc ſpectavit *De vera Sapientia in fin. l.4.* Lactantius, ubi de quibuſdam non ſatis cœleſtibus literis eruditis & cum veritatis accuſatoribus reſpondere non poſſent, cœleſtes literas corrumpentibus, ut novam ſibi doctrinam ſine ulla radice ac ſtabilitate (hæc enim ſunt ejus verba) componerent, orationem inſtituit. Nonnulli, inquit, falſorum

Prophe-

Prophetarum vaticinio illecti, de quibus & veri Prophetæ, & ipſe prædi rat, exciderunt doctrina DEI, & traditionem veram reliquerunt. Sed o mnes dæmoniacis fraudibus irretiti, quas proſpicere & cavere debu divinum nomen & cultum per imprudentiam perdiderunt. Quum Phryges aut Novatiani, aut Valentiniani, aut Marcionitæ, aut Antho ni, ſeu quilibet alii nominantur Chriſtiani eſſe deſierunt, CHRISTI no amiſſo, humana & externa vocabula induerunt. Verbis autem expri poteſt, quam atrocia ſcandala ex his diſſenſionibus, quando in ſectas eunt, oriantur, & qualis nota & macula doctrinæ Chriſtianæ inuratur, infirmiores in fide, vel ſpe lucri, vel honorum, facile ab ea deſciſcant. libere confeſſus fuit non ita pridem legatus Turcicus ad Stephanum gem Poloniæ; Chanes is fuit Chiauſes Mamaluchus Tranſylvanus ori cui ante Euſtachio nomen fuerat, & qui non procul ab Alba Julia in o Tordo multos annos Ludimagiſtrum profeſſus, pueros in trivio do rat. Is libere dicere ſolitus fuit, ſicut Paulus Odæbornius teſtatur; qui ipſo audivit, ſe notiſſimis Chriſtianorum, in religione diſſidentium, tibus & odiis atque diſcordia motum eſſe, ut Chriſto abrenunciaret, oſtendit ſcriptum valde atrox & amarulentum Poloni cujuſdam, monſtrare conatus fuerat, Mahometem multo meliorem Luthero Hos, inquit, libros, veſtrarum diſcordiarum & hæreſium teſtes, m neris inſtar ab autore ad me miſſos, in Thraciam nunc aſporto, Muſ meis fidei veſtræ vanitatem certiſſimis rerum argumentis oſtenſurus. terum qualis confeſſio in perſecutionibus olim Chriſtianorum fuerit, que libere & abſque omni tergiverſatione, non ſuperficietenus, vel di ſa, ſed toto corde & omnibus ſenſibus ſuum Dominum & Servatorem cum coluerint, manifeſto apparet ex Chryſoſtomo, in ſuo opere in cto ſuper Matthæum, ad verba Chriſti: Omnis qui me confitebitur Cujus verba, licet prolixius præter morem hoc caput futurum ſit, non que ratione aſſeribenda duxi. Conſidero, inquit, denique, ne dicant fideles Chriſtiani: Si neceſſitas perſecutionis advenerit, interim coram minibus denegabo, ne patiar pœnas; in corde autem meo veritatem Chriſti: ideo non dicit: Qui me confeſſus fuerit in corde ſuo, ſed co hominibus. Quoniam qui coram hominibus non confitetur, non pro ei aliquid, quod in corde credit in Chriſtum. Quia qui ore denegat, no teſt fieri, ut in corde credat. Radix enim confeſſionis fides eſt cordis, co ſio autem fructus eſt fidei. Sicut ergo quamdiu radix eſt viva, neceſſe e aut ramos producat, aut folia, ſi autem non produxerit, ſine dubio inte gis, quod radix ejus in terra ſiccata eſt: ſic quamdiu cordis fides integr ſemper germinat confeſſionem in ore. Si autem confeſſio non fuerit o

in

In vita Baſilidis Magni Ducis Moſcoviæ.

Cap. 10. Homil. 25.

intellige ſine dubio, quia fides cordis ejus jam ante ſiccata eſt. Sic enim dicit Apoſtolus: Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Ergo nec valet confeſſio oris ſine fide cordis, nec fides cordis ſine confeſſione oris. Et paulo poſt: Si ſufficeret tibi fides cordis, cor tantummodo Deus tibi creaſſet: nunc autem & os tibi creavit Deus, ut corde credas, & ore confitearis. Cum omnibus porro ſenſibus quinque carnalibus & ſpiritualibus, Chriſtum confiteri oportere, ibidem docet. Si autem, inquit, vel unus ſenſus minus fuerit, non eſt perfecta confeſſio. Ergo ſi quis dicat: Ne manducaveris idolothytum, ſed aſpice tantum ad idola, quam ſint ſpecioſa, ſi aſpexeris provocatus, oculis tuis negaſti Chriſtum; non quia idola aſpicere oculis tuis, confeſſus es Chriſtum: ideo ſcriptum eſt: Averte oculos meos, ne videant vanitatem. Si vero dixerit tibi: Nolo, ut aſpicias idola, ſed tantum auſculta, quomodo ille gentilis blaſphemet Chriſtum, ut glorifices deos; ſi auſcultaveris, auribus tuis Chriſtum negaſti. Si dixerit tibi: Nolo ut audias blaſphemiam Chriſti, ſed cum incenſum offertur diis, tantum ſta, & accipe odorem incenſi illius: ſi odoratus fueris, odoratu tuo Chriſtum offendiſti. Item ſi dixerit: Non manduca carnem dentibus tuis, tantum finge te de idolothyto manducare: ſi ſimulaveris, guſtu tuo Chriſtum abnegaſti. Si autem nolueris fingere, Chriſtum confeſſus es, ſicut Eleazarus in lib. Macchabæorum, qui carnes vervecinas ſub ſpecie porcinæ noluit manducare. Si dixerit: Nolo fingas te de immolato manducare, ſed tantum tange idolum manu tua, aut tene thuribulum: ſi tetigeris, aut tenueris, tactu tuo Chriſtum negabis. Si autem nolueris, Chriſtum tactu tuo confeſſus es, &c. Omnia enim membra animæ vel corporis tui, non ſolum tibi Deus ad uſum creavit, ſed ſibi ad gloriam.

CAPUT XL.

De furore, ſævitia & crudelitate irritatæ & ſuperſtitioſæ multitudinis.

PLATO ille, quem Calliſtratus Juriſconſultus ſummæ prudentiæ & autoritatis virum apud Græcos fuiſſe, dicit: Populum, ait, eſſe ingratum, moroſum, crudelem, invitum, immodeſtum, ut qui ſit ex colluvie turbæ, & ſtultis inſolentibus collectus. Hoc etiam Phocion Athenienſis animadvertit. Quum enim oraculo proditum eſſet; unum eſſe iſtic virum, qui cunctorum ſententiis adverſaretur, populuſque juſſiſſet illum inquiri, Phocion ſemet prodidit: Ego ſum, *L. ſi quis de nundinis.*

 inquit

inquit ille, quem oraculum deſignat. Nam uni nihil placet omnium, quæ vulgus dicit. Ob hanc rem, cum aliquando orationem habuiſſet, eaque omnibus placuiſſet; Quid, inquit, num mali quippiam dixi imprudens? Adeo perſuaſum habebat, nihil placere populo, quod à recto judicio proficiſcitur. Hoc non ignoravit Joannes XXIII. Pontifex Roman. interrogatus enim a-liquando, quid foret à veritate remotius, reſpondit: Vulgi ſententia. Quicquid enim laudat, inquit, vituperio dignum eſt: quicquid cogitat, vanum: quicquid loquitur, falſum: quod improbat, bonum eſt: quod approbat, malum, & quicquid extollit, infame. Et extat peculiare caput, De mobilitate populi, in libello Nicolai Hanapi Patriarchæ Hieroſolymitani; Ubi virtutum & vitiorum exempla ex utroque teſtamento collegit. Recte igitur Arrianus laudat ſapientiam Alexandri Magni: Quod Epheſio populo materiam ſæviendi erga optimates ſubtraxerit. Nam cum de noxiis quibuſdam ſupplicium ſumptum eſſet; in alios ulterius inquiri, aut de iis ſupplicium ſumi Alexander vetuit, intelligens nimirum populum poteſtate ſibi facta, non tantum in ſontes, ed in eos etiam qui extra culpam eſſent; partim odio, partim ſpe prædæ ſæviturum. Norat enim prudentiſſ. Rex, cupiditatem & egeſtatem hominum crudelitati adjunctam magnum eſſe ad omne ſcelus incitamentũ. H[illegible] furorem irritatæ multitudinis, & licentiam ſæviendi, experti ſunt olim Corcyrenſes, ubi Thucyd. perſpicuè narrat, quam crudelia & nefanda facinora in ſeditione illa contra potentiſſimos quoſque à populo commiſſa ſunt. Poſtquam enim interfectis præcipuis, multos ſibiipſis, metu crudelitatis mortem variis modis conſciviſſe ſcribit: quidam, inquit, ob privatas inimicitias, quidam & à debitoribus creditarum pecuniarum cauſa interfecti. Nullum de-que mortis genus non viſebatur, nec fieri quicquam in hujuſmodi caſu ſolet, quod tum non evenerit. Imo vero majora etiam contigerunt. Nam pater filium trucidabat: homines à templis ad necem abſtrahebantur, atque adeò intra ipſa necabantur; alii ſe in Bacchi delubro cum muniiſſent, obiere, &c. Sed ne exempla tam longè petamus, quid obſecro non perpeſſi ſunt homin[illegible] ſeri nuper in carnificinis Gallicis, præſertim Lutetiana? Quid enim vul[illegible] veluti ludos ageret, quibus humanus ſanguis effunderetur, ſævitiæ, cru[illegible] tatis, libidinis, turpitudinis, ignominiæ tam in eos, qui neci deſtinati er[illegible], quam in alios, qui pro innoxiis habebantur, & quidem non ſolum erga [illegible], ſed erga mortuos etiam, non habita ratione ætatis, dignitatis, conditionis [illegible] ſexus, omiſit? Adeo longè, ut Lactantius ait, ab hominibus ſeceſſit humanitas, ut cum animas hominum interficiant, ludere ſe opinentur nocentiores iis omnib. quorum ſanguinem voluptati habent. Hac conſuetudine imbuti, humanitatem perdiderunt. Itaque non parcunt etiam innocentibus, ſed exercent in omnes, quod in malorum trucidatione didicerunt, &c. Veriſſi[illegible]

Balæus in vitis Pontificum.

Cap. 115.

Lib. 2.

Lib. 6. c. 2. De vero cultu.

igitur

igitur Q. Curtius ſcripſit: Nullum profundum mare, nullum vaſtum fretum & procelloſum, tantos ciet fluctus, quantos multitudo motus habet, utique ſi nova & brevi duratura libertate luxuriat. Hæc enim, teſte Livio, natura multitudinis eſt: Aut ſervit humiliter, aut ſuperbè dominatur: libertatem, quæ media eſt, nec ſpernere modice, nec habere ſciunt, & non ferme deſunt irarum indulgentes miniſtri, qui avidos atque intemperantes plebejorum animos ad ſanguinem & cædes irritant. Hoc Seneca præterea paucis verbis complexus eſt: Quis, inquit, placere poteſt populo, cui placet virtus? Huc etiam Demoſthenes reſpexiſſe videtur, quum fugiens exclamaret: O Pallas urbium domina cur tribus infauſtiſſimis beſtiis delectaris? noctua, dracone, & populo: ex illa forte cæcitatem, ex dracone livorem animorum, ex populo inſtabilitatem & inconſtantiam intelligens. Hujus rei habemus memorabile exemplum (ut ad recentiora veniamus) in ſeditione Panormitana, cujus caput fuit Johannes Squarcialupus, ſicut eam eleganter & copioſe deſcribit Thomas Fazellus, utpote αὐτόπτης, ubi inter alia urbis Panormitanæ fœdam ac plane deplorandam faciem commemorat. Nam jus legesque, inquit, jam plane refrixerant: avaritia, rapinæ, ſuperbia urbem invaſerant. Quicunque præterea impudicus, adulter, ganeo, latro, ſacrilegus, vel qui alea, manu, ventre, pene patrimonium diſſipaverat, quique alienum æs conflaverat, quo flagitium aut facinus redimeret, præterea omnes undique parricidæ, ſacrilegi, convicti judiciis, aut pro factis judicium timentes, ad hæc & quos manus lingua vel perjurio, aut civili ſanguine alebat; poſtremo omnes, quos flagitium, egeſtas, conſcius animus, exagitabat, hi Squarcialupo & conjuratoribus proximi ac familiares erant, & de civitatis magiſtratu, rerumq; omnium mutatione cum extractabant, & (quod nulli niſi nobis, qui hæc vidimus, credibile eſt) nihil ſibi reliqui non ad prædam, non ad crudelitatem fecere; ſacra profanaque divina atque humana omnia in promiſcuo, nihil penſi neque moderati habebant: publice, impuneque rapere, delubra ſpoliare, ſacra profanare & polluere licebat, &c. Recte itaque & prudenter monet Ariſtot. Exiſtere mutationes per eos, qui per luxum ſua prodegerunt, & tales innovationem ſtudere, & aut ſibi, aut alteri tyrannidem parare: Quod ſi præterea ſuperſtitio aliqua mentes multitudinis ſeditioſæ occupat: tunc demum ea bellua multorum capitum, multo atrocius furit, neque modum tenere poteſt, finemvé ullum reperit, ubi aut favere ſemel, aut ſævire inſtituit, hocque prætextu ſibi quidvis licere putat. Et non ſecus (ut ille ait:)

> —quum carceribus ſeſe effudere quadrigæ,
> Addunt ſe in ſpacia, & fruſtra retinacula tendens,
> Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.

Hoc reſpexiſſe Q. Curtius videtur, ubi dicit: Nulla res multitudinem efficacius

Lib. 10. de rebus geſt. Alexand. Magni.

L. 24.

De rebus Siculis poſter. decad. li. 10.

In Politicis.

Li. 4. de reb. Alex. Magn.

Papyrius Maſſonius lib 3. annal. Francor.
Lib. 5. divin. Inſtit.

cius regit, quam ſuperſtitio: alioquin impotens, ſæva, mutabilis; ubi vana religione capta eſt, melius vatibus, quam ducibus paret. Siquidē ſimulata religio inſtar torrentium eſt, qui nullis obicibus retardari queunt, quo minus campos inundent, & aliquandiu noceant. Recte itaque Lactantius de his ſuperſtitioſis, qui ſuam religionem vi defendendam ducunt: ita dicit: Quid ergo ſæviunt? ut ſtultitiam ſuam dum minuere volunt, augeant? Longe diverſa ſunt carnificina & pietas: nec poteſt aut veritas cum vi, aut juſtitia cum crudelitate conjungi. Sed defendenda ſunt, inquiunt, ſuſcepta publicè ſacra: O quam honeſta voluntate miſeri errant! Sentiunt enim nihil eſſe in rebus humanis religione præſtantius. Sed ut in ipſa religione, ſic in defenſionis genere falluntur. Siquidem defendenda religio eſt non occidendo, ſed moriendo; non ſævitia, ſed patientia: non ſcelere, ſed fide, illa enim malorum ſunt, hæc bonorum. Et neceſſe eſt bonum in religione verſari, non malum. Nam ſi ſanguine, ſi tormentis, ſi malo religionem defendere velis: non defendetur illa, ſed polluetur, atque violabitur. Nihil enim eſt tam voluntarium, quam religio, in qua ſi animus ſacrificantis averſus eſt, jam ſublata, jam nulla eſt. Cæterum ut hac de re multæ inſignes hiſtoriæ, tam veteres (ſicut una præ cæteris memorabilis ab Euſebio ex Dionyſii epiſtola ad Fabium Antiochenum, & altera quoque à Sozomeno refertur, tertia præterea à Socrate recenſetur) quam recentes recenſeri poſſunt: ita præ reliquis memoria digna eſt, quam Hieronymus Oſorius memoriæ tradidit. Per idem tempus (qui fuit annus 1506.) Olyſippone, inquit, tumultus multitudinis furore & amentia concitatus fuit, quo parum abfuit, quin omnes Hebræi, qui ad Chriſti fidem converſi fuerant, fœde perirent. Res autem ad hunc modum geſta fuit. Maxima pars civium propter peſtilentiam aberat. Illis forte diebus multæ [illegible] Gallia, Belgico & Germania, Olyſipponem naves cum mercibus appulerant; xix. vero die Aprilis, non pauci ex iis, qui in urbe manſerant, in ædem nomine D. Dominici conſecratam, ut rebus divinis operam darent; convenere. Ad ſiniſtrum latus templi eſt ſacellum ſanctum, & mira omnium religione celebratum, quod Jeſu ſacellum appellant. In eo ſupra aram eſt imago Chriſti crucifixi collocata, in cujus latere vulnus illud aſſimilatum operculum vitreo contegebat. Quum multi in vulnere illo oculos & mentem defigerent, ex eo ſplendor emicuit. Conclamant igitur omnes ingens eſſe miraculum, cœleſteque numen præſentiam ſuam ſignis admirandis oſtendens. Quidam ex Hebræis illis, qui non ita pridem Chriſto nomen dederant, maxima voce miraculum eſſe negavit. Nec n. eſſe veriſimile, ut aridum lignum miraculum ederet. Quamvis a. multi de miraculi veritate dubitarent: non tamen tempus neque perſona, neque concio erat ſatis apta, ut quiſquam ex illo genere deberet nunc in errore illo intimis hominum ſenſibus penitus inſito, depellendo

Lib. 6. c. 40. Eccleſ hiſt.
Lib. 5. cap. 8. hiſt. Eccleſ.
Lib. 3. cap. 2. hiſt. Eccleſ.
In hiſt. Afric. & Indic. lib. 4.

operam frustra consumere. Multitudo igitur natura præceps & inconsiderata, & specie quadam religionis attonita, quum audiret hominem Hebræum miraculo fidem derogare: fremere cœpit; Judæum perfidum & sceleratum religionis proditorem, & Christi hostem immanem & importunum appellat, extremoque supplicio & cruciatu dignissimum. Quum ad hunc modum probra undique multi congererent, exarsit iracunda concio, & impetum in hominem facit, in capillum involat, captat, vexat & in forum, quod ante templum illud est, pertrahit, & crudelissime necatum dilacerat, ignemque repente facit, in quem cadaver illud conjiciat. Ad hunc tumultum plebs universa confluxit. Ibi monachus quidam orationem satis popularem habuit, qua multitudinem ad Christi vindictam nimis acriter incitavit. Multitudo satis sponte sua furens ea ratione vehementius efferata est. Duo vero Monachi crucem sustulerunt, maximisque vocibus populum concitarunt. Et altero quoque verbo, Hæresin, hæresin dicebant, nefandam, vindicate gentemque sceleratam extinguite. Galli & Germani, qui in navibus erant, in terram desiliunt, & se ad Lusitanos, qui jam cædem immanem faciebant, adglomerant. Quingentos homines constat fuisse illos, à quibus fuit hoc immanissimum facinus institutum. Ruunt igitur amentia & scelere flagrantes, & gentem miseram nimis ferociter invadunt, multosque trucidant, & in ignem semivivos abjiciunt. Erant ad eam crudelitatem pyræ satis frequentes extructæ, eo in loco, ubi primus ille, qui multitudinem offenderat, crematus extiterat. Servi & homines etiam vilissimi summo studio & alacritate materiam undique convehebant, ne ignis posset tanto facinori perficiendo deficere. Mulierum luctus & lamentationes, & virorum implorationes acerbissimæ, omniumque miserabiles ejulatus ejusmodi erant, ut hostes immanes misericordia frangere possent. Illi tamen qui cædem faciebant, ita humanitatem exuerant, ut nulli neque sexui neque ætati parcerent, sed in omnes absque ullo discrimine crudelitatem suam exercerent. Et eo quidem die supra quingentos homines ex Hebræo genere fuerunt necati atque combusti. Sequenti die quum immanitatis illius rumor latè dissipatus fuisset, homines ex pagis, scelere, & audacia furentes supra mille in urbem convenere, & se ad reliquos sicarios aggregarunt. Itaque cædem instaurant. Et quia omnes Hebræi generis formidine perterriti in domibus suis latitabant, fores perfringebant: & in domos irruebant: viros & mulieres, & virgines immanissime jugulabant; pueros autem & infantes ad parietes allidebant: omnes partim enectos, partim spirantes pedibus trahebant, ut in ignem conjicerent. Multi simul concisi quidem vulneribus, vivi tamen eodem igne consumebantur. Ingens eo jam die stupor adeo miserrimæ gentis sensus oppresserat, ut ne lamentari quidem cladem illam, & deplorare miseriam suam possent. Qui se occultabant, quam-

vis filios aut parentes ſuos ad ſupplicium abripi viderent, ne lugubri gem prodcrentur, vocem emittere non audebant, Sic autem eos metus exanim verat, ut vivi non multum à mortuorum ſimilitudine diſtarent. Domus terim diripiebantur. Sicarii aurum, argentum, & precioſam ſupellectile coacervabant. Galli prædam in naves imponebant; eoque prædandi ſtudio factum eſt, ne multo plures eo die occiderentur. Eo autem progreſſus eſt hominum perditorum furor, ut in ædes ſacras abſque ullo numinis metu invaderent, & inde pueros & ſenes & virgines, quæ ad aras confugerant, Chriſti fidem miſerabiliter implorantes, evellerent: quos repente crudeliſſime necabant, aut vivos in ignem projiciebant; multi ſpecie quadam & ſimili dine quum Hebræi exiſtimarentur, ſummum vitæ periculum adierunt, & liqui etiam ob eam cauſſam interfecti ſunt; quidam antequam explorari ſet, ſibi cum Hebræis nullam eſſe neceſſitudinem, plagis atque vulne deformati fuere. Multi quum in inimicos ſuos inciderent, eos Judæos dicebant, qui antequam falſum teſtimonium refutare poſſent ſanguin inimicorum crudelitatem ſatiabant. Magiſtratus non tantum animi bant, ut multitudinis furori ſe opponere auderent. Multi tamen hon ad quos Hebræi confugerant, eos ſumma fide tuebantur, & clanculum culo crudeliſſimo necis educebant, & in tuto collocabant. Eo tamen d pra mille ad hunc modum interierunt: Tertia rurſus die ad eandem c ſicarii mente prorſus alienata redierunt: ſed neque quem occiderent, riebant. Omnes enim ferme, qui ad Hebræum genus pertinebant, aut bi ſalutem pepererant, aut in domibus proborum hominum latitabant. qua tamen cædes facta fuit. Illis tribus diebus circiter duo millia homi ex Hebræa gente ad unum modum occiſa ſunt. Quum tamen adve ſceret, Arius Sylvius & Alvarus Caſtrenſis, viri apprime nobiles, qui regiis judicum decuriis præerant, cum præſidiis in urbem ſe contuler Eorum adventu furor repreſſus eſt. Galli & Germani ſe confeſtim in ves cum præda magna recipiunt, datiſque velis in patriam, ea qua po celeritate confugiunt. Emanuel, ubi nuncium de tam inſigni facinore pe cepit, ira nimis acriter exarſit, & continuo Jacobum Almeidam & Jaco Lupium viros primarios cum ſumma autoritate Olyſipponem miſit, q tantum ſcelus debito ſupplicio vindicarent. Magnus hominum num extremo ſupplicio pœnas immanitatis & amentiæ dedit. Monachi v qui ſublata cruce hortatores cædis extiterant, ſacerdotali primum digni ſolenni ritu privati ſunt; deinde ſtrangulati atque combuſti. Qui v ſegnes ſe præbuerunt in furore populari comprimendo, partim hon bus privati, partim pecunia multati ſunt. Civitas ipſa multis ornam ſpoliata fuit. Hucuſque Oſorius. Similem propemodum calamitatem Pa

Thomas Fazellus lib. 10 ca. poster decad. de reb. Siculis.

normi

[illegible] experti sunt Hebræi Siculi, sacris Christianis initiati, instinctu Hieronymi Veronensis cognomento barbari, Eremitani ordinis, qui in æde D. Francisci ad Senatum & populum Quadragesimali tempore conciones habebat, & inter concionandum frequentem plebem in eos, qui rursus ad legem M[illegible] tacitè redierant, & ob id à Quæstore, quem Inquisitorem vocant, veste viridi cruce rubra insuta, inter alias pœnas multati fuerant, utirruerent: edita in suggesto voce clamitabat, illosque in cruce, qua amicti erant, sp[illegible], hortabatur: nefarium enim esse & sacrilegum, qui Christum cruci addixerat, crucem deferre diverso jure affirmans. Etenim his dictis incensa plebs repente in Hebræi generis viros fœminasque, (quorum ingens eo tem[illegible] Panormi erat multitudo) quotquot expleta concione obvios habuit, irruit, eos amictu spoliavit, dilaceravitque. Reliqua apud eundem Fazellum ibidem videre licet, qui prolixè recenset, quæ commota plebs porro perpetraverit, & quam difficulter, semel laxatis frenis, ejus furor sedari potuerit. Verum enim est, sine sanguine nunquam populi tumultum sedari. Accidit autem hoc mortuo Ferdinando Rege Hispaniæ & Siciliæ, in quo Aragonensis stirps, quæ in Hispania diu, in Sicilia vero CCXXX. regnavit annis, defecit, & utrumque regnum ad Carolum ejus ex filia nepotem pervenit, [illegible] postea Imperator Quintus hujus nominis appellatus est. Re[illegible] igitur Claudianus monet, illum furorem efferatæ multitudinis, licet interdum terribilem, attamen non diu durare, hisce versibus: *De bello Gothico.*

> *Sed cæcet eventa nimium furor, improba nunquam*
> *Spes latata diu.*

Quare temere illi faciunt, qui populo innixi & magnas res suscipiunt agendas & susceptas sibi successuras sperant. Etenim quemadmodum crescente umbra vel decrescente, corpus tamen ipsum, cujus illa est umbra, neque crescit, neque decrescit: [illegible] nec melior fit quisquam, dum à vulgo laudatur, nec idem pejor, [illegible] vituperatur. Parum namque præsidii, inquit Cominæus, po[illegible] est [illegible] promiscua multitudine, nisi contineatur aliqua necessitate, & imperio, tametsi tempus incidat, quum populi furor & repentinus impetus valde [illegible] pertimescendus. Rectè itaque, teste Plutarcho, dici potest: Non posse m[illegible]titudinem eodem modo & duce & assecla uti. Nam quod evenisse dra[illegible] fabula significat, nimirum caudam in dissensione quadam à capite po[illegible], uti non semper sequi cogeretur, sed [illegible] vicissim quoque ipsa præiret: for[illegible] ducendi munus, & ipsam male afflictam fuisse, utpote quæ ambula[illegible] ovide, & caput contra naturam coactum cæcis surdisque partibus [illegible] gravissime offendisse: id videmus multis eorum, qui in gratiam po[illegible] in Rep. agunt, obtigisse. Quippe cum se multitudini temerario [illegible] abripiendos dedissent, neque corrigere postea, neq; inhibere, *In vita Agidis.*

consu-

confuſionem eam valuerunt. Non fruſtra igitur Moyſes vir Dei inter alias benedictiones populo Iſraelitico cuſtodienti Leges divinas promittit, poſiturum eum Jehovam in caput, & non in caudam, foreque duntaxat ſurſum, & non deorſum, Deut. cap. 28.

CAPUT XLI.

De inanis ſuperſtitionis perſuaſoribus, Et de judicio poſtremo nonnulla memorabilia.

NOtum apud nos, quibus rationibus noſtra memoria quidam parochus, alioquin non indoctus & Arithmeticus inſignis ſuis auditoribus inter concionandum, non ut arbitror, doloſe, ſed nimium fidem eum ſuis computationibus, tum dicto Evangeliſtæ, propter numerum annorum, (ut quidam mihi retulit) VIDebVnt, In qVeM pVpVgerVnt, perſuadere conatus ſit, finem mundi adeſſe, diemque certum & horam hujus indicarit. Eo igitur res deducta eſt, ut plerique ſimpliciores ei fidem haberent. Ideoq; ut fatui facere ſolent, priuſquam omnia corruerent, genio ocioque indulgere voluerunt, reſq; ſuas compotationibus conſumſerunt. Id quod fecit olim & Niſeus tyrannus Siracuſanus. Is enim, cum illi à vaticinatore quodam prædictum eſſet, ſe brevi moriturum, omnes ſuas facultates prius luxu & comeſſationibus abſumſit. Lugduni item viro diviti noſtro tempore idē uſu venit, qui ex geneſi ſua prædictiones mortis ſuæ certas credens, omnes ſuas facultates intempeſtivè ſane diſtribuit, ita ut nihil ſibi reſervaret. Deceptus autem reliquam ſuam vitam uſque ad extremam ſenectutem, emendicando victum ſuum, ſuſtentare coactus fuit. Accidit autem cum dies & hora ab illo intempeſtivo vate deſignata, appropinquaret, iique qui fidem ejus ſermonibus habuerant, in ſacello congregati, magna devotione finem mundi præſtolarentur, & ille concionem ad rem accommodatam haberet; ut ea nondum finita, ſubito tempeſtas cum tonitru & fulgure orta ſit (qua in re non prorſus vanus ille extitit) ita ut omnes arbitrarentur, vaticinium ipſius illo momento impletum iri. Verum paulo poſt diſcuſſa tempeſtate priſtina rerum facies apparuit. Sentientes igitur miſeri & ſtolidi homines, ſe deceptos eſſe à ſuo parocho, reculasque ſuas inani perſuaſione decoxiſſe, non abſque cauſa commoti, in illum irruerunt, eumque interfeciſſent, vel malè mulctaſſent, ſi non ex eorum oculis ſe proripuiſſet, & à quibuſdam prudentioribus, furor fatuæ multitudinis mitigatus fuiſſet. Hoc imitatus eſt ante pluſculos annos Monachus Græcus, lucri cupiditate ductus, ſicut in Martini Cruſii Turcogræcia recenſetur. Quum enim is Hiero-

Hierosolymis Constantinopolin venisset, ante templa & ubi magnus hominum fieret concursus, ut pecuniam colligeret, dicebat, Non procul Hierosolyma lapidem cœlitus cecidisse, cui inscriptum, paucos post dies mundum interiturum esse, idque literis probabat, quas se ab Alexandrino Patriarcha habere ajebat, in iis promittebantur peccatorum indulgentiæ omnibus qui eas pecunia compararent. Sed paulo post, prudentia Patriarchæ Constantinopolitani, detecta impostura, & monachus, & ij qui tales ab eo indulgentias emerant, excommunicati sunt. Qui imposturam confessus, amareque flens, exire è templo, nisi à Patriarcha in gremium Ecclesiæ receptus, noluit. Id quod factum est, quum serio jocoque reprehensus Prodromus avari Papæ appellatus fuisset. Tale aliquid etiam olim sub imperio Antonini Philosophi, ut Julius Capitolinus refert, accidisse legimus. Quidam enim vanus homo, diripiendæ urbis occasionem cum quibusdam consciis requirens, populo persuadere conabatur, ignem de cœlo lapsurum, finemque mundi affore, si ipse in campo Martio ex caprifici arbore lapsus in ciconiam verteretur. Quum autem statuto tempore decidisset, atque ex sinu ciconiam emisisset, omnibus ludibrio fuit, cui M. Antonius, ad se perducto atque confesso veniam dedit. Nō absimili astu, ut homines vana superstitione deciperentur, usus fuit impostor Mahometus. Is enim, quum Arabes & alios Asiaticos suis mirificis artibus, adjutore Sergio monacho apostata, inventa nova secta plena impietatis & scurrilitatis, dementasset, & mortuus esset anno Heraclii decimoseptimo atque suis antea prædixisset, se decimo regni sui anno moriturum, sed tertio post mortem die resuscitatum iri: discipulus quidam ipsius Albimar experiri volens, num vera prædicaret, venenum ei exhibuit, quo ille hausto, ut sensit imminere mortem, dixit astantibus: Quod per aquam essent accepturi remissionem peccatorum, & continuo expiravit. Discipuli vero custodiebant corpus, expectantes rei eventum, sed tandem fœtoris impatientes reliquerunt, quod undecimo postridie, quum reviserent, invenerunt à canibus laceratum. Hæc ex Johannis Vasæi Chronico Hispaniæ, qui ea ex Luca Tudensi sumpsit, adscribere volui, non enim memini me alibi legere. Posteriores sane leges in eos, qui homines inani superstitione aliqua terrere conantur, certam pœnam constituerunt: de qua loquitur L. si quis. de pœnis, quæ sumpta est ex Jurisconf. Modestini lib. 1. de pœn. Quo respexit quoque Paulus Jurisc. in Sent. de Vaticinatoribus & vaticinationibus, & mathematicis, ubi legimus: Vaticinatores, qui se Deo plenos assimulant, idcirco à civitate expelli placuit, ne humana crudelitate publici mores ad spem alicujus rei corrumperentur, vel certe ex eo populares animi turbarentur: ideoque primo fustibus cæsi civitate pellantur, perseverantes aut in vincula publica conjiciantur, aut in insulam Lib. 5. c. 21.

 sulam

sulam deportentur, vel certe relegentur. Sed ut ad alteram partem hujus capitis veniam, hæc à me non eo referuntur, quod putem diem illum novissimum, quem Apostolus Petrus refrigerij tempus appellat, procul esse: sed potius firmiter credam, signa præcedentia à Christo, Servatore nostro prædicta, si non omnia, pleraque tamen evenisse, cum præsertim Apostoli & eorum successores sua tempora, quibus vixerunt, novissima appellari soliti sint. Ob eam rem regnante Severo Imp. nonnulli arbitrabantur, id quod de Antichristo prædictum est, impletum iri. Ita enim apud Eusebium legimus: Hoc tempore & Judas quidam scriptor in septuaginta Danielis hebdomadas editis commentariis, in decimum annum Imperij Severi Chronologiam terminat, qui etiam vulgatum Antichristi adventum jam tum temporis appropinquare putabat, adeo videlicet vehementer mota illis temporibus adversum nos persecutio, multorum animos perturbaverat. Cedrenus sane de Antichristo allegat testamentum Ezechiæ Regis, & Isaiam Prophetam, quod is triennium ac menses septem rerum sit potiturus: tum eo in Tartarum abjecto venturum universi Dominum Christum Deum nostrum, & tum fore resurrectionem ac bene maleque factorum compensationem. Sic regnante Henrico IV. Cæsare, circa annum Christi. M.LXII. constans fama fuit, ut Aventin. refert, imminere excidij fatum orbi terrarum, & ad fore tempus

Actor. 3.

Lib. 6 c. 6. Tripart.

Lib. 5. Annal. Bojor.

Quo mare quo tellus correptaque regia cœli
Ardeat & mundi moles operosa laboret.

Vel ut Lucretij verbis utar:

Vna dies dabit exitio multosque per annos
Sustentata ruet moles & machina mundi.

Ita ut nunc, tanto interjecto tempore, nihil reliquum sit, nisi ut erectis auribus, ad clangorem tubæ Archangeli attollamus capita pia mente, & præstolemur adventum filij hominis, in nube, ad redemptionem suorum, cum magna ineffabiliq; gloria & potentia venientis. Non autem Eliæ ignoro, & Catinæ Rabinorum, ex libris Talmuticis, tum etiam ex titulo, de Idololatria desumptam prophetiam passim, tanquam oraculum cœlo delapsum, allegari, qui sex millia annorum ætati mundi attribuunt: sed computationes videmus esse diversas, & quum in temporum radice peccatur, infinitos errores sequi necesse est. Habemus autem Christi veri Pastoris admonitionem fidelem, & solicitam de salute oviculorum suarum. Tempora videlicet & dies abbreviatum iri propter electos: Ut autem cognoscamus, quid ante multa secula pij senserint, & quam solliciti, licet de tempore dubij & hæsitabundi, istius diei noviss. fuerint, audiamus hac de re Lactant. Firmianum, qui ita dicit: Completis sex millibus annorum, mutationem istam fieri oportet, & jam pro-

Tit. Sanedrim. c. Halec. cap. Li que

Lib. 7. c. 25. Inst. divin.

propinquare illum ſummum concluſionis extremæ diem, de ſignis, quæ prædicta ſunt à Prophetis, licet noſcere. Prædixerunt enim ſigna, quibus conſumatio temporum & expectanda ſit nobis in ſingulos dies, & timenda. Quando tamen compleatur hæc ſumma, docent ii, qui de temporibus ſcripſerunt, colligentes ea ex literis ſanctis, & ex variis hiſtoriis, quantus ſit numerus annorum ab exordio mundi. Qui licet varient, & aliquantum numeri eorum ſumma diſſentiat: omnis tamen expectatio non amplius quam ducentorum videtur annorum. Etiam res ipſa declarat, lapſum ruinamque rerum brevi fore, niſi quod incolumi urbe Roma nihil iſtius videtur eſſe metuendum. At vero quum caput illud Orbis occiderit, & ῥύμη eſſe cœperit, quod Sibyllæ fore ajunt, quis dubitet veniſſe jam finem rebus humanis orbique terram? illa eſt enim civitas, quæ adhuc ſuſtentat omnia: precandusque nobis, & adorandus eſt Deus cœli, ſi tamen ſtatuta ejus & placita differri poſſunt, ne citius quam putemus Tyrannus ille abominandus veniat, qui tantum facinus moliatur, ac lumen illud effodiat, cujus interitu mundus ipſe lapſurus eſt. Hactenus Lactantius, inter omnes Latinos ſcriptores eloquentiſſ. qui Criſpi, Cæſaris Conſtantini Magni filii, præceptor fuit, & vixit circa annum Chriſti nati CCCXVIII. Cæterum utrum dies Domini præſenti ætati (licet Cyprianus Leovicius, & alii nonnulli, propter conjunctionem omnium planetarum in Ariete, qualis olim circa Chriſti nativitatem fuit, non abſurdas rationes in Prognoſticis ſuis Anni CIↃ. IↃ. LXXXIII. allegarint) appropinquet, necne cum propius certe adſit, quam pridem, noverit nimirum is, qui ſolus novit, qui & illum præfinivit, & ab hominibus vult ignorari. Nos autem ſtudeamus parati inveniri die ac nocte, & omni tempore, ideoque diem & horam certam indicare, quando hoc futurum ſit, ut nullus id ſanæ mentis facit, ita eam ſoli Deo, neque ulli alii creaturæ, ne Angelis quidem notam eſſe, ex ſacris literis diſcimus. Multos autem in illa opinione eſſe, Chriſtum ad judicium non interdiu, ſed profunda nocte venturum, non dubium eſt cum ipſe nos toties vigilare & orare jubeat. Ecce, inquit, venio ſicut fur. Beatus qui vigilat & cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem ejus. Id ipſum quoque ſimilitudo de prudentibus & fatuis virginibus, adveniente noctu ſponſo, ſignificare videtur. Et Marcus expreſſius hoc indicaſſe dici poteſt. Vigilate igitur, inquit apud illum Chriſtus, neſcitis enim quando Dominus domus veniet, veſperi in media nocte, an in gallicinio, an mane. Ne quum repente venerit, inveniat vos dormientes. Quæ autem dico vobis, omnibus dico, Vigilate. Hunc ſpectavit quidam ex veteribus, ubi dicit: Traditio Judæorum eſt, Chriſtum media nocte venturum in ſimilitudine Ægyptii temporis, quando Paſcha celebratum eſt, & exterminator venit, & Dominus ſuper tabernacula tranſiit, & ſanguine agni

Apocal. 16. Matth. 24. Luca 12. Matth. 25. Marc. 13.

ne agni poſtes noſtrarum frontium conſecrati ſunt. Unde reor & traditionem Apoſtolicam manſiſſe, ut in die vigiliarum Paſchæ, ante noctis dimidium populum dimittere non liceat expectantes adventum Chriſti, & poſtquam illud tempus tranſierit, ſecuritate præſumpta feſtum celebretur. Unde & Pſalmiſta dicebat: Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi, ſuper judicia juſtificationis tuæ, &c. Et idem Lactantius ita dicit: Aperietur cœlum medium intempeſta & tenebroſa nocte, ut in Orbe toto lumen deſcendentis Dei tanquam fulgur appareat, quod Sibylla his verſibus locuta eſt:

Lib. 7. c. 19. de divin. præm.

——————— ὁππότ' ἂν ἔλθῃ

πῦρ ἔσται σκότος ἐν τῷ μέσῳ νυκτὶ μελαίνῃ.

Hæc eſt nox, quæ nobis propter adventum Regis ac Dei noſtri, privilegio celebratur. Cujus noctis duplex ratio eſt, quod in ea & vitam tum recepit, quum paſſus eſt, & poſtea Orbis regnum recepturus eſt. Et idem alibi hac de re ita pergit: Prophetis & à vatibus hæc futura dicuntur: Quum ceperit mundo finis ultimus propinquare, malitia invaleſcet, omnia vitiorum & fraudum genera creſcent, juſtitia interibit, fides, pax, miſericordia, pudor, veritas non erit, vis & audacia prævalebit, nemo quicquam habebit niſi male partum, manuque defenſum, ſi qui erunt boni, prædæ ac ludibrio habebuntur, nemo pietatem parentibus exhibebit, nemo infantis aut ſenis miſerabitur, avaritia, libido univerſa corrumpent, erunt cædes & ſanguinis effuſiones, erunt bella non modo externa finitima, verum etiam inteſtina, civitates inter ſe belligerabunt, omnis ſexus & omnis ætas arma tractabunt, non imperij dignitas conſervabitur, non militiæ diſciplina, ſed more latrocinij deprædatio & vaſtatio fiet. Et paulo poſt. Denique in eum ſtatum res cadet, ut vivos lamentatio, mortuos gratulatio ſequatur. Poſtremo: Tunc cœlum intempeſta nocte patefiet, & deſcendet Chriſtus in virtute magna, & antecedet eum claritas ignea & virtus inæſtimabilis angelorum, & extinguetur omnis illa multitudo impiorum, & ea quæ ſequuntur. Cæterum hæc à me non ideo referuntur, quod ſacras literas, quæ tam ſolicite, & diligenter vigilare jubent, ad corporis vigilias, & nocturnum tempus ſolummodo, reſtringendum cenſeam, Non enim ignoro, Chriſtum ſervatorem noſtrum ad incertitudinem adventus perpetuo vigilando, id eſt, ſemper paratos nos eſſe, hortari. Quare pij viri vigilare interpretantur, eſſe expectare vigilanter adventum domini, & paratum eſſe ad excipiendum illum cum gaudio. Ideoque vigilias mentis potius quam corporis conſiderandas, hoc eſt de irremiſſa cura & jugi expectatione, ac deſiderio venturi Domini, Eaque ratione conſulto abſconditum nobis eſſe voluit Deus adventus ſui tempus, ut videlicet nullo momento ſecuri, continuas vigilias agamus. Quæ ſane

In epitome divin. inſtit. cap. 8.

fane, si unquam ullo alio tempore, hoc nostro turbulentissimo, attente agendæ sunt, cum tantæ mutationes undique instent, omniaque spectent ad interitum: sed ante ruinam magna fiet, & horribilis totius orbis cõcussio. Quemadmodum idipsum Christus, Propheta, signa portenta, & omnes rerumpub. circumstantiæ satis, superque testantur, & præ cæteris nostra intestina in rebus sacris, & politicis dissidia, ac ingens animorum cæcitas, & torpor. Quod vitium certissimum est instantis ruinæ indicium, Nullum itaque remedium restat, quam corporis & mentis continuæ & attentæ vigiliæ.

Caput XLII.

De Judæorum obstinatis & seditiosis actionibus.



SÆPISSIME conati sunt Judæi contra Dei decretum; templum & politiam suam instaurare, verum conatus eorum semper irriti fuerunt, magnaq; cum ipsorum clade & internecione ab incepto opere desistere coacti sunt. Memorabile autem est, quod illis Juliani apostatæ tempore accidit, sicut post alios Sozomenus refert. *Lib. 5. c. 21. Eccles. hist.* Nam quum is odio Christianorum (sicut omnis apostata est contemptor & osor sui ordinis) eos hortatus fuisset, ut suam politiam denuo instaurarent eisque defensionem & immunitatem promisisset, mox convenit ingens multitudo Judæorum, & magna spe, sumptibus & opibus templum Hierosolymitanum ædificare cœpit. Verum quum fundamenta jacerent, magno terræ motu, dehiscente terra, inter fulmina totum opus disjectum est, & multa millia Judæorum ruinis oppressa sunt. Porro non minus memorabile est, quod temporibus Adriani Imper. accidisse scribit Dio, cujus verba, ut res melius intelligatur, huc inserenda duxi. *In vita Adriani.* Interea Hierosolyma, inquit, pridem eversa, rursus habitari eam jussit Adrianus, atque urbem Æliam Capitolinam appellavit. Jovi item ex adverso templi ædem excitavit. Bellum hinc grave & diutinum natum est. Magno enim dolore afficiebantur Judæi, atque indignabantur, peregrinos in civitate secum habere, & illud quoque gravius ferebant, externa sacra fieri, & externorum imagines in ipsa constitui. Quievere tamen ab armis & cædibus. Adrianum veriti, qui per ea tempora vicinis in locis constiterat. Nihilo tamen secius inter sese studiose fabricare non cessabant, quibus, quoties belli necessitas posceret, uti possent. Postquam vero longius Adrianus abfuit, palam

dem in arma vertuntur: quanquam aperta acie cum Romanis congredi non auſi ſint; auxilia tamen ſumebant, muro & cavernis ſubterraneis ſpecus fodientes, atque cuniculis omnia munientes, ut quoties violarentur, liberos haberent ad fugam exitus; invicem quoque ſubter terram clanculum commeare. Specus & ſubterraneas vias ſuperne, quibusdam in locis hiantes, ad ventos & lucem excipiendam perforaverunt. Impetus eorum Romani primo contempſere. Verum poſteaquam univerſa provincia tumultuata eſt, & qui ubique gentium erant, cum eis conſpiraverunt, tunc cognovere atque intellexerunt, quam grave & periculoſum bellum exortum foret. Multa enim mala in Romanos, partim clam, partim aperte edebant. Aſciſcere multos etiam externorum, prædæ & lucri cupiditate; & fere, ut ita dixerim, univerſus terrarum orbis ex motu Judæorum concuſſus fuit. Tunc ergo Adrianus minime cunctatus, præcipuos Romanorum duces adverſus eos miſit. Quorum primus Julius Severus in Judæam ex Britannia vocatus. Hic minime auſus eſt prælium committere. Nam & multitudine longè impar erat ad decertandum, & hi de ſalute deſperaverant. Igitur diviſos adortus, captim, ut quosque poterat, comprehendens, pro multitudine militum atque tribunorum, tum ab alimentis & commeatu intercluſos, tardius quidem, ſed minore cum periculo penitus oppreſſit. Pauci admodum evaſere, atque à cæde ſuperfuerunt. Arces eorum quinquaginta celeberrimæ dirutæ ſunt. Vici ad nongentos & octuaginta quinque, qui ſane frequentes & nominatiſſ. erant, direpti, & mox igne conſumpti ſunt. Viri in excurſionibus & præliis ipſis ad quinquaginta millia cæſi fuere, Fame morbis, ac igni ingens multitudo abſumta eſt: Sic fere omnis Judæa deſolata eſt. Quam cladem etiam ante bellum multa ipſis denunciaverant. Nam Solomonis ſepulchrum, quod illi in ſupremo cultu & reverentia habent, ſponte & nullo impellente diſcuſſum corruit. Lupi atque hyenæ paſſim per urbes incedentes ululabant. Non fuit incruenta Romanis victoria, ſiquidem multi eorum occubuere. Hactenus Dio. Accidit poſt natum Chriſtum ann. cxxxviii. poſt everſam Hieroſolymam à Tito, ann. lxiii. Nonnulli inter quos eſt Baronius, initium hujus belli faciunt; annum cxxx. finem vero cxxxv. conſtat autem uſque ad ultimos anni Imperii Hadriani cum Judæis dimicatum & admodum diuturnum bellum cum pervicaciſſima & ſeditioſiſſima gente, fuiſſe. Idem tentarunt Judæi, proſperiori quidem aliquantiſper ſucceſſu, ſed furore quodam nefando acti, paulo ante ſub Trajani Imperio, ut idem Dio refert. Conſtituto enim Andrea quodam Duce Romanos & Græcos ſine diſcrimine obtruncarunt, nec cæde contenti, humanis carnibus veſci cœpere. Horum inteſtinis, ſtillante adhuc ſanguine, cincti, tum pellibus obvoluti, multos per medium usque ad verticem diſſecuere, plures beſtiis dilaniandos objecere,

cere,

[illegible] alios inter ſe digladiari coëgerunt ut ducenta & amplius hominum millia eo furore & armis Judæorum interierint. Ingens item cædes ab iisdem in Ægypto patrata fuit. Nec minore clade Cyprij affecti fuere, ſiquidem in ea inſula duce Artemione conſpirantes Judæi circiter ducenta & quadraginta capitum millia trucidarunt. Qua facti atrocitate, Judæus de cætero legibus & pœnis Cyprum attingere prohibetur, ſi vel vi tempeſtatis, vel per errorem illuc delatus fuerit, ſeu capite damnatus ſtatim morte multatur. Sed inulta cædes non manſit. Nam Trajanus, miſſo cum exercitu Luſio cum antecedentibus aliis ducibus, Judæos qui per univerſum fere terrarum orbem tantum cædis ediderant, profligavit. Eodem modo Ammianus Marcellinus mentionem facit Judæorum tumultuantium. Scribit enim, quum Marcus Imper. Palæſtinam tranſiret, Ægyptum petens, cum fœtentium Judæorum & tumultuantium tædio ſæpe percitum, dolenter exclamaſſe: O Marcomanni, ô Quadi, ô Sarmatæ, tandem alios vobis inquietiores inveni? Qualis autem fuit obſecro impoſtura cujusdam, qui anno poſt natum Chriſtum CCCCXXXIV. in Creta inſula Judæis perſuaſit, ſe eos non ſecus, ac Moyſes Iſraëlitas, per Mare rubrum ſalvos in continentem & terram promiſſionis ducturum. Innumera igitur multitudo ad præcipitium quoddam convenit, ex quibus nonnulli vana ſpe ducti, ſeſe in mare conjecerunt, qui aut hauſti undis, aut ſcopulis illiſi perierunt! pauci tamen à forte adnavigantibus nautis ſervati fuere. Ita impoſtoris hujus, qui deinceps per ludibrium Moyſes Cretenſis appellatus fuit, fraus detecta eſt. Hanc hiſtoriam recenſet Socrates. Sic legimus in Itinerario Benjamini Tudelenſis, quod Benedicti Ariæ Montani opera ex hebraica tranſlatum in latinam linguam habemus, ſuo tempore, quod incidit in annum recuperatæ ſalutis noſtræ 933. Davidem quendam Elroi, ex magicis libris inſignem impoſtorem evaſiſſe, tantamque autoritatem ſibi apud Judæos conciliaſſe, ut illis perſuaſerit, ſe à Deo miſſum eſſe, ut expugnata Hieroſolyma eos à jugo gentium liberaret, ideoque obtinuerit Meſſiæ nomen. Quum autem Rex Perſarum hoc reſciviſſet, eumque captum ad ſe adduci juſſiſſet, ſuis præſtigiatricibus artibus omnium cum admiratione liberum ex carcere evaſiſſe & circumvoluto ſuo ſudario, maximo flumine, quod Gozen appellat, fruſtra inſequentibus Perſis, trajecto, eademque dierum decem via confecta, incolumen evaſiſſe. Hac audacia impoſtoris illius Regem Perſarum commotum, ad omnes Synedriorum primores ſcripſiſſe, ut conatus Davidis impedirent, omnes Judæos in Perſia degentes, deletum iri. Hac comminatione illos perculſos, talem epiſtolam ad Davidem miſiſſe: Scias volumus, liberationis noſtræ tempus nondum veniſſe, neque ſigna noſtra fuiſſe adhuc ſpectata. Non enim vento fortis efficimur. Quamobrem prædicentes injungimus tibi, abſtinere omnino ab

Lib. 22.

Lib. 7. c. 37. hiſt. Eccleſ.

iſtius-

iſtiusmodi conſiliis, auſis & conatibus. Sin minus, ab omni Iſrael ejectus eſto. Sed illum neque his neque aliorum monitionibus obtemperare volentem, in ſuo temerario auſu perrexiſſe, donec à ſocero ſuo, largitionibus corrupto, cubans domi ſuæ in lecto fuerit confoſſus. Atque conſiliorum & calliditatis illius vanæ hic exitus fuit: Huc non incommode referri poteſt memorabile obſtinatæ crudulitatis exemplum quorundam Judæorum, quod tempore Philippi Longi, Regis Galliæ, accidit. Id à Roberto Gaguino recenſetur hoc modo: Afflicti multi leproſi, qui Judæorum hortatu ſuſceptum ab eis venenum puteis per omnem Franciã infundere conjuraſſent, ut ſi qui potum inde haurirent, aut interirent, aut elephantiæ virus inciderent. Itaque pharmacon ſanguine & lotio humano, herbisque quibusdam lethiferis confectum panno involventes, in puteos demittebant, lapide adhibito, ut ad aquæ fundum cito deferretur. Id quum in provincia Narbonenſi à leproſis factum Philippus cognovit, veneficósque omnes flammis fuiſſe punitos, inquiri per reliquum regnum leproſos jubet, quos de crimine confeſſos, una cum plerisque Judæis, vindex flamma corripuit. Fuiſſe per id tempus conſtat Judæos XI. Vitriaci, ob id ipſum, in cuſtodia habitos, mirabile in ſeſe facinus perpetraſſe. Nam quum ſe morti addictos jam minime dubitarent, duos ex eorum numero delegerunt, qui eos occiderent, ne Chriſtianorum manibus ſumerent ſupplicium. Vetuſtiſſ. illorum atque junior execrabile miniſterium exequuntur. Omnibus interemptis, quum duo tantum homicidii autores ſupereſſent, ſenior orat juniorem, ſe necet. Ille ſeniore occiſo, quum ſe ſolum videt, direpto auro quod apud interemptos erat fune ex diſſectis linteis facto per feneſtram ſe dimiſit: ſed & corporis & auri gravitate fune, quo ſe deorſum mittebat, diſſoluto, in foſſam delapſus, crus fregit, atque ita in foſſa procumbens deprehenſus eſt, & ultimo ſupplicio affectus. Judæorum autem cadavera cremata ſunt. Huius rei quoque mentionem facit Paulus Æmilius. Fatendum ſane eſt Judæos propter obſtinatæ & excæcatæ mentis impietatem, ita plane excidiſſe gratia, ut Deus non ſolum abſtulerit ab eis maieſtatem regni mundani, ſed etiam hæreditatem regni cœleſtis, ut ita non mirum ſit, eos omnibus calamitatibus obnoxios eſſe; cum tamen ea gens fuerit ex poſteritate ſanctiſſ. Patriarcharum, & præ omnibus gentibus electus populus, imo cognati & conſanguinei CHRISTI Servatoris noſtri. Verum cauſſas quinque huius repulſæ diſtincte enarrat Iſaias Propheta. Ubi Brentius in ſuis commentariis, eas quoque ad Chriſtianos applicat, & evidentiſſ. argumentis demonſtrat, hos innocentiores Judæis neutiquam eſſe, ſed perſeverantes in illis delictis, à Propheta enumeratis, eandem pœnam manere. Si enim Deus, inquit Apoſtolus, naturalibus ramis non pepercit, multo minus inſititiis hoc facturus eſt.

In fin. lib. 7. hiſt. Franc.

De reb. geſtis Franc. lib. 8.

Cap. 2.

CAPUT XLIII.

Antrum Platonicum.

Sive

Speculum vanæ & ineptæ & obſtinatæ perſuaſionis & inſcitiæ.



FINGE tibi ſpacioſam quampiam ſpeluncam, recedentem quam maxime introrſus, cujus excelſæ ad lumen pateant fauces. In ejus autem ſpeluncæ penetrabilibus fac eſſe homines, qui ab ipſa uſque infantia illic ſederint, habiti ſemper in vinculis, atque his ita adſtricti, ut neque ad fauces illis convertere ſe, neque commovere quoquam, ſed nec intueri quicquam valeant, niſi quod è regione ſit. A tergo autem ſupraque eos procul maximus quiſquam luceat ignis, interque ignem ipſum, & quos diximus vinctos, via ſit quaſi ſublimis, & alte penſilis, juxtaque viam paries. Tum per eam viam gradiantur plurimi, vaſa inſtrumentaque alia manibus geſtantes, & animantium effigies vel lapideas, vel ligneas, vel ex materia quavis alia: quæ tamē geſtamina omnia, dum transferuntur, extent ſuper eum, quem diximus parietem. Qui autem homines illa bajulent, alii quidem taceant, ut fit; alii inter ſe colloquantur: denique ſit ſcena iſta omnis, quaſi quum præſtigiatores, interjecto velo, ſupra id velum minutas quaſdam nobis oſtentant imagunculas, quaſique pupas ridicule loquaces, ac geſticulatrices, rixantes inter ſe concurſanteſque per ludicrum. Quid autem ſibi, inquies, vult imago hæc tam exquiſita, tamq; abſona? Dicam: Credamus nunc eos homines, quos dixi, immobiles, & aſtrictos vinculis, eſſe haud abſimiles nobis. Quid igitur hic videbunt? Se quidem certe ipſos non videbunt, ſed nec inter ſe vincti vinctos, nec item geſtamina illa: nam & ſicut ipſi in tenebris, & reſpectare nequeunt. Porro autem videbunt umbras eas tantum, quas ille ignis, quem diximus, in adverſam ſpeluncæ frontem jaculetur. Quod ſi colloqui etiam illos inter ſe cōtingeret; credo umbras iſtas veras plane eſſe res dicerent. Cæterum ſi vocis etiam imago illa ludibunda, quæ Græce Echo dicitur, colloquentibus iis qui prætereant, in ipſa illa antri fronte reſonet ac reſultet; an cenſes alium loqui putaturos, quam ipſam illam umbram, quæ tranſeat? Equidem nō arbitror. Imo vero opinor, nihil eſſe verum ſuſpicaturus, præ-

ter umbras. Sed agedum, ſolvamus nunc eos & eximamus vinculis, atque à tanta (ſi poſſumus) inſipientia vindicemus. Quid eveniet? Credo ubi cuiquam ipſorum manicas atque arcta vincula levari juſſeris, ubi ſurgere ocyus ac reſpicere & ingredi ac ſpectare lucem coegeris, angetur primo, & radii oculos perſtringent, nec aſpicere illa poterit, quorum imagines hactenus aſpexerat. Quod ſi quis hunc hominem ſic alloquatur: Heus tu, nugas antehac vidiſti, res ipſas nunc vides. Præterea, ſi res ei oſtendens ipſas interroget quid unaquæque illarum ſit: nonne hunc tu putas hæſitabundum diu & ancipitem, veriora fuiſſe, illa tamen pertinaciter crediturum, quæ prius cernebat, quam quæ nunc oſtenduntur? Quod ſi quis eundem cogat egredi aliquando ad puram lucem, nonne oculos ei credimus dolituros? Nonne averſaturum radios conjecturumque ſe in pedes quantum queat, ut ad ſimulacra illa ſua revertatur quam primum: quis dubitet? Age ſi quis per ardua illum & acclivia vi protrahat ad lumen, nonne indignabitur homo, & reluctabitur? Moxque ſub auras plane evectus torquebit aciem prorſus, ut ille Herculis Cerberus: nec ferre diem, nec illa intueri, quæ dicant bona, poterit, niſi paulatim quidem aſſeverit. Ergo umbras primum cernet; dein ſolis in umbra ſimulacrum; tum corpora ipſa fulgoris immunia. Poſt hæc autem etiam in cœlum tollet oculos ac noctu primum ſuſpiciet lunam ac ſtellas: mox etiam interdiu ad ipſum Solem dirigere audebit obtutum, cogitabitq; ſecum ſcilicet hunc eſſe, qui tempora diſtinguat, quique anni vices peragat. Hunc eorum quoque eſſe autorem, quæ ipſe antea in antro illo retro ſpectare erat ſolitus. Cedo quid hic volutabit animo? quid faciet? quoties carcerem cæcum, quoties vincula, quoties vere umbratilem ſapientiam recordabitur? Equidem puto gratias diis aget magnas ingentes, quod inde emerſerit tandem dolebitque vicem ſociorum, quos in tantis reliquerit malis. Quod ſi etiam in ſpelunca laudari, præmiisque affici & honoribus conſuevissent, quicunque ſimulacra illa acutius viderent, aut qui facilius meminiſſent, quæ priora ex his, quæ poſteriora, quæve ſemel excurriſſent, aut item qui quaſi addivinarent, quæ proxime ſubitura his forent: an eventurum putamus unquam, ut honores illos, ut laudes, ut præmia noſter iſte concupiſceret aut his denique invideret, qui conſecuti illa fuiſſent? Non puto, quin potius credo, ultra Sauromatas fugere ei liberet, & glacialem Oceanum quã vel regnare inter iſtos. Verum redeat jam hic idem poſtliminio ad illam ipſam ſedem inamœnam & cæcam; nonne ipſe jam cæcutiet, à Sole profectus in tenebras; nonne, ſi certamen forte ibi ponatur, quis omnium acutiſſime umbras eaſdem cernat: ſuperabitur hic noſter, & erit omnib. deridiculo: ſic ut uno ore vincti illi clament, cæcum revertiſſe in ſpeluncam ſocium, periculoſumque eſſe iter foras. Tum ſi qui ſolvere iterum aliquem

ex

ex ipsis tenent, atque ad lucem producere; resistat ille scilicet, quisquis fuerit, manibus ac pedibus, & trahentium sese etiam, si possit, in oculos involet unguibus. Hactenus de specu Platonico, cujus interpretationem videre licet apud eundem, unde hæc sumpta, & apte ab Angelo Politiano in suam Lamiam translata sunt: Quid autem obsecro obstaret, si Plato, vel alius ex ejus imitatoribus adhuc superstes esset; quin eos vagabundos & audaculos, qui nescio unde emerserunt, & tam pertinaciter sua monstrosa placita, & præcoces opiniones (habentes plus admirationis, quam utilitatis, plus famæ quam soliditatis, quarum autores opinione vulgi aliquandiu magnos humana magis fecit gratia, quam divina,) in specu ipsorum conceptas, magno cum scandalo bonorum contra suam conscientiam obstinate defendunt, aliisque omnibus invitis, ea de quibus ipsimet hæsitant, & inter se digladiantur, rejectis vel neglectis prudentiorum scriptis, & monitis salutaribus, obtrudere satagunt, eos igitur etiam in hoc antrum, si non inferius, collocaret? cum tamen haberi velint sese supra nubes collocatos, & esse omnium hominum scientissimos sibi persuasisse videantur. Memorabilis igitur est doctrina Cancellarii Parisiensis, qui ut refertur ab Udalrico Zasio, dicere solitus fuit, Temeritatis notam esse, viros sapientiæ gloria conspicuos vel statim errori subdere, vel quod temperata resolutione placari poterat, velle subvertere. Quo etiam Hierocles, ut à Stobæo citatur, respexit. Oportet, inquit, neque inculpata culpare, neque ex imbecillitate nostra, & utendi ignorantia rebus crimen impingere. Tales enim homines audacia & improbitate magis magisque lascivientе, veluti terra congesta, sese obruunt, & inimicis ridiculi fiunt, itemque ipsorum posteri.

Lib. 6. de Republ.

In l. 2. de orig. iur.

CAPUT XLIV.

De persuasione quæ oritur ex imperitia.

MULTIS Italis & Gallis, qui nunquam extra lares suos pedem extulerunt, persuasum est, Germanos unam eandemque civitatem inhabitare. Quando enim vident Germanos, quum studiorum liberalium, vel mercaturæ causa ad eos veniunt, tam concordes esse, & conjunctim vivere eademque lingua eos uti, imaginantur sibi, hanc familiaritatem, & conjunctionem studiorum & voluntatem, ex perpetua conversatione ortum suum habere. Sicut etiam mihi

non ſemel accidit, ut ſeriò ex me ſcire voluerint, quam late pateret ambitus illius urbis Germanorum aut Alemanorum, quam ipſi vulgo La Magna vocant. Etſi autem ſæpius ipſorum ſimplicitatem, & ridiculam perſuaſionem miratus fui, tamen hoc imperitiæ ipſorum aſcribendum eſt. Ita enim accidit hominibus, qui tanquam fungi uno in loco permanere ſolent, neque putant trans flumen, ripam, ut eſt in proverbio, habitabilem eſſe. Quam ob rem Antiſthenes ridere ſolitus eſt Athenienſes, inde gloriantes, quod eſſent αὐτόχθονες, hoc eſt, indigenæ, eo quod non aliunde commigraſſent, nec patriam ſedem mutaſſent unquam, dicens; Hoc laudis illis eſſe cum teſtudinibus, cochleiſque commune. Non fruſtra igitur Ægyptii in ſuis ſacris notis, ut Orus obſervavit, Hominem qui nunquam ſolo natali relicto peregrinatus fuerit, ſignificantes, Onocephalum pingunt; quia nec ullam audit hiſtoriam, nec quæ apud exteras gentes fiunt cognoſcit. Hæc inſcitia privatorum tolerabilior eſt, quam eorum qui Reſpub. adminiſtrant, ideoque in his plerunque exitum habuit infelicem, & lamentabilem. Præſertim accedentibus falſis opinionibus, quæ animos præoccupant, eæque ſecundum Galenum, non tantum ſurdos, ſed etiam cæcos efficere homines ſolent. Hoc teſtantur hiſtoriæ: inprimis quæ de Minione apud Livium extat. Is princeps amicorum fuit Regis Antiochi, qui ignarus omnium externorum, viresque æſtimans Regis ex rebus in Syria aut Aſia geſtis, non cauſſâ modo ſuperiorem eſſe Antiochum, quod nihil æqui poſtularent Romani, ſed bello quoque ſuperaturum præjudicata opinione credebat. Ideoque quum ſolus particeps eſſet ſecretorum conſiliorum Regis, hac ſua inſcitia Regem ad bellum atrociſſimũ contra Romanos gerendum induxit, in quo ipſe Rex victus, & majori parte regni ſui mulctatus, pœnas meritas ſuæ inconſultæ temeritatis dedit. Majori autem admiratione dignum eſt, quod nec Herodotus, nec Thucydides, de Romanis, qui in tantam potentiam tunc temporis ſenſim creſcere cœperunt, quantum ego ſcio, mentionem in ſuis hiſtoriis fecerint, nec omnino alius eorum æqualis ſcriptor; ſed ſero eorum nomen in Græcia auditum eſt, cum tamen utrinque Europæi ſint. Gallorum autem & Hiſpanorum res teſte Budæo, uſque adeo ignotæ Græcis fuerunt, etiam iis, qui exactiſſimi & accuratiſſimi ſcriptores fuiſſe videntur, ut unus eorum Ephorus, Hiſpaniam, quæ Iberia ab eo dicitur, unam eſſe civitatem exiſtimaverit, cum tam late ea pateat, ut peregrinatores & Coſmographi ambitum Hiſpaniæ 1136. milliaria Gallica excedere arbitrentur.

Lib. 35.

Lib. 4. de aſſe.

CAP.

CAPUT XLV.

Commendatio privatæ & mediocris generis vitæ.



Ivinus ille Plato in quodam loco dicit: Quod moderatum est & mediocre, immoderato & excedente mirum in modum ad virtutem præstat. Recte itaque quidam monet:

Si sapis, affectes mediocria: summa periclis
Obvia: contemptum sordida vita parit.

Hoc ita esse testantur historiæ. Semper enim à prudentioribus privatæ & mediocris vitæ commoditates, amplissimis honoribus & splendidis dignitatibus voluptatis honestæ securitatis ergo prolatæ sunt, eosque potius, qui illas, quam qui has consecuti essent, felices pronunciarunt. Idipsum videre licet apud Xenophontem, ubi Hieron Tyrannus enumerat, quot & quantis voluptatibus orbatus fuerit, factus princeps, quibus privatus fruebatur. Unde non mirum, quod Trajanus tanquam intolerabile onus imperium spreverit, nec nisi necessario susceperit. Si enim consideramus, quã fuerit anceps ac misera Imperatorum conditio (ea scilicet tempestate, quũ ipsorum dignitas omnis atque salus erat, non in Senatus aut populi, sed in legionum atq; militũ potestate) permirum videri potest, ullos fuisse qui munus hoc tam periculosum, & injuriis opportunum susciperent. Sæpe namq; evenit, ut quod nobis bonum magno animo pollicemur, totisque viribus illi inhiamus, exitio postmodum maximo sit. Quo respexit Chrysostomus, *Homilia lxvi.* ubi dicit: Non diadema Regum respiciendum, sed curarum tempestatem, per quam ipsis corona paritur. Etenim inde à Cajo Cæsare, qui spectante Senatu concidit, ad Carolum usque magnum, circiter triginta, inprimis autem omnes, quibus Caij prænomen fuit, fuerũt ex iis interfecti: quatuor vero sibi mortem ipsi consciverunt, quod mortis genus fœdissimum Tacitus, Canones vero, informe appellant. Imo tandem eo militaris licentia progressa est, ut inter jocos & comessationes Imperatores eligerent, ut quando illis lubitum esset haberent quos occiderent, ut Regilliano, quem Trebel. Pollio inter triginta Tyrannos ponit, nec non & Proculo, teste Flavio Vopisco, accidit. Huc respexit Petrarcha, ubi collocutorem gloriantem de copiis militaribus ita compellat: Tutius pastor tigridum forsitan, & ursorum esses. Possunt mansuefieri corda ferarum, at quorundam hominum non possunt: & minantur antequam feriant feræ, odia hominum improvisò e- *Dialog. 97.*

rumpunt. Hi quos tuos reris, qui te dominum vocant, heu quam parvo precio venale genus, & instabile, quam levibus ex caussis mutabuntur, & ex militibus hostes fient. Blandi vultus in horrorem, dataeque tibi dextræ tuam forsitan in perniciem converterentur, neque si fiat, novum erit aut insolitum. Ad Placentiam adversus Julium Cæsarem suus exercitus insurrexit. Alexander Romanus à suis militibus interfectus est. Postmodum Maximini, pater & filius: sic Balbinus & Maximus: sic Probus Dux clarissimus: sic Gratianus & Valentinianus Junior, optimi fratres: ille à suis legionibus, hic à suo comite proditus est. Sic innumerabiles alii à suis hostibus invicti, ab exercitibus propriis periere, & quos milites appellabant, invenere carnifices. Vide ergo quo gaudeas: tuus hic exercitus trux, immitis, utque ait ille, bellua multorum est capitum, nihil non ausura, illam vel inopia vel avaritia irritante. Hoc caute & prudenter animadvertit Saturninus, ut Vopiscus refert. Quum enim ipsi invito à militibus purpura Imperatoria induceretur, flendo ita eos compellavit: Nescitis amici, quid mali sit imperare. Gladii & tela nostris cervicibus impendent, imminent hastæ undique, undique spicula: ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur: non cibus pro voluptate, non iter pro autoritate, non bella pro judicio, non arma pro studio. Adde quod omnis ætas in Imperio reprehenditur. Senex est quispiam, inhabilis videtur: sin minus, inest furor. Namque quod Imperatorem me cupitis, in necessitatem mortis me trahitis, &c. Recte itaque Eurip. dicit. In Iphigen.

Felices quibus obtigit
Sors nec summa, nec infima,
Sed sane modica, & quibus
Castos annuit aurea
Nancisci thalamos Venus.

Et paulo post votum adjungit:

Contingant mediocria
Blanda munera Cypridis.
Porro ingentia deprecor.
Humanis variantia
Sunt discrimina mentibus,
Sunt discrimina moribus.

Testes præterea sunt nobis elegantiss. versiculi Apollodor. quos ita Henricus Stephanus Vir doctiss. è Græco transtulit:

Habent perampla dona fortunæ metum,
Periculoq; non carent prælustria;
Nec ulla celsa tuta sunt mortalibus.

Qua

Quæ evertere vel invidia vel tempus ſolet,
Felicitatis culmen ubi quis attigit.
At tutior mediocritas in omnibus,
Neq; mente deprimente ſeſe ad humum nimis,
Neq; contra in altum ſe efferente ſuperbius,
Namq; minus alto ſi quis e gradu cadat,
Celabitur facile ejus infortunium.
Ingentis at molis ruina ingens erit.
Nam rebus obſtat invidia præluſtribus,
Subvertit & fortuna quos evexerit.

Hunc ſpectaſſe videtur Polybius, ubi dicit: Quam parva temporis intervalla homines in excelſo faſtigio collocant, & eoſdem rurſus ad extremam miſeriam ac calamitatem redigunt? atque eos maxime, qui in aulis principum vitam agunt. Hi enim ſimiles ſunt calculis, in publicis conſiliis dari ſolitis. Nam ut illic, pro eorum qui conſulunt voluntate, qui modo ænei fuerant, mox aurei dantur: ita qui regias Principum ſequuntur, pro regis voluntate nunc beati, modo fiunt miſeri. Prudenter igitur Cominæus, tanquam vetus aulicus & oculatus teſtis, ſplendidam illam & periculoſam miſeriam aulicam deteſtatur, & mediocre vitæ genus tanquam tutius commendat. Nihil, inquit, eſt præſtabilius mediocri vitæ genere, quod qui poteſt aſſequi & tueri, is omnium eſt fœliciſſimus. Hoc autem veriſſimum eſſe experientia teſtatur. Pauci enim inveniuntur, quos aula beavit, ſed innumeros reperies quos perdidit, etiam hos ipſos, quos beavit. Neq; ulla ſub cœlo tam lubrica via eſt, ut Papyrius Maſſon. recte monet, quam aulicorum gratia. Quare licet cum Seneca dicere: *Lib. 5. hiſt.* *Lib. 3. annal. Franc.*

Stet quicunq; volet, potens,
Aulæ culmine lubrico:
Me dulcis ſaturet quies.

Hoc attingere quoque voluit Actius Sincerus hiſce verſiculis:

Fortunam qui avide vorare pergit,
Eandem male concoquat neceſſe eſt.

Ut autem ad hiſtorica veniamus, extat hac de re memorabile exemplum, quod à Solino & Valerio Max. de felicitate ita refertur: Quum Gyges regno Lydiæ armis & divitiis abundantiſſ. inflatus animo Apollinem Pythium ſciſcitatum veniſſet, an aliquis mortalium ſe eſſet fœlicior? Deus ex abdito ſacrarii ſpecu voce miſſa, Aglaum Pſophidium ei prætulit. Is erat Arcadum pauperrimus; ſed ætate jam ſenior; terminos agelli ſui nunquam exceſſerat, parvuli ruris fructibus ac voluptatibus contentus. Hinc fortaſſe Claudianus ſumpſit occaſionem ſenem ſuum celebrandi, qui juxta Veronam conſiſtens, *Cap 7.* *Lib. 7. cap. 2.*

stens, villa sua nunquam egressus fuisset. Ejus igitur versus propter eorum elegantiam huic meditationi asscribere volui.

Felix qui propriis ævum transegit in arvis,
Ipsa domus puerum quem videt, ipsa senem.
Qui baculo nitens, in qua reptavit arena,
Unius numerat secula longa casa.
Illum non vario traxit fortuna tumultu,
Nec bibit ignotas mobilis hospes aquas.
Non freta mercator timuit, non classica miles,
Non rauci lites pertulit ille fori.
Indocilis rerum, vicinæ nescius urbis,
Aspectu fruitur liberiore poli.
Frugibus alternis, non consule, computat annum,
Autumnum pomis, ver sibi flore notat.
Idem condit ager soles: idemq; reducit,
Metiturq; suo rusticus orbe diem.
Ingentem meminit parvo, qui gramine quercum,
Æquævumq; videt consenuisse nemus.
Proxima cui nigris Verona remotior Indis,
Benacumq; putat littora rubra lacum.
Sed tamen indomitæ vires firmiq; lacertis
Ætas robustum tertia cernit avum.
Erret & extremos alter scrutetur Iberos,
Plus habet hic vitæ, plus habet ille viæ.

Secutus igitur fuit Heliodorus ille Carthaginensis, cujus monumentum in Hispania apud Gades (ubi olim Herculis Ægyptii, non Græci vel Alcæi sepulchrum & templum atque columnæ, teste Beroso, & Annio commentatore ejus erant) repertum fuit, ne Psophidius ille si vixisset, vel hic senex Veronensis, illud videret, & legeret, atque insanior illo, secundum ipsius opinionem, haberi posset, ejus inscriptio est talis:

D. M. S.

SI LVBET LEGITO.

HELIODORVS INSANVS CARTHAGINENSIS AD EXTREMVM ORBIS SARCOPHAGO TESTAMENTO ME HIC IVSSI CONDIER. VT VIDEREM SI QVISPIAM. ME VNQVAM INSANIOR AD ME VISENDVM AD HÆC VSQVE LOCA PENETRAVERIT.

Quare non imprudenti consilio quidam in celebri quadam Germaniæ urbe suis ædibus Græcum hunc versum asscripsit: ὁ τῶν ἀνοήτων βίος ἄχαρις

Vita

Vita privatorum eſt optima. Quod genus vitæ probavit quoque & prætulit omnibus aliis apud Platonem in Politicis Ulyſſes ille ſapientiſſimus, quum eſſet ei in vitam redeundum. Hæc enim ſunt ejus verba ſicut ex Græco verſa ſunt. Commemoravit & Ulyſſis animæ forte fortuna poſtremæ omnium eveniſſe, ut eligeret vitam ſibi. Hanc in memoria veterum malorum morbo ambitionis liberatam, quæſiviſſe longo tempore obeuntem propoſitas vias, aliquam hominis privati & minime negocioſi, ac vix inveniſſe tandem abjectam & præteritam ab aliis; dixiſſe autem quum inſpexiſſet, eandem ſe electuram fuiſſe, ſi maxime ſors, ut primam omnium eligeret, obtigiſſet, atq; tuliſſe illam cupide & libenter. Hoc etiam Sertorium commovit, qui quum audiiſſet de inſulis Atlanticis, quas etiam Fortunatas, Græci autem μακάρων νήσους appellant; de adeundis iis diu cogitaſſe dicitur, ut dimiſſo exercitu tandem privatus ſecure ac quiete ſine ambitione ac magiſtratu vivere poſſet. Quod ſi feciſſet, ac mature, & non ſero, ſed ſerio de quieto & minus ambitioſo ſtatu cogitaſſet; non invitatus à Perpenna per proditionem in convivio tam miſerabiliter cæſus fuiſſet. Sane Diocletianus Cæſar poſt inſignem gloriam domi militiæque partam divinosque ſuſceptos honores, nihil firmum nec conſtans in rebus humanis perſpiciens, & imperium laboribus, curis & periculis plenum expertus, Reipublicæ adminiſtrationem depoſuit, & vitam privatam eligens agriculturæ ſe dedidit, & nullis perſuaſionibus ab illa abſtrahi potuit, majorem animi libertatem, & ſuaviorem voluptatem ibi ſentiens, quam in Republica tam ampla moderanda. Illuſtratur hoc præterea exemplo Suatocopii Regis Bohemiæ & Moraviæ. Is enim quum in prælio victus ab Arnolpho Imp. eſſet, clam ſeſe pugnæ ſubtraxit, atque ut erat incognitus ſalutem fuga ſolus quæſivit. Quumque ad montem veniſſet, cui Sambri nomen eſt; abjectis armis, equo demiſſo, pedibus iter fecit, & tanquam viator inops, vaſtiſſimam ingreſſus eremum, tandiu pomis atque herbarum radicibus vitam ſuſtentavit, donec tres eremi cultores obvios habuit, quibus ſeſe adjungens, uſque ad extremum vitæ perſeveraverit incognitus, patienter ac ſedato animo incommoda quæque ferens. Ubi vero obitus adfuit, accerſitis eremitis: Nondum inquit, quis fuerim, noviſti. Rex ego Moravorum prælio victus ad vos confugi, & regiam vitam & privatam expertus morior. Nulla regni fortuna eſt tranquillitati eremi præferenda: hic ſecurus ſomnus, dulces herbarum radices atque undas efficit: ibi curæ atque pericula, nullum cibum, nullum potum non amarum reddunt. Quod vitæ mihi fata dederunt, apud vos felix peregi: in regno quicquid ejus transactum eſt, mors verius quam vita fuit. Sepelite me hic poſtquam anima corpus reliquerit. Moraviamque deinde petentes filio meo, ſi adhuc vivit, hæc nunciate. Atque his dictis vita exceſſit. Non abſimile aliquid refertur de

Æneas Sylvius cap. 13. hiſt. Bohem.

Dd Carolo

Carolo V. Imperatore, cum videlicet dicere solitum fuisse, se resignatô imperio, plus voluptatis & delectationis in sua monastica solitudine uno die percepisse, quàm ex omnibus suis victoriis & triumphis, quibus præ cæteris felix habitus fuit. Caroli autem, proavi materni Johannis II. Ferdinandi filii, Regis Aragoniæ & Siciliæ oratio ante mortem memorabilis & pietatis plena fuit, quam ita refert Lucius Marineus: Mox respirans, & jam reclusis oculis omnes, qui aderant aspiciens: O vanas, inquit, hominum cogitationes! ô miseros omnes, qui ad principatus aspirant; qui divitias, opes & nimios honores affectant! ô felicem pauperum conditionem, & illorum securam vitam atque beatam, qui panem comedunt cum sudore sui vultus, qui vivunt labore manuum suarum! Nam mihi misero quid regnum; quid homines, quid obsequia plurimorum contulerunt? Quid? labores scilicet magnos & multa corporis & animæ pericula, nec unquam ætate tam longa potui mihi dies aliquot videre bonos, ô me miserum & infelicem, qui tam sero fallacem mundum cognosco! qui vitam certè vixissem multo meliorem, si non Rex, sed pauperis agri cultor fuissem. Hæc magno cum dolore animi referebat, Alphonsi fratris, ut arbitror, recordatus atque secutus exemplum, qui Neapoli olim moriens eadem protulisse verba memoratur. Hæc Marineus. Idipsum patet in epistola Theodati, vel ut quidam putant Theododathi Regis Gothorum, ad Justin. Imp. quam Procopius refert. Ea est talis, visum enim fuit eam quoque integram ascribere, cum contineat multas res memoria dignas, licet Theodatus aliud animo cogitaverit, quam scripserit. NON EQUIDEM IPSE ad regium culmen ut adventicius & peregrinus perveni, quippe qui ex avunculo Rege sim genus sortitus, & pro ejus nutritus hic dignitate: Bellorum vero ac bellicæ turbulentiæ sum equidem non omnino peritus. Cum enim in audiendis literarum optimis disciplinis exercitus sim, & in eas studium meum omne contulerim, contigit sane, ut bellicis hisce perturbationibus quam longè semotus, ad id demum venerim, ut haudquaquam decere me ducam, pro terrestris imperii & bonorum præsentium cupiditate, vitam in discrimine agam, sed ab his potius ut procul absim, nimirum cui neutrum sit voluptati, tum quia alterum satietate metimur, qam & suavitudinum omnium satietas est, tum quia insolentia ipsa desuetudoque in anxietates plerumque & turbas inducunt. Ipse igitur, si modo mihi prædia sint, quæ aureos ducentos & mille quotannis ferant, parvi equidem sum regnum facturus, tibique statim Gothorum & Italorum permissurus imperium, ut qui longè malim terræ cultor sine negocio esse quam in imperatoriis curis vitam hanc ducere vicissim in pericula transmittentibus: Remittes ergo quam celerrimè hunc ad nos virum, cui cum Italiam ipsam, tum & res cæteras tuo sim nomine traditurus, &c. Cum vero Epicteti elegan-

Dorot. Hist. lib. 18 prope finem.

L. 1. de bello Gothorum.

elegantiſſimum ejuſdem argumenti dictum celebretur, illud quoque addere placuit. Ita autem inquit ille: ὥσπερ ἐπὶ σμικροῦ σκίμποδ☉ θλιβόμενον ὑγιαίνοντ' ἄμεινον ἢ ἐπὶ πλατείας κλίνης κυλινδούμενον νοσεῖν: οὕτω καὶ ἐν μικρᾷ οὐσίᾳ βέλτιον συσταλμένον εὐδαιμονεῖν, ἢ ἐν μεγάλῃ τυγχάνοντα δυστυχεῖν: id eſt, Quemadmodum in parvo humilique grabato anguſtè cubare hominem ſanum melius eſt, quam in lecto amplo ſeſe volutantem ægrotare: ſimiliter in exigua fortuna melius eſt ſe contrahentem læto eſſe animo, quam in magna fortuna triſti. Quam vero ſcitè & breviter Clemens Alexandrinus; ὁ σπουδαῖος ὀλιγοδεής. Vir bonus & honeſtus paucis indiget. Quo dicto parentem meum optimum inprimis delectatum fuiſſe recordor. Rectiſſime itaque Similis præfectus militum Adriani Cæſaris, moriens ſepulchro inſcribi juſſit, quum vix vacationem obtinuiſſet, & in agro ſeptem annis, quod fuit reliquum vitæ, privatus in otio & quiete exegiſſet: *Dio in vita Adriani.*

SIMILIS HIC JACET, CUJUS ÆTAS QUIDEM MULTORUM ANNORUM FUIT, SEPTEM TAMEN DUNTAXAT ANNIS VIXIT.

CAPUT XLVI.

Sorte ſua contentum vivere unumquemque debere.

DIvus Chryſoſtomus acriter reprehendit: Quod quo quiſque tenetur, hoc omnium moleſtiſſimum eſſe dicat, & quod proprium unumquemque plusquam alienum afficiat. Sic, inquit, qui filios non habet, nil ita grave putat, ſicut filiis carere. Qui multos habet cum paupertate, nil tam accuſat, quam filiorum multitudinem: Unum habens, nil pejus, quam unum habere, putat. Qui pulchram habet uxorem, nil ſe pejus habere dicit, quam quod pulchram habet. Suſpicionis enim plena res eſt & inſidiarum. Qui deformem, nihil pejus eſſe aſſerit, quam deformem habere conjugem. Res enim eſt faſtidio plena. Privatus nihil hujuſmodi vita dicit eſſe inutilius, nihil abjectius. Miles nihil militia eſſe laborioſius, nihil periculoſius eſſe aſſerit. Satius enim pane ſolo cum aqua veſci, quam tot ferre moleſtias. In magiſtratu poſitus, nihil magis laborioſum, quam alienas curare neceſſitates affirmat. Subditus, nihil aitſervilius, quam alienæ poteſtati ſubjacere. Uxori junctus, uxore nihil & ſolicitudine pejus aſſeverat. Uxore carens nihil illiberalius, quam uxorem non habere, teſtatur, & domo carere & quiete. Mercator agricolam ex ſecuritate beatum *Homilia 6.*

 vocat.

vocat. Agricola mercatorem ex divitiis. Eſt moroſum omnino genus humanum, ſortem ſuam accuſans, & animum gerens gravatum, &c. Eandem querelam etiam olim habuerunt gentiles, in primis autem Q. Horatius Flaccus prudenter monet, quid iis accidere ſoleat, qui vel ambitione, vel invidia, aliave non honeſta cupiditate ducti, ſorte ſua contenti eſſe nolunt, & ad alia aſpirare ſolent, fabella ſua de equo & cervo, quam ita concludit:

In epiſt. ad Fuſcum.

Si quis pauperiem veritus potiore metallis,
Libertate caret, dominum vehet improbus, atque
Serviet æternum: quia parvo neſciet uti.

Hoc ipſum in egregia & lepida fabella de aſino ſubinde dominos ſuos mutante, depingitur. Apud olitorem enim ſerviens conquerebatur de pabuli inopia & nimio labore. Apud figulum illi moleſtum erat, quod cogeretur aſſiduè portare lutum & lateres, multo igitur magis in hoc ſuo rerum ſtatu deplorabat ſuam iniquiorem ſortem quam prius. Tandem venditus coriario, ibi demum acerbam & luctuoſam vitam agebat. Onuſtus enim fœtidis fratrum ſuorum & aſſinium pellibus, vanis votis ſero priores conditiones exoptabat. Eleganti igitur, noſtro tempore quidam doctiſſ. vir epiphonemate hanc fabellam explicavit:

Sis aſinus, quemcunque aſinum ſors aſpera fecit,
Qui placidè ſortem ferre ſcit, ille ſapit.

Quid autem prudentiſſimi viri hac fabuloſa narratione aliud indicare voluerunt, quam quod Horatius in ſuis Satyricis? Ita enim librum primum exorditur:

Qui fit Mecœnas, ut nemo quam ſibi ſortem
Seu ratio dederit, ſeu ſors objecerit, illa
Contentus vivat?

His ſane qui ſuis cupiditatibus nullum terminum ſtatuunt, ac ſemper futura præſentibus anteponunt, accidere ſolet, ſicut pueris, quos doctiſſ. vir Hadrianus Junius depingit. Ii enim quum bullas ſive pompholygas artificioſas, Iridis in modum purpuraſcentes, ſectantur, atque comprehendere ſtudent, rectiſſimè audiunt: CUNCTA COMPLECTI STULTORUM. Nec Italicum proverbium ſubſcriptum minus elegans eſt. ET TUTTO ABBRACIO ET NULLA STRINGO. Applicatur itaque rectiſſime contra eos, qui pluribus muniis honoribusque ſimul inhiant, aut quacunque tandem in re inſatiabili animo nunquam ſatisfacientes, huc illuc nutant, hi namque parum proficiunt, ſuaque ſpe illuſi ſæpenumero diſcedunt. Hoc ipſum monuiſſe videtur Plutarchus, eleganti ſimilitudine. Enimvero, inquit, quemadmodum meticuloſi, & inter navigandum nauſeantes, in præ-

In emblemate 16.

gran-

grande subinde navigium ex navicula transiliunt, atque illinc rursus in triremem, melius jam jamque sibi fore sperantes, quod sese tandem nihil promovere, & ut ita dixerim, actum agere senserint, ut qui bilem secum quoquogentium, ignaviamque circumferant: sic vitæ genus aliud atque aliud identidem capessere, à molestiis, perturbationibusque animum eximere nequit. Cujusmodi sunt imperitia rerum, inconsiderata temeritas, neque scire, neque posse recte pro re nata præsentibus uti. Et paulo post: Inertes homines degendæque vitæ ignari, instar morbosi corporis hominum; qui nec æstum ferunt, nec rigorem, ut in rebus secundis exporrecta fronte perfusi servare modum nequeunt; ita in adversis obducta atque caperata fœdissime contrahuntur. Prudentes melius, qui velut apes ex thymo, aridissima, asperrimi succi herba, mel suaviss. rem conficiunt; sic ex rebus ipsis incommodiss. sæpè quippiam conducibile sibi accommodatumque eliciunt, &c. Hanc virtutem uno verbo, eoque eleganti exprimunt Græci τῆς αὐταρκείας, cujus encomium Socraticum pulcherrimum: ἡ αὐτάρκεια καθάπερ ἡ βραχεῖα καὶ ἐπιτερπὴς ὁδὸς, χάριν μὲν ἔχει μεγάλην, πόνον δὲ μικρόν. Vita rebus suis contenta similis est viæ brevi & amœnæ, quæ multum gratiæ, parum vero laboris habet. Etenim, ut Herodotus ait, Si omnes homines propria mala in medium conferrent, permutare volentes cum vicinis; intuiti in vicinorum mala, libenter singuli illorum aufferrent retro, quæ attulissent: Hoc etiam Cleobulus probavit, ut à Plutarcho refertur. At sapientibus, inquit, quidem mensuram lex dedit. Ad pravos autem dicam fabulam meæ matris, quam ad fratrem dixit. Ait enim lunam orasse suam matrem, ut ipsi tuniculam texeret convenientem. Illam autem dixisse: Et quomodo convenientem texam? Nunc enim te video plenam luce, mox vero lunatam, interdum autem undique tumentem: ita sane mi Gersia etiam ad hominem dementem & pravum nulla est mensura rei. Alius enim est aliis usus propter cupiditates & casus, &c. Verum itaque est Horatianum hoc:

In Polymnia · *In convivio septem Sapient.*

— multa petentibus
Desunt multa: bene est quod Deus obtulit
Parca quod satis est manu.

Memorabiles etiam sunt versiculi Euripedis: *In Phœniss.*

Qui frugi sunt iis, quod sat est, sufficit,
Neque diuturna; sed diuturna opulentia est.

Hoc etiam Buchananus suis elegantissimis versiculis expressit, ubi dicit: *Psal. 37.*

Præstat suppellex sobria,
Recteq; parta recula,
Quam rapta per vim divitum
Fastidiosa copia.

Lib. 5. c. 22. divin. inst.

Huc quoque Lactantius spectasse videtur, ubi ita dicit: Justus ac sapiens, quia illa omnia humana, sua bona divina judicat; nec alienum quicquid concupiscit, ne quem contra jus humanitatis lædat omnino; nec ullam potentiam honoremve desiderat, ne cui faciat injuriam. Scit enim cunctos ab eodem Deo, & eadem conditione generatos, jure fraternitatis esse conjunctos. Sed & suo contentus & parvo; quia fragilitatis suæ memor non amplius quærit, quam unde vitam sustentet; & ex eo ipso, quod habuerit, impertit etiam non habenti, quia pius est. Pietas autem summa virtus est. Accedit quod voluptates caducas, vitiosasque contemnit, quarum causa opes appetuntur, quoniam continens est ac libidinum victor. Idem nihil timoris atque insolentiæ gerens, non extollit se altius, nec erigit superbum caput; sed placidus & concors, & comis, & planus est, quia conditionem suam novit, &c. Licet ergo cum Manilio exclamare:

Quid tam solliciti vitam consumimus annis,
Torquemurq; metu, cæcaq; cupidine rerum?
Æternisq; senes curis dum quærimus ævum,
Perdimus? & nullo votorum fine beati,
Victuros agimus semper, nec vivimus unquam?
Pauperiorq; bonis quisq; est, quia plura requirit,
Nec quod habet, numerat tantum, quod non habet, optat?

Emblem. 10

Rectissime itaque & tutissime faciunt, qui sua sorte (ut idem Adrianus Junius monet) licet exigua contenti sunt, & bonis præsentibus fruuntur, liberali interim spe ducti fore, ut aut industria aliquid adjiciat, aut Principum liberalitate accedat, aut hæreditas portum ostendat, quod omne in lucro deputant, & veluti probè sit fœneratum, prætereunt. Hoc suis cicadis rorem lambentibus, cantuque se oblectantibus, designare voluit, cum hac Italica subscriptione: DI QUESTO MI CONTENTO ET MEGLIO SPERO, additis elegantiss. hisce versiculis:

Libat rauca rosas cicada biantes.
Clausas præterit usui futuras:
Præsenti fruitur, suo beatus,
Et fatis melioribus parat se.

CAP.

Caput XLVII.

Quare Maſſilienſes olim neminem armatum in ſuam urbem ingredi permiſerint.

SÆpius nobis contigit in Italia, ut intrantes amplas & muniſſimas urbes, ingreſſu portæ arma, præſertim tormenta manuaria, uti vocant, deponere cogeremur, quæ ad portam adverſam, qua nobis egrediendum erat indicato loco, quo iter noſtrum inſtitutum erat, deferebantur & nobis reſtituebantur. Hæc res quum nobis inſolita videretur; non enim ita armati eramus, ut à nobis metuendum quicquam eſſet, neque erat noſtrum tantus numerus, ut tantæ multitudini nocere vel poſſemus, vel vellemus: ſino nobis, utpote exteris, magis ab inſidiis malorum hominum metuendum erat. Plerisque enim locis Italiæ, præſertim in Gallia Ciſalpina, quam Longobardi olim tenuerunt, & Hetruria, quæ Tuſcana hodie appellatur, agroque Romano, qui olim Latium fuit, tutius aliquis iter facit, quam in hoſpitiis, inprimis ruri, & in ſolitariis locis ſecurè commoratur. Verum habent fortaſſe Itali ſuas rationes, quare hoc faciant. Quod ſi eo animo ſicut Maſſilienſes olim fecerunt, neminem armatum urbes ſuas ingredi patiuntur, potius laudandi quam reprehendendi ſunt. Ita enim de illis Valer. Max. ſcribit intrare oppidum eorum nulli cum telo licet, præſtoque eſt, qui id cuſtodiæ gratia acceptum exituro reddat, ut hoſpitia ſua quemadmodum advenientibus humana ſunt, ita ipſis quoque tuta ſint. Potuit & alia cauſſa ſubeſſe, quæ magis veriſimilis eſt; metus videlicet inſidiarum hoſtilium, quare & Itali tam ſoliciti ſint, & olim Maſſilienſes tam circumſpecti fuerint, ſicut ex Juſtino hiſtorico, colligere poſſumus, quum Comanus Rex Segoregiorum illorum urbem per inſidias occupare conatus eſſet. Ita enim ſcribit: incitatus Rex inſidias Maſſilienſibus extruit. Ita ſolenni Floraliorum die multos fortes ac ſtrenuos viros hoſpitii jure miſit in urbem; plures ſcirpis latentes frondibuſque ſupertectos induci vehiculis jubet; & ipſe cum exercitu in proximis montibus delitescit, ut quum nocte prædictis apertæ portæ forent tempeſtivè ad inſidias adeſſent, urbemque ſomno & vino ſepultam armati invaderent. Sed has inſidias mulier quædam Regis cognata prodidit, quæ adulterari cum Græco adoleſcente ſolita, in amplexu juvenis miſerata formam ejus, inſidias aperit, periculumq; declinare jubet. Ille rem ſtatim ad magiſtratus defert, atq; ita patefactis inſidiis Ligures comprehenduntur, latentesque de ſcirpis protrahuntur.

Lib. 2. cap. 7.

Lib. 43.

Quibus

Quibus omnibus interfectis, inſidianti Regi inſidiæ tenduntur. Cæſa ſunt cum ipſo Rege hoſtium ſeptem millia. Exinde Maſſilienſes feſtis diebus portas claudere, vigilias agere, ſtationem in muris obſervare, peregrinos recognoſcere, curas habere ac veluti bellum habent, ſic urbem pacis temporibus cuſtodire: adeo illic bene inſtituta non temporum neceſſitate, ſed recte faciendi conſuetudine ſervantur.

Caput XLVIII.

De Romanorum virtutibus & vitiis, nec non & alia nonnulla memoratu digna.

De virtutibus Romanorum & bene conſtituta Republica paſſim apud hiſtoricos innumera exempla reperiuntur, eaque mirifice celebrantur. Ut autem fatendum eſt, leges Romanas cæteris omnibus præſtantiores fuiſſe; quicquid enim ad augendam & conſervandam eorum Rempublicam conducibile fuit viſum, vel ab aliis mutuati ſunt, vel ipſi, malis majoribus præbentibus occaſionem condendi bonas leges, prudenti ratione inſtituerunt, cuſtodesque earum ii qui magiſtratum gerebant, plerunque diligentes fuere, ſicut videre licet ex fragmentis duobus Polybii; ea fragmenta eleganter è Græco in latinum ſermonem converſa ſunt à Pompilio Amaſæo: Ita quoque non pauci reperti ſunt, qui crudelitatis & libidinis plus quam barbaricæ (non loquor nunc de Nerone, qui trucidatis multis inſignibus viris, ut Cornelii Taciti verbis utar, ad poſtremum virtutem ipſam excindere concupivit: non de Caligula, qui teſte Suetonio, ſibi omnia & in omnes licere putavit, quumque cædibus [illegible] non poſſet, optavit, ut populus Romanus una cervice ſuſtentaretur, quæ ſua manu detruncanda foret, prætereo una cum Heliogabalo Caracallam, ut enim hujus parricidia, inceſtus & perjuria nota ſunt: ita ille bipedum omnium ſceleſtiſſimus dici meruit: neque nunc dico de aliis monſtris Romanis potius, quam hominibus, qui prætextu abſolutæ poteſtatis, omnia flagitia impune conceſſa ſibi eſſe rebantur) non pauci, inquam, ſunt reperti in Republica Romana, qui crudelitatis ſuæ nefaria documenta ediderc, ex quibus conſtat quod ſæpius innocentes viri indicta cauſſa, contra jus, contraque leges, aut virgis cæſi, aut ſupplicio extremo affecti ſunt. Inter quos L. Quintius Flaminius vir conſularis non poſtremus fuit, de quo

Lib. 6 hiſtoriar. De diverſis Rerumpub formis, deque Romana præſtantia.

L. 16 annal.

Lib. 39 ab V.C.

quo Livii testimonium est ejusmodi, ubi recenset, quid illi à Catone objectum fuerit: inter cætera, inquit, objecit ei Philippum Pœnum carum ac nobile scortum ab Roma in Galliam provinciam, spe ingentium donorum perductum. Eum puerum, per lasciviā quum cavillaretur, exprobrare Consuli persæpe solitum, quod sub ipsum spectaculum gladiatorum abductus a b Roma esset, ut obsequium amatori jactaret. Forte epulantibus iis, quum jam vino incaluissent, nunciatum in convivio esse nobilem Boium cum liberis transfugam venisse convenire Cos. velle, ut ab eo fidem præsens acciperet: introductum in tabernaculum, per interpretem alloqui Cos. cœpisse, inter cuius sermonem, Quintus scorto, Vis tu, inquit, quoniam gladiatorium spectaculum reliquisti, jam hunc Gallum morientem aspicere? & quum is vix dum serio annuisset, ad nutum scorti, Cos. stricto gladio, qui super caput pendebat, loquenti Gallo caput primum percussisse, deinde fugienti, fidemque populi Romani, atque eorum qui aderant, imploranti, latus transfodisse. Et paulo post, ut autor de eodem fuit Valerius Antias, Placentiæ formosam mulierem, cujus amore deperiret, in convivio accersitam scribit. Ibi jactantem sese scorto inter cætera retulisse, quam acriter quæstiones exercuisset, & quàm multos capitis damnatos in vinculis haberet, quos securi percussurus esset: Tum illam, infra eum accubantem negasse, unquam vidisse quemquam securi ferientem, & pervelle id videre. Hic indulgentem amatorem, unum ex illis miseris attrahi jussum, securi percussisse. Facinus sive eo modo, quo censor objecit, sive ut Valerius tradit, commissum est sævum atque atrox: inter pocula atque epulas, ubi libare diis dapes, ubi bene precari mos esset, ad spectaculum scorti procacis in sinu Cos. recubantis, mactatam humanam victimam esse, & cruore mensam respersam. Hactenus Livius. Recte itaque dicit Lactantius: Qui hominem, quamvis obmerita damnatum, in conspectu suo jugulari pro voluptate computat, conscientiam suam polluit, tam scilicet, quam si homicidii, quod fit occulte, spectator & particeps fiat, &c. Cum igitur nihil magis impium aut crudelius sit quam innocentissimos quosque servitutis specie in spectaculis publicis à belluis lacerari, aut mutuis vulneribus ad populi voluptatem trucidari, mirum est, apud Romanos nihil fuisse usitatius, qui in summa justitiæ opinione floruerunt, ut divina quadam ultione hominum quinquaginta millia Fidenis, in munere gladiatorio, unius theatri casu obruti sint. Eo autem progressa est licentia sæviendi (luxu & delitiis paulatim corruptis moribus antiquis) in quosvis, ut tempore Augusti, necessarium fuerit statuere legem Fanniam, quum Respub. Romana ex luxuria conviviorum majora quam credi potest detrimenta pateretur. Siquidem eò res redierat, ut gula illecti plerique ingenui pueri, pudicitiam suam & libertatem venditarent,

Lib 6 c. 20. de vero cultu.

Sammonici Sereni fragmenta, ex libris rerum reconditarum.

ditarent, plerique ex plebe Romana vino in comitium venirent, & ebrii de
Lib. 3. c. 18. Reipubl. ſalute conſulerent. Quod & Macrobius ſcriptum reliquit. Extant
Lib. 10. c. 3. præterea exempla crudelitatis memorabilia apud Gellium, quæ ut ab eo ex oratione Gracchi de legibus in Noctibus Atticis referuntur, huc aſcribenda operæ precium duxi. Verba igitur Gracchi ſunt hæc: Nuper Teanum Sidicinum conſul venit. Uxor edixit, ſe in balneis virilibus lavari velle. Quæſtori Sidicino à M. Mario datum eſt negocium, uti balneis exigerentur, qui lavabantur. Uxor renunciat viro parum cito ſibi balneas traditas eſſe, & parum lautas fuiſſe. Idcirco palus deſtitutus eſt in foro, eoque adductus ſuæ civitatis nobiliſſ. homo M. Marius; veſtimenta detracta ſunt, virgis cæſus eſt. Caleni, ubi id audierunt, edixerunt ne quis in balneis laviſſe vellet, quum magiſtratus Romanus ibi eſſet. Ferentini ob eandem cauſam Prætor noſter quæſtores arripi juſſit: & alter ſe de muro dejecit; alter prehenſus & virgis cæſus eſt. Et paulo poſt pergit Gellius: Item Gracchus alio in loco ita dicit: Quanta libido, quantaq; intemperantia ſit hominum adoleſcentium, unum exemplum vobis oſtendam. His annis paucis ex Aſia miſſus eſt, qui per id tempus magiſtratum non cœperat homo adoleſcens, pro legato. Is lectica ferebatur. Ei obviam bubulcus de plebe Venuſina advenit & per jocum, quum ignoraret quis ferretur rogavit, num mortuum ferrent. Ubi id audivit: lecticam juſſit deponi, ſtuppis quibus lectica deligata erat, usque adeo verberari juſſit, dum animum efflavit. Hæc crudelitas, tanquam indigna nomine Romano, & merito quidem olim in gentilibus reprehenſa fuit. Quare non absque cauſa in Synopſi Caroli IX. Regis Galliæ nuper edita, is reprehenditur, quod in natali die ejus filiæ, quam ex Iſabella Maximiliani Cæſaris filia tulit, ita avidus fuerit ſuppliciorum ſpectandorum, ut ſub occaſum Solis accendi faces juſſerit circa furcam, ut morientium ora certius cognoſceret. Annotatum, inquit autor iſtius libelli, id fuit tanquam infauſtum ac plane indecorum. Porro de illo rege in eodem libello ſcribitur, quod laniénam & cædem Amiralii & ſociorum ejus, ex arce lætus ſpectarit, & aliquot poſt diebus, quum Amiralii cadaver ad furcam publicam ſuſpenderetur, ſervis fœtorem non ferentibus, dixerit; HOSTIS MORTUI BONUM ESSE ODOREM. Adjungitur præterea, quod quotidiana belluarũ inſectatio in venationibus eum ſanguinarium reddiderit, licet homines propria manu non occiderit, ſed aſinos obviam factos decollarit; ſoluto dominis precio, necnon ſpectantibus aulicis, porcos mactarit, exta cruentis manib. extraxerit, quaſi laniatitæ tabernæ ſervus, irruentique in mulum Lanſaci, Quod tibi diſſidium, is dixerit, cum meo mulo interceſſit, Chriſtianiſſime Regum; Symbolum præterea ipſius indicatur, tale videlicet PIETATE ET JUSTITIA, quod ipſemet Rex, quoties de reis ageretur, ita intellexit; PRIMUM ESSE CRUDELITATIS ESSE;

CRU-

CRUDELEM PIETATIS. Non absque ratione igitur ibidem velut epiphonema adjicitur: REGES AUTORES CRUDELIUM SUPPLICIORUM ESSE OPORTET, QUOTIES FLAGITIA SÆVITIAM EXPOSCUNT: SPECTATORES AUTEM MINIME DECET, NE ATROCIA MEDITARI DISCANT.

CAPUT XLIX.

De Scipionis Africani & Octavij Augusti moribus nonnulla memoratu digna.

MIRIS laudibus Pub. Scipionis, qui postea Africanus appellatus est continentia à Livio, Valer. Max. Eutropio & aliis historicis prædicatur, dum occupata Carthagine nova, in Hispania, virginem captivam, tam forma eximia, ut quacunque incederet, oculos hominum in se converteret, non solum castissime custodiri jusserit, sed etiam inviolatam suis restituerit. Non paucis sane, ut verum fatear, (licet constet Scipionem multis eximiis & heroicis virtutibus præditum fuisse, idque demonstrent ipsius res gestæ) hæc insolita continentiæ laus in juvene Romano non parum suspecta fuit, cum præsertim ea gens ad libidinem fuerit flagrantissima, vixque adduci potuerunt, ut hac in re historicis plenam fidem adhiberent. Inter cætera eos movit, quod hoc ejus factum diverse à diversis referatur, & ex Scipionis responso appareat, adfuisse nonnullas scintillas ardoris in animo fluctuanti ejus, Plutarchus enim ait, eum dixisse, libenter se suscipere puellam, si homo privatus, non Imperator esset. Polybius autem Scipionem respondisse scribit: si privatus esset, nullo alio dono delectari impensius, jam vero quia dux sit, nullo minus animi, quasi vero in privato continentia virtus non esset, & sibi licuisset cum captiva virgine, & quidem desponsata principi viro, impune libidinibus indulgere, & non potius alterius sponsam inviolatam sponso custodire, qui erga Rempub. Romanam gratus, & ei utilis in tam periculoso bello esse posset, si imperator non fuisset? Suspicantur igitur nonnulli contingere potuisse, ut quod palam erubuit, clam, aliquantisper ducis persona seposita, privatis & innatis affectibus indulserit. Cum præsertim hanc virginẽ ipsi uni ex præda tanquam peculiare & insigne donum, destinaverint milites sui. Cæterum fama fuit, ideo eum hujusmodi puella in conspectum suum deducta abstinuisse, ut quæri posset, uter fuerit continentior, Publius ne Africanus, qui virginem tempestivam, forma egregia, nobilis viri Hispani filiam, captã, perductamque ad se patri inviolatam reddidit, an Rex Alexander, qui Darij

Lib. 7. dec. 3.
Lib. 4. c. 3.
Lib. 3. ult.
In apophth.
Lib. 9.

Regis uxorem, eandemque ejus sororem, prælio magno captam, quam esse audiebat exuperanti forma, videre noluerit, perducique ad se prohibuerit. Ob hanc rem Plutarchus eum temperantiorem Agamemnone fuisse prædicat. Hic enim captivam prætulit uxori, quam primam virginem duxerat. Ille autem etiamnum conjugij expers captivis abstinuit. Ne autem contra omnium fere opinionem laudibus heroicis Scipionis detraxisse aliquid videar, testem libet adducere Valerium Antiatem, qui sæpius à Livio citatur, & eum historicum fuisse illum autumant, qui militarit sub M. Valerio Lævino Prætore, adversus Annibalem, anno Urbis LVIII. In cujus fragmentis hæc verba legimus: Puella quædam pulcherrima, quam Carthagine, ampla civitate in Hispania, expugnata, ceperat Publ. Africanus superior, non reddita patri sed retenta ab eo, atque in delitiis, amoribusque usurpata est. Lib. 6. c. 8. Ideoque Gellius scribit, famam Scipionis, quum adolescens esset, haud incertam fuisse, & propemodum constitisse, hos versus à Cn. Nævio poeta in eum scriptos fuisse:

Etiam qui res magnas sæpe gessit gloriose,
Cujus facta viva nunc vigent, qui apud gentes solus
Præstat; eum suus pater cum pallio uno ab amica abduxit.

His ergo versibus, inquit Gellius, credo adductum Valerium Antiatem adversus cæteros omnes scriptores, de Scipionis moribus sensisse, & eam puellam captivam non redditam patri, scripsisse, sed retentam à Scipione, atque in delitiis amoribusque ab eo usurpatam. Hujus quoque rei mentionem facit Balthasar Castilioneus in suo Cortegiano, vel vita Aulica. Inde constat, Lib. 2. si Valerio Antiati fides habenda est, Flavium Vopiscum non frustra in suo Aureliano scripsisse: Neminem scriptorum, quantum ad historiam pertinet, non aliquid esse mentitum: prodidisse quin etiam in quo Livius, in quo Salustius, in quo Cornelius Tacitus, in quo denique Trogus manifestis testibus convincerentur. Sed veniamus ad alteram partem hujus meditationis. De Cæsarib. Octavium Augustum alioquin Monarcham præstantiss. fere in libidinem fuisse projectissimum, adeo ut si venustam fœminam conspiceret, eam absque mora ad se adduci imperaret, non habito respectu nobilitatis, pudicitiæ aut dignitatis alicujus. Ob hanc rem a Juliano Imp. Octavius in convivium deorum introducitur modo hos, modo alios (ut Chamæleontibus mos est) colores assumens, nunc pallidus, mox rubeus, deinde niger, nebulis & caligine obductus, qui postremo tamen ad Venerem, Gratiasque sese referebat. Hæc incontinentia libidinosa Augusti non latuit Athenodorum, qui ei familiarissimus erat. Quum enim aliquando illustrem quandam fœminam, curru tecto, & suo sigillo clauso, ad se duci jussisset; hoc quod tam uxori, quam marito acerbissimum esset, eos Athenodorus cum forte

adesset

adeſſet, & querelas utriusque audiret, juſſit eſſe bono animo, ipſeque pro muliere, gladio ſecum aſſumpto, clam currum ingreſſus (nullo enim vidente fœminæ currum inſcendebant) & ita ad Auguſtum eſt adductus, quem, uti conſueverat, propria manu vela vehiculi retegentem, repente gladio Athenodorus eſt adortus, his quidem verbis: DEINDE NON TIMES, NE ALIQVIS HOC PACTO TE TRUCIDET? Auguſtus licet inopinata re perterrefactus, tamen non ſolum hanc audaciam & libertatem monendi patienter tulit, ſed magis de cætero continentior, gratias admonitori retulit. Hic eſt ille Athenodorus Tarſenſis Stoicus Philoſophus, & acri ingenio vir, cujus ſcripta ad Octaviam Auguſti ſororem citat Plutarchus, ejus quoque, ni fallor, meminit Plinius, quod domum Athenienſem infamem & peſtilentem, ideoque deſertam propter phaſma quoddam, liberam hoc malo & habitabilem fecerit. Ille denique quum in patriam redire vellet, Auguſtum inter valedicendum admonuit hiſce verbis: CÆSAR, QUUM FUERIS IRATUS, NE QVID DIXERIS, FECERISVE, PRIUSQVAM GRÆCARUM LITERARUM XXIV. NOMINA APUD TE RECENSUERIS.

In Epiſtola ad Suram lib. 7.

CAPUT L.

De inſigni fortitudine & conſtantia tam virorum, quam mulierum, exempla quædam memorabilia.

NOTUM eſt exemplum de Mutio Scævola apud Livium; cum, quum animo interficiendi Regem Porſenam Roma in caſtra Hetruſca veniſſet, & errore quodam alium occidiſſet, ſibi ipſi mulctam indixiſſe, aduſta videlicet manu dextra. Qua patientia doloris & conſtantia Regem ita conſternavit, uti non ſolum ab obſidione Urbis diſcederet, ſed pacem quoque cum Romanis ſanciret. Simile exemplum fortitudinis & invicti animi ſcriptum reliquit Agatharchides Samius, ut à Stobæo refertur. Quum enim Xerxes cum quingentis myriadibus bellum Græcis denunciaſſet, Athenienſes conſulti exploratorem miſerunt Ageſilaum Themiſtoclis fratrem, quamvis Neocles pater ejus per ſomnum vidiſſet, filium utramque manum amiſiſſe. Is quum venisset ad turbam barbarorum habitu Perſico, Mardonium unum è ſatellitibus interemit, exiſtimans Xerxem eſſe. Comprehenſus igitur à ſatellitibus ad Regem vinctus perductus eſt. Quumque is immolaturus eſſet

Lib. 4 rerũ Perſicarum.

bovem ſuper aram Solis, dexteram injecit manum, & ſine gemitu pertuliſſet anguſtiam illam tormentorum. Obſtupentibus autem cunctis, è vinculis ſolutus eſt. Verum eo dicente: τοιοῦτοι πάντες ἐσμὲν Ἀθηναῖοι. εἰ δ' ἀπιστεῖς, καὶ τὴν ἀριστερὰν ἐπιθήσω, id eſt, Tales omnes ſumus Athenienſes, ſin fidem non habes, etiam ſiniſtram immittam: metu concuſſus Xerxes cuſtodiæ mandari Ageſilaum imperavit. Hanc inſignem fortitudinem Athenienſium, aliquis minus mirabitur, ſi legat juramentum, quod ephebi præſtare ſolebant. *Serm. 41. de Repub.* Hoc refertur ab eodem Stobæo, hoc modo: NON IGNOMINIA AFFICIAM ARMA SACRA, NEQVE DESERAM MEUM ASTITEM, QVO CUM IUNCTUS FUERO, DIMICABO PRO SACRIS ET PROFANIS, SIVE SOLUS SIVE CUM MULTIS, PATRIAM NON RELINQVAM IN DETERIORI STATU, SED AMPLIORI MELIORIQVE QVAM ACCEPERIM. SEMPER MAGISTRATUI PRÆFECTO PRUDENTER OBEDIAM, ET LEGIBUS CONSTITUTIS PAREBO, ATQVE ALIIS QVIBUSCUNQVE PLEBIS CONSENSU DECRETIS. QVOD SI QVIS LEGES VEL IRRITAS FACERE, VEL EIS NON OBTEMPERARE VELIT, NON CONCEDAM, SED ULCISCAR TAM SOLUS, QVAM CUM PLURIBUS, SACRA QVOQVE PATRIA COLAM. HORUM DII MIHI TESTES ET CONSCII SUNTO. Sed ut *Lib. 9. dec. 3.* revertar, unde digreſſus ſum. At Siculus ille adoleſcens, cujus Sabellicus mentionem facit, cum armamentarium Calliopolitanum cum centum navium apparatu, quem Turci contra Venetos inſtruxerant, incendiſſet, diverſam fortunam expertus eſt. Dum enim retractus ex fuga, à Turcico Imp. rogatus eſſet, qua ſua injuria tantum facinus patrare eſſet auſus, ferociter & intrepide reſpondiſſe dicitur, Communi Chriſtiani nominis hoſti nocere voluiſſe; aggreſſum ſe facinus omnino pulchrum, ſed pulchrius adhuc aggreſſurum fuiſſe, ſi ut in nauticum apparatum flamma, ita in Regis caput ferro graſſari licuiſſet. Demiratus Mahometus, non Porſenam Regem, ſed Barbaram ferocitatem ſecutus, eum cum ſociis medium ſecari juſſit. Huc referri prætereà poteſt memorabilis audacia Triballi cujuſdam. Is enim cum ejus herus Lazarus Serviæ Deſpota à Murathe I. hujus nominis Turcico Imp. in prælio captus, coactusque eſſet in carcere mori, vel, ut Annales Turcici referunt, poſt prælium fruſtulatim conciſus fuiſſet; maluit ſeſe potius certiſſimæ morti devovere, quam principis ſui mortem inultam relinquere. Capta enim occaſione Murathem pugione jugulavit, cum regnaſſet annis viginti tribus, *In elog. illuſt. viror. lib. 2.* ut Jovius refert. Ab eo tempore, metu inſidiarum, Turcici Imperat. neminem ex legatis exteris ad ſe adire permittunt, niſi medium inter cubicularios ſuos; brachia legati implicita ſui tenentes, ſicut Augerius Busbequius refert. *In itinerario Amaſiano.* Hoc enim & ſibi accidiſſe, cum mandata Cæſaris expoſiturus ad Solimannum Turcicum Imp. admitteretur. Simile exemplum recenſet Livius, *Lib. 21. ab V. C.* Aſdrubalem enim generum Amiclaris, Barbarus quidam ob iram interfecti ab eo domi-

domini, obtruncavit, comprehensusque à circumstantibus, haud alio quam servasset vultu, tormentis quoque quum laceraretur, eo fuit habitu oris, ut superante lætitia doloris, ridentis etiam speciem præbuerit. Extat quoque Phalaridis epistola ad Peristhenem, ex qua constat fœminas fortitudine & constantia viris non multum cessisse. Hæc autem est talis; Eubuli & Aristophantæ uxores, qui mihi insidias struxerunt misisti tanquam perituras, & nunc miraris valde, quod iram remiserim. Quod si caussam audieris, eas ob ingenuitatis eximium responsum, nihil à me passas esse, magis etiam admiraberis. Interrogatæ siquidem à me, num consciæ fuerint viris insidiarum; non id solum inquiunt, sed etiam simul operam dedisse, ut tyrannum tollerent. Quam ob injuriam? me sciscitante; Ob nullam privatam, verum ob publicam, responderunt. Communem enim injuriam esse, quod servitute premantur liberæ civitates. Rursum me interrogante, quo tandem supplicio affectæ meritas pœnas mihi luant hujusce odii, Capitis addiderunt. Vivere igitur, & nō mori statui, dignas eas quæ cum tali virtute mori voluissent. Notum præterea est Lucretiæ exemplum, quæ licet animus inviolatus ex violento concubitu Sex. Tarquinii mansisset, amplius superstes esse noluit, sed in conspectu mariti & amicorum se gladio transfixit, cujus monumentum in Episcopatu Viterbiensi tale conspicitur:

COLLATINVS. TARQVINIVS DVLCISSIMÆ CONIVGI ET INCOMPARABILI LVCRETIÆ PVDICITIÆ DECORI, MVLIERVM GLORIÆ VIXIT ANN. XXII. MENS. III. DIES. VII. PROH DOLOR QVÆ FVIT CARISSIMA.

Mallonia quoque illustris fœmina Romana æternam memoriam suæ constantiæ & pudicitiæ posteritati reliquit. Ea enim, ut Suetonius refert, quum ad Tiberium libidinosissimum senem esset perducta, neque adduci potuisset, ut cupiditatib. ipsius obscœnis obsequeretur; indistinctè ejus delatorib. fuit objecta, quam quum ne ream interpellare desineret, ecquid pœniteret, ipsa pro tuenda pudicitia sua derelicto judicio domum se arripuit, ferroq; transegit, obscœnitatem oris hirsuto atque olido seni clare exprobrans. Unde audire à vulgo coactus fuit, Hircum vetulū capreis naturam ligurire. Non prætereunda etiam est nobiliss. & castiss. fœmina, cujus Eusebius & Pomponius Lætus mentionem facit. Quum enim Maxentius Tyrannus ejus amore captus esset, ad eamque magistros libidinis, ut ad se ducerent, misisset; maritus autem ipsius metu mortis eam abduci vetare non posset: illa petit se ornandi tempus, & impetravit. Ingressa vero cubiculum sibi manus intulit. Illi vero quum torquerentur mora ad eam irrumpunt, compertoque quid accidisset, rem ut evenerat, ad principē referunt. Quo exemplo non solum ipse non deterritus, sed magis ad libidinem accensus fuit. Simile aliquid, idq; insigne recenset Bern. Scard. de Blanca Rubæa invictæ fortitudinis & rariss. exēpli fœmina

Lib. 8. c. 14. Eccles. hist. In compendio Roman. hist. in antiquit.

Patavin. de claris mulieribus lib 3. class. 14. mina. Ea enim quum Bassianum municipium Patavinum ab Accolino circa annum salutis recuperatæ M. CCLIII. proditione occupatum esset, ejusque maritus, dum hostibus irruentibus fortiter resisteret, occubuisset, & ipsa viriliter pugnando capta, armisque exuta, vi ante conspectum tyranni attracta esset, neque precibus, neque pretio, à victore, ejus pulchritudine capto, expugnari potuit, ut ipsius cupiditatibus impuris assentiretur. Verum quum is animadverteret, ejus animum castum delinimentis expugnari non posse, ratus est violentia efficere posse id quod sponte captiva facere recusasset. Dum igitur vi eam attrectare conatur, illa captata occasione, de fenestra sese præcipitem dedit, malens vel sic fortiter vitam cum jam mortuo marito, quam turpiter pudicitiam cum impio tyranno perdere. Sublata autem de terra ut erat deturpata sanguine, & semimortua, lecto reponitur, & diligenter curatur. At post non multos dies, ubi tandem convaluit, rursum adducta ad tyrannum, quum constanter in superiore continentiæ proposito perduraret, nec aliter Acciolinus potiri se ea posse speraret, ligata per servos, ut resistere nullatenus posset, ab improbo, nefario & crudeli tyranno pudica fœmina stupratur. Qua contumelià & labe (licet non ignoraret corpus nisi consensu accedente, violari vel corrumpi non posse) illata, ita commota est, ut noluerit diutius supervivere. Quare aliquandiu dissimulato dolore, impetravit ab amicis ad levandum mortui mariti desiderium, & ad sedandum aliquantisper animi mœrorem, ut mortuum ac jam fœtentem maritum cerneret. Aperto itaque sepulchro ubi jacebat, eo magno cum ejulatu supra mariti cadaver sese repente projec[illegible] & repagulo, quo lapis sepulturæ sustinebatur revulso, fracta sub lapide cervice una cum marito, quasi in ultionem pudicitiæ fortiter & intrepide mortua, & ut optabat, eodem tumulo sepulta est virago. Hæc Blanca in hodiernum diem mirifice ab Italicis historiis & poëtis celebratur, quæ an sua fidelitate erga maritum, Arriæ cujus in sequenti capite mentio fit, postponenda sit, aliorum judicium esto. Diversum sane & longe aliud fuit seculum, & minus castus animus muliercularum Insubrarum tempore Galeatii Sforiæ.

In elog. lib 3. Ita enim scribit Jovius: Ea tum erat ex multo ocio luxuriantis seculi conditio in ipsis præcipue nobilioribus matronis, ut totum pudicitiæ decus ab humanitate aulæ alienum prorsus & subagreste putaretur, ideoque princeps ad licentiam libidinis proclinatus, & juventæ vigore venustateque oris supra omnes spectatu dignissimus, procacibus fœminarum oculis & desideriis cupidissime deserviret. Erat enim tum vulgatum inter fœminas, nullam ex principis concubitu fieri impudicam, earumque maritos qui ineptis [illegible] videri possent, ita excellere aureis cornibus, ut dignitate cunctos anteirent &c. Hac intentione Andronicus Imp. Constantinopolitanus, cornua cer-

vorum

vorum insignia & rari & aliquid habentia in porticibus fori suspendi jussit, non ob speciem ostentandæ magnitudinis ferarum, quas cœpisset: sed potius, ut fœminarum, quas ipse corrumpebat, & civitatis mores notaret, sicut Choniates scribit. Non absimilis fuit error, ut prisca recentioribus exemplis intermisceamus, olim Indicarum fœminarum, de quibus Arrianus ita scribit: Mulieres apud eos castæ sunt admodum, neque ulla mercede quam elephanti (regium enim est apud Indos vehi elephanto) corrumpi se patiuntur. Elephantum danti copiam sui faciunt, neque hoc turpitudini vertitur, si elephanti mercede adducta mulier consuetudinem cum quopiam habeat: quin potius honorificum sibi ducunt, formæ suæ pulchritudinem elephanto dignam haberi. *In annalib. de rebus Indicis.*

Caput LI.

De eximio studio, observantia, & fidelitate uxorum erga maritos, & maritorum erga uxores, exempla memoria digna.

Prædicatur à veteribus uxor Hieronis, vel ut alii Gelonis Regis Siciliæ (nonnulli etiam Duilli cujusdam uxori hæc ascribunt) ob raram continentiam & studium erga maritum. Quum enim Regi marito quidam anhelitum oris exprobrasset, isque cum conjuge expostularet, quod id sibi nunquam indicasset, tum illa, Putabam, inquit, viros omnes ad eundem olere modum. Rarum sane hoc est, & insigne pudicitiæ argumentum, quod nulli viro tam vicina fuerit, ut oris halitum sentire posset, præterquam uni marito. Sed longe hanc fidelitate & invicto animo superavit Arria Cecinnæ Pæti uxor, de qua extat memorabilis epistola Plinii ad Nepotem. Hæc enim, ubi damnatum virum suum præsensit, ac ei delectum necis datum, adiit ipsum quasi consolatura, quem adhortata ad fortiter moriendum, valedicens, gladio quem abditum gerebat, in conspectu mariti pectus suum confodit, eundem è vulnere extractum porrigens marito hanc memorabilem vocem emisit moriens: Vulnus quod feci, Pæte, non dolet, sed quod tu facies. Unde Valerius Martialis: *Lib. 3.*

Casta suo gladium cum traderet Arria Pæto,
Quem de visceribus traxerat ipsa suis;

Si qua fides vulnus quod feci non dolet, inquit,
Sed quod tu facies, hoc mihi Pæte dolet.

Memorabile præterea eſt, quod Valer. Max. & alii de Minyiarum uxori᷑ ut tradunt. Quum enim mariti eorum propter affectatum regnum Spartæ publica cuſtodiæ incluſi capitali ſervarentur ſupplicio, quod vetere inſtituto Lacedæmoniorum nocturno tempore paſſuri eſſent, eæ ex illuſtri ſanguine natæ, velut allocuturæ perituros viros, impetrato à cuſtodibus aditu, carcerē intrarunt, commutataque veſte, per ſimulationem doloris velatis capitibus eos abire paſſæ ſunt. Dignæ profecto, quibus Minyiæ nuberent. Ne autem palma ſoli hac in re Romanæ fœminæ, aliisve exteris relinquatur, neve exiſtimetur, his virtutibus, vel majoribus etiam præditas fœminas, noſtra ætate quoque inventas non fuiſſe, audiamus doctiſſ. Hiſpanum Ludovicum Vivem, quæ de quadam præſtantiſſ. fœmina Brugenſi in Belgio, ut ipſe ſe vidiſſe, & alios pariter quam plurimos ſcire affirmat, ſcripta reliquit. Verba autem ejus ſunt hæc: Clara Cervenda Bernardi Valdauræ conjux, cum virgo tenerrima & formoſiſſ. Brugas eſſet ad ſponſum deducta, jam plus XL. an. natum, prima nuptiarum nocte crura ejus faſciis involuta vidit, deprehenditque maritum ſibi ægrum & valetudinarium obveniſſe. Nihil tamen illum ob id adverſata, non cœpit eum odiſſe, cum præſertim nondum poſſet videri amare. Incidit non multo poſt Valdaura in graviſſ. morbum, de cujus ſalute & vita Medici omnes deſperabant. Ipſa cum matre tanta cura & aſſiduitate circa lectum ægri verſabatur, ut ſex totis hebdomadibus, ambæ nec ſe exuerint, niſi ut mutarent ſupparos: nec ulla nocte ſupra unam aut alteram horam quieverint, idque indutæ, multis noctibus traductis inſomnibus. Erat radix morbi Indici, quem Gallicum hic vocant, ſævi & contagioſi, diſſuadebant Medici, ne ſic eum contrectaret, ne tam prope accederet. Idem conſulebant neceſſarii. Tum æquales fœminæ in religionem adducebant, non eſſe tam anxia cura divexandum (ita enim loquebātur) hominem jam fatis debitum, & magna mortis parte in corpus recepta, proſpiciendum eſſe animæ, de corpore nihil cogitandum aliud, quam ubi conderetur homo. Quib. vocib. adeo iſta abſterrita non eſt, ut curarit quidem, quæ ad animum ſpectabant, ſed ipſa culinæ ſorbitionibus, quæ remedium afferrent, ipſa pannis ſubinde mutandis (nam ſoluta erat majorem in modū alvus, & aliis locis pus tetrum dimanabat) eſſet intentiſſima, ſurſum deorſum toto die curſitaret animo corpuſculum fulciens, laborib. impar, ni tanta vis affectus ſubveniret, ita diſcrimen maximum Valdaura evaſit, jurantibus Medicis è manibus Orci violentia conjugis ereptum eſſe. Alius facetius quam Chriſtianius, Decrevisse, dixit Deum, Valdauram occidere, uxorem vero obſtinaſſe è manibus ſe illum non dimiſſuram. Cœpit ei fluente quodam ardentiſſ. ex capite humore, arrodi

Lib. 1. de Christiana fam.

arfodi interior narium caruncula : medici pulviſculum dederunt, quo ſubinde reſpergeretur ulcus, tenui per fiſtulam aut calamum flatu. Quumq; nullus inveniretur, quin eum laborem recuſaret, omnibus rem averſandam exhorrentib. ſola conjux hoc præſtitit. Scatentibus per genas ac mentum papulis morbi, quũ nullus raſor commode poſſet barbã ejus radere, nec vellet, uxor forficulis octavo quoq; die dexterrime attondebat. Collapſus deinde in alium morbum longiſſimum, ſeptem fere annorum : ipſa infatigabili diligentia, & cibum ei paravit, quum pediſſequas haberet duas, & filiam grandeſcentem : ipſa eadem tum fœda illevit ulcera; tum & crura putidiſſima, undique ſanie diffluentia contrectavit quotidie, turundes & malagmata impoſuit, ac faſciis devinxit, ut muſcum eam diceres contrectare, non rem fœtoris intolerabilis. Quin & anhelitum, quem nemo non etiam ad decem paſſus averſabatur, ipſa ſuaviſſimum jurat fuiſſe. Et quidem ſerio mihi ſuccenſuit, quum ſemel fœtere dixiſſem. Ajebat enim, ſibi videri ceu fragrantiam maturorum & dulcium malorum. Atq; hoc toto morbi tempore, quum eſſent quotidie magni faciendi ſumptus, ad hominem tot morbis contuſum alendum, & curandum in ea domo, ad quam multis jam annis nulla ex re quæſtus aliquis redierat, nec annuos haberet proventus, ipſa ſe annulis, ipſa torquibus aureis, ipſa monilibus ipſa veſtibus, ipſa abacum ſuum vaſis argenteis libentiſſime ſpoliabat, ne quid marito deeſſet contenta quavis menſa, modo marito ſuppeteret, quod tam afflicto malis corpori conduceret. Sic ille vitam traxit uxoris cura, cadaveroſo corpore, ſeu ſepulchro verius, decem annis à primo illo morbo. Quo tempore ipſa duas ex eo proles ſuſcepit, quum antea ſex genuiſſet, viginti annis nupta, nunquam contagioſiſſimo mariti morbo, nec ulla omnino ſcabie infecta, non modo ipſa, ſed nec ullus liberorum, corporibus omnium ſaniſſimis atq; mundiſſimis. Ex quo liquidum fit, quanta ſit virtus, quanta ſanctitas earum, quæ vero ac toto pectore maritos (ut congruum eſt) amant, quemadmodum illis Deus, præſentem quoque gratiam teterat. Obiit tandem ſenex ægrotus, ſeu non obiit, ſed abiit verius, & exivit jugum cruciatuum, tanto tamen dolore Claræ, ut qui illam norunt, fateantur, nunquam adoleſcentem maritum integro corpore, formoſum, divitem tantum reliquiſſe cariſſimæ uxori deſiderium, mœrorem, luctum. Multi gratulatione verius putabant eſſe opus, quam conſolatione, quos illa pronc odum execrabatur, optans ut maritus, qualisqualis erat, ſi fieri poſſet, ſibi edderetur, etiam cum liberorum omnium, quos quinq; habet, jactura. Cumq; ſit integra ætate, nunquam ſtatuit nubere, quod ſe alterum Bernardum Valdauram inventuram neget. Prætereo pudicitiam, cujus eſt exemplar, prætereo ſanctitatem morum. De pietate conjugis eſt ſermo, quæ nunquam venit ſola, ſemper reliquis omnibus comitata virtutib. Quis hanc non

proſpicit non corpori Bernardi Valduræ nupſiſſe ſed animo? aut non putaſſe corpus illius ſuum eſſe. Quid quod viri ſui præcepta & mandata omnia ita obſervat, tanta reverentia, ut ſi adhuc viveret? & ex ejus præſcripto multa agit, ſic illum facere ſtatuiſſe aut mandaſſe dictitans. Hactenus Vives, qui prudenter alibi monet, diligenter cogitandam eſſe, ut aliquis uxorem ducturus ſibi eligat, bene inſtitutam, licet tenui re. Si enim, inquit, habet, unde ſe ac uxorem toleret, quid vel gratius Deo, vel ad homines pulchrius, vel domi jucundius, quam accipere tenuem, modo recte inſtitutam. Hoc etiam apud veteres Germanos uſitatum fuit, qui uxores tanquam laborum periculorumque ſocias duxerunt: Fœmina autem viciſſim, ut Cornelii Taciti verbis utar, unum accipit maritum, quomodo unum corpus unamque vitam, ne ulla cogitatio ultra, ne longior cupiditas, ne tanquam maritum, ſed tanquam matrimonium ament. Hoc etiam Theogenà uxor Agathoclis conſideravit. Quum enim ægre marito divelleretur, NUBENDO SE NON PROSPERÆ, inquit, TANTUM, SED OMNIS FORTUNÆ INISSE SOCIETATEM. Illuſtratur hoc egregio exemplo, quod circa annum 1466. accidit, inter Bonam Longobardam & Petrum Brunonem Parmenſem Præfectum militum, ſicut peculiare cap. in 2. tomum Sylvæ variarum lectionum, inſeruit Petrus Meſſias, ubi mirifice hujus fœminæ fortitudo, fidelitas, conſtantia & aliæ ſingulares virtutes celebrantur. Recte itaq; & pie dicitur, Tria ſpecioſa videri in conſpectu Dei & hominum; Concordiam inter fratres: amicitiam inter vicinos: virum & mulierem in ſocietate & fide mutua perſeverantes. De hac re extat memorabilis & inſignis hiſtoria, quæ paſſim ex Nauclero allegatur. Quum enim Conradus III. Imp. Guelfum Bavariæ Ducem poſtquam ſæpius ancipiti Marte pugnatum eſſet, in arcem & oppidum Sueviæ, nunc Wirtenbergicæ ditionis, Weinsburgum, cui amœna vineta nomen dederant, compuliſſet, nec ullis conditionibus à propoſita ſuſceptaq; oppidi everſione abduceretur, ad extremum victus nobilium fœminarum precibus permiſit, ut inviolatæ abirēt, ea lege, ut nihil ex oppido, niſi quod humeris poſſēt, exportarent. Tum illæ confidentia majore dicam an pietate? Ducem ipſum maritos, liberos, parentes, ab humeris ſuſpenſos geſtare cœperunt. Ex quo [illegible] tantam voluptatem cepit, ut effuſis præ gaudio lacrymis, non modo ferocitatem & iracundiam ex animo penitus depoſuerit, verum etiam oppido pepercerit & amicitiam cum hoſte omnium acerrimo, contraxerit. Ex hujus hiſtoriæ narratione Laurentium Medicem ſine aliis medicamentis (veluti Alphonſus ac Ferdinandus Hiſpaniæ & Siciliæ Reges, quorum alter à T. Livio, alter à Q. Curtio valetudinem amiſſam, quam à medicis non poterant recuperarunt) à morbo convaluiſſe, refert Jo. Bodinus. Non eſt etiam [illegible] prætereundum, quod Romæ olim accidiſſe ex monumento quodam apparet, cujus inſcriptio eſt talis.

D. M.

De moribus Germanorū.

Iuſtin. li. 23.

In proœmio de ſuavitate, oblectatione & utilitate hiſtoriarū.

D. M.

P. CORNELIA ANNIA NE IN DESOLATA ORBITATE SVPERVIVER. MISERA VIVAM ME VLTRO IN HANC ARCAM CVM VIRO DEF. INCOMPAR. AMORE DIL. DAMNAT. DEDO. CVM QVO VIXI ANNOS XX. SINE VLLA COBIA. LIBERTABVSQVE NOVT. QVOTAN. SVPER ARCAM NO. PLOTONI ET EXORI PROSERPINÆ M. OMNIBVSQVE SACRIFICENTROSISQVE EXORNENT. DE RELIQ. IBI EPVLENTVR DO. D. P. M. DA. EX. HSX. ATQVE F. FACIVNDVM DELEGA. VALE VITA.

Huc non incommode referri potest historia de fœmina Smyrnea, sicut à Sabellico refertur. Quum n. in bello contra Turcos Smyrna olim Joniæ nobilissima urbs à Venetis capta esset; ferunt, inquit, fœminam florenti ætate, quum ad naves captiva abduceretur, mariti sepulchro, in quod forte inciderat nomen sæpius vocasse. En, inquit, conjunx dulcissime, extremus patriæ casus efficit, ut me, quam nullus amor, nulla vis unquam, quo minus tua fuerim, semperque futura essem vertere potuit, crudelissimi hostis manus in perpetuam captivitatem abducit. Separor infelix à tuo conspectu, nec dulcem patriam, nec monumentum hoc dulcissimum amplius visura. Has ego supremas lacrymas tuis misceo cineribus, his inferiis tuos manes supremo ciebo. Sed quid immoriar potius, quam suaviss. hoc complexu divellar. Atque ita sepulchro hærens, quum neq; minis, neq; ali vi facile divelli posset; à temerario milite gladio trajecta, hac sola re fœlix, quo voluit loco, relicta est. Eodem modo Hota uxor Rahi cujusdam Mauri ducis in regno Fessæ fortissimi, non immerito ab Hieronymo Osorio prædicatur. Ea n. capta, quum à marito insigni audacia & fortitudine, cæsis Lusitanis, cum eorum duce, in libertatem vindicata esset, paulo post interfecto viro in prælio, ejus funus cum multis lacrymis & ejulatu procuravit, & corpus illius in sepulchrum magnis sumptibus extructum intulit, deinde novem se diebus à cibo & potu continuit, & sic tandem spiritum edidit, suisq; mandatum dedit, ut se cum viro sepelirent. Indignum namq; statuit, à viro, quem unice amarat, & à quo ardenter amata fuerat aut morte, aut sepultura divelli. Hæc Sabellicus & Osorius de his Mahumetanis fœminis, quarum constans fides erga maritos suos, eo magis laudanda est, quod necessitudo conjugalis apud Musulmanos vel Mahumetanos levis ducatur, quia singuli, pro opibus quisq; quam plurimas uxores & concubinas denas alii plures habent. Sicut olim quoque teste Salustio, apud Numidas, Maurosq; usitatum fuit. Quare non est audiendus Simonides ille, vel quispiam alius, cum sua definitione sane stolida. Interrogatus n. quid esset uxor, Viri, respondit, naufragiū, domus tempestas, quietis impedimentum, vitæ captivitas, pœna quotidiana, pugna sumptuosa, bestia

Li. 9. decad. 3 de reb. Venet.

In Africa historia lib. 10.

In bello Iugurthino.

contubernalis, canis ornata, malum neceſſarium, vel ut alius Philoſophus
interrogatus de muliere reſpondit, Eam eſſe hominis confuſionem, inſa-
tiabilem beſtiam, continuam ſolicitudinem, indeſinentem pugnam, quo-
tidianum damnum, ſolitudinis impedimentum, viri naufragiũ, adulterii vas,
perniciosum prælium, animal peſſimũ, pondus graviſſimum, aſpidem inſana-
In Matth. bilem, humanũ mancipiũ. Huc etiã reſpexit Chryſoſt. Quid eſt, inquit, aliud
cap.19. mulier? niſi amicitiæ inimica, ineffugabilis pœna, neceſſarium malum, natu-
ralis tentatio, deſiderabilis calamitas, domeſticũm prælium, delectabile de-
trimentum? Idem quoque in alio loco utitur acerrima exclamatione contra
In ſerm. mulieres. Cæterum quemadmodum hæ deſcriptiones & exclamationes locũ
de decollat. habere poſſunt adverſus malas & impudicas mulieres, quæ in ſacris literis
Ioh. Baptiſt. quoq; exoſæ ſunt. Melius enim eſt, inquit Solomon, habitare in terra deſer-
Proverb.21. ta, quam cum muliere rixoſa & iracunda. Item, Inveni amariorem morte
mulierẽ, quæ laqueus venatorum eſt, & ſagena cor ejus, vincula ſunt manus
Proverb.18. illius, Qui placet Deo, effugiet illam, qui autẽ peccator eſt, capitur ab illa: Ita
Proverb.19. pia, bona, & induſtria mulier tanquam [illegible] id eſt, penu virtutis, cõ-
mendatur, & longe aliter literis ſacris deſcribitur. Dicit enim idem Solomon:
inveniens uxorem, inveniet bonũ, & hauriet voluptatẽ à Domino. Item Do-
mus & divitiæ ſunt legitima hæreditas parentum, a Domino autem prudens
Cap.26. uxor. Et Siracid. Mulier proba bona eſt portio, & datur tanquam portio eo-
rum, qui timẽt Dominũ. Et paulo poſt, Gratioſa mulier delectat virum ſuũ,
& oſſa ipſius pinguia reddit ſcientia ejus. Donum Domini eſt mulier ta-
turna & benevola, neq; eſt pretium ullum dignum anima erudita. Gratia eſt
cumulata, mulier pudica & fidelis, & non eſt ullũ pondus æquale animæ con-
Cap.36. tinenti ipſius. Et: Qui parat uxorem, is conſtituit principium fortunarum,
auxiliatricẽ ſecundum ſe & columnam requietis. Sed ulterius procedendum,
& ad alteram partẽ hujus capitis veniendum eſt, ne aliquis putet, tantũ ſexum
fœmineum his egregiis dotibus, quas recenſuimus, præditũ eſſe. Nam [illegible]
ta inſignia exempla extant, quæ nos non minus eximium amorem & fidel[illegible]
tem maritorum erga conjuges docent, de quib. unum atq; alterum ex vet[illegible]
bus, ſed memorabiliora, recenſebimus. De T. Sempronio Graccho Val.
Lib.4.Cap. Max. Plinius Secundus, & plures alii memoriæ tradiderunt. Quum [illegible]
6. de vir.il- domo duo angues è genitali thoro repſiſſẽt, reſponſo dato, eum de dominum
luſtrib.c.57. periturum cujus ſexus anguis fuiſſet occiſus, amore Corneliæ conjugis ma-
rem juſſit interfici, ſuſtinuitq; in conſpectu ſuo ſeipſum in interitu ſerpentis,
ut ille perſuaſus ſuperſtitione putabat occidi. Similia exempla referũtur ibi-
dem à Valer. Max. quæ tanquam trita de induſtria tranſeo. Cæterum inprimis
notabile eſt: quod de Meleagro Oenei filio legitur. Sedebat is in cubiculo
iratus ſibi & ſuis: Curetes, quibus bellum erat cum Calydonibus, urbem ag-
greſſi:

gressi, ingenti eam oppugnatione vexabant, nec spes erat jam amplius, vel in viris, vel in mulieribus reliqua. Accurrunt ad columen, ac extremam patriæ ancoram Meleagrum, senes & primores civium, illius vires ac manus implorantes, ut arma induat & patriæ opituletur nutanti: adsunt cum religione & deorum cultu ac ceremoniis sacerdotes, pollicentur ampliss. operæ mercedem. Illis contemptis ac spretis, accedit venerabilis canicie, venerabilior pietate Oeneus, nec cunctatur, ut duriorem flecteret, genua ejus supplex amplecti: accedit mater (ob cujus increpationes Meleager contra Curetes pugnare recusabat) ab ira in preces ac obsecrationes versa: sorores & sodales jucundissimi, quibus cum gratiss. ætatis partem transegerat, orant, & obtestantur, ne se in ultimo deserat discrimine. Nihil eum movet, perstat in proposito ferox animus, omnibus salutem, quam ita hortatu, monitis, blanditiis, pollicitationibus, precibus supplicibus petierant, denegans. Interea hostes irruptione in urbem facta, occidere, agere, prosternere, incendere. Trepida se infert Cleopatra conjux: Succurre quæso mi vir, occidimus, inquit, nisi succurris, hostis possidet omnia, atque una recenset omnia mala, quæcunq; hominibus contingunt, quorum urbs capitur, quæ à Poeta lib. 9. Iliadis ita enumerantur:

Quot mala concurrunt, quoties sunt oppida capta?
Intereunt cives, urbem depascitur ignis,
Abducunt alii natos matresq; decoras.

Hujus unius vocibus & periculo, ferreus ille ac inexorabilis permotus, mollefactusque, sumit arma, & pulsis hostibus, postremo excidio urbem ac cives eripuit. Videlicet (addit Vives) heros ille magnanimus, quam naturæ jussionem ac legem nunquam vel legerat vel audierat, impressam habebat in pectore, ac infixam præcordiis; qua sciebat, uxorem esse seipsum, alios omnes, etsi magnam ex pietate necessitatem imponentes, extra ipsum tamen esse, conjugem vero ea esse caritate conciliatum conjugi, & eo nexu conjunctum atque aptum, ut multa in conjugis gratiam non refugiat ac recuset, quæ vel sibimet recusaret. Recte igitur nutrix illa Euripidis dicit: *De officio Mariti.* *In Medea.*

ἥπερ μεγίστη γίγνεται σωτηρία
ὅταν γυνὴ πρὸς ἄνδρα μὴ διχοστατῇ,
Quam maxima existit salus,
Quum uxor cum viro non dissidet.

Multo autem rectius & elegantius Homerus: *Lib. 6. Odyss.*

— οὐ μὲν γὰρ τοῦ γε κρεῖσσον καὶ ἄρειον,
ἢ ὅθ' ὁμοφρονέοντε νοήμασιν οἶκον ἔχητον
ἀνὴρ ἠδὲ γυνὴ, πόλλ' ἄλγεα δυσμενέεσσι
χάρματα δ' εὐμενέτῃσι.

Nihil

Nihil enim hoc potius & melius,
Quam cum concordes animis domum habitant
Vir & uxor, multi dolores inimicis;
Gaudia autem amicis.

Ad Geminium. Lib. 7. epist.

Hos & aliorum autorum versus & dicta refert Tiraquellus in V. lege connubiali, & addit: Felicem ergo Macrinum illum fuisse arbitror, si quis felix unquam fuit, quem cum uxore XXXIX. annis vixisse sine jurgio, sine offensa, scribit Plinius. Felicem item illum Paternum, qui in agro Nemausensi id epitaphium posuit:

D. M.

S. STILVIVS PATERNVS VXORI RARISS. EXEMPLI; CVM QVA VIXIT ANNIS XXXII. SINE VLLA ANIMI LÆSVRA E. S.

V. P.

Similis inscriptio reperitur Romæ, sicut in Appiani antiquitatibus legimus, talis videlicet.

Q. CAVIVS SEVERVS RVTILIÆ PRIMITIVÆ CONIVGI SVÆ DVLCISSIMÆ CVM QVA VIXIT ANNIS XX. SINE BILE.

Visum etiam fuit adjungere aliud plane diversum epitaphium, quod Romæ legitur, ex quo apparet, quam pauci gloriari potuerint, se sine bile & lite in conjugio vixisse. Est autem hæc inscriptio satis lepida.

HEUS VIATOR MIRACULUM

HIC VIR ET VXOR NON LITIGANT. QVI SVMVS NON DICO. AT IPSA DICAM. HIC BEBRIVS EBRIVS ME EBRIAM NVNCVPAT. NON DICO AMPLIVS. HEV VXOR. ETIAM MORTVA LITIGAS.

Huc referri potest pactum Pitheci, quod, ut in Suidæ historicis refertur, in proverbium abiit, & tale fuit: Continenter cum uxore jurgans coram amicis pepigit, se neque verberare, neque vapulare, neque mordere, neque morderi, neque mulierem capillis trahere, neque ab ea testiculis trahi velle. Sane veteres Gentiles tam stolidi non fuere, ut dulcedinem & suavitatem amoris & conjunctionis conjugalis ignorarint, imo illam omnibus modis expetierint: Siquidem ob hanc rem, Junoni, quam matrimonii deam putabant, quum sacrificarent; hostiæ fel adimebant, & juxta aram infodiebant, significantes conjugium amoris ac suavitatis plenum esse, & bile, stomacho, ira, iracundia, atque omni amaritudine vacare debere.

Est enim fel iracundiæ sedes, ut naturalium rerum periti docent.

CAP

Caput LII.

Quomodo unaquæque diligens materfamilias valetudinem suorum curare debeat: Et de disciplina & educatione veterum Romanorum.

PLenus est orbis jam medicastrorum & medicastrarum, quæ non solum de medicamentis in graviss. & acutis morbis rectè præparandis multa narrare, quam probe haud scio, possunt, sed etiam remedia ista ab ipsisinet confecta, nulla habita ratione caussæ morbi, aut ætatis, vel temporis, magno periculo ægrotantium adhibere audent. Unde accidit, ut docti & periti medici, aut rectè uti sua arte impediantur, aut absterriti hisce ineptiis, quæ plerunq; in illos redundant, omnino desistant. Ut autem bonæ matrisfamilias officium est, & præparare & parata habere remedia domestica, quæ potius conservant, quam corrumpunt valetudinem: ita ut imperiti artem ipsam exerceant, in benè constitutis regnis & rebusp. ferendum non est. Alioquin eveniet id, quod de quodam ægrotum [illegible] fertur. Illi enim Medicus dederat pharmacum eoque sumpto convaluit [illegible]. Quum autem paulo post idem morbus recurreret, & ægrotus ad idem pharmacum, quo prius convaluerat, confugeret, nec sentiret [illegible]tionem aliquam; accersit Medicum, admirans, qui factum esset, ut [illegible] medicina, quæ prius morbum depulisset, nunc magis aggravaret. Fa[illegible] spo[illegible]dit: Medicus, idem fuisse pharmacum, sed ideo non profuit, quia eg[illegible] dedi. Sentiens videlicet medicorum esse, dare pharmaca, quia norum, [illegible]do & quomodo dandum. Quæ prosunt juveni, nocent seni, & [illegible] juvant cœlo tepido, lædunt frigido. Rectè itaque dicit Plutar[illegible] corpus ad res gerendas quemadmodum medicamenta, maximum [illegible] momentum affert. Quo etiam Johann. Chrysostomus [illegible], ubi ait: Si quis medicus est, potionemque dat, accipienda est, nec curiose inquirendum qualis ea sit, sed habenda, ut sanitati conducens: [illegible]neficus est, magus, incantator; non modo non inquirendum qualis sit, sed etiam vox fugienda, ut lethifera. Rectè igitur & prudenter Levinus Lemnius, errones, circumforaneos atque impostores publicos exterminandos censet, qui non verentur in hominum vitas ac corpora grassari, atq; ut habet proverbium, in vasis jactura artem figulinam experiri, hoc est,

In vita Luculli.

De fato Sermone 7.

De occult. nat. mirac. lib. 1. c. 17.

interprete Plinio, hominum periculis diſcere, & per experimenta fallacia ac conjecturas mortem hominibus inferre, &c. Ut autem ad propoſitum revertamur, audiamus doctiſſ. Vivem, is prudenter docet, quouſque in illis meditationibus progrediendum ſit. Tenebit materfamilias, inquit, remedia vulgaribus & penè quotidianis morbis, ea in cellula habebit parata, quibus marito, parvis liberis & familiæ, quum res feret, ſubveniat, ne accerſere ſubinde medicum neceſſe habeat, & omnia ex pharmacopolio emere. Neque vero mulierem velim arti ſe Medicæ dedere, aut ſibi nimis hac in re fidere. Frequentibus & penè quotidianis morbis ſuadeo medelas ut norit, veluti tuſſi, deſtillationibus, ſcabiei, torminibus, ſolutæ alvo, vel conſtrictæ, lumbricis, dolori capitis aut oculorum, febriculæ, luxationi, levi ſciſſuræ, & ſimilibus, quæ ſingulis prope diebus leviſſ. de cauſſis contingunt. Adde his victus quotidiani rationem maximum ad integram valetudinem momentum, quæ ſumenda, quæ vitanda, quando, quatenus. Atque eam quidem peritiam diſcet potius ex uſu aliarum prudentium matronarum, aut ex conſiliis cujuſquam propinqui Medici, ex libello aliquo facili ea de re conſcripto, quam ex magnis & accuratis Medicorum voluminibus. Hactenus Vives. Non ſolum autem adhibenda diligens opera eſt, ut corpus & valetudo liberorum rectè curetur & conſervetur: ſed multo magis, ut animus ab ineunte ætate honeſtis artibus & diſciplinis imbuatur. Etenim qui non rectè inſtituunt atque erudiunt liberos, teſte Cicerone, non ſolum liberis, verum etiam Reipubl. faciunt injuriam. Suſcipiuntur enim liberi non ſolum nobis, ſed etiam patriæ, qui non modo nobis voluptati, ſed etiam aliquando uſui Reipubl. eſſe poſſint. Quo reſpexit ſapientiſſ. Rex Solomon, ubi dicit: Qui parce utitur virga, odit filium. Qui vero diligit filium, tempeſtivè eum caſtigat. Ideoque non fruſtra Fabius Quintil. (in ſuo dialogo qui Cornelio Tacito falſo eſt inſcriptus) de urbe ex his propriis ac vernaculis vitiis, quæ natos ſtatim excipiunt & per ſingulos ætatis gradus cumulantur, conqueritur, ac veterum Romanorum ſeveritatem ac diſciplinam circa educandos formandoſque liberos celebrat. Jam primum, inquit ſuus cuique filius ex caſta parente natus, non in cella emptæ nutricis, ſed gremio ac ſinu matris educabatur, cujus præcipua laus erat tueri domum, & inſervire liberis. Eligebatur autem aliqua natu major propinqua, cujus probatis ſpectatiſque moribus, omnis cujuſpiam familiæ ſoboles committeretur; coram qua neque dicere fas erat, quod turpe dictu, neque facere, quod inhoneſtum factu videretur. Ac non ſtudia modo curaſque, ſed remiſſiones etiam luſuſque puerorum ſanctitate quadam ac verecundia temperabat. Sic Corneliam Gracchorum, ſic Aureliam Cæſaris, ſic Attiam Auguſti matrem præfuiſſe educationibus, ac produxiſſe principes liberos accepimus. Quæ diſciplina & ſeveritas eo pertinebat,

Lib. 1. de Christian. fem.

Actio 5 in Verrem.

Prover. 13.

De oratoribus.

tinebat, ut ſincera & integra, & nullis pravitatibus detorta uniuscujusque natura toto ſtatim pectore arriperet artes honeſtas, & ſive ad rem militarem, ſive ad juris ſcientiam, ſive ad eloquentiæ ſtudium inclinaſſet, id ſolum ageret, id univerſum hauriret. At nunc natus infans delegatur Graculæ alicui ancillæ, cui adjungitur unus & alter ex omnibus ſervis plerunque viliſſimus, nec cuiquam ſerio miniſterio accommodatus. Horum fabulis & erroribus teneri ſtatim & rudes animi imbuuntur. Nec quiſquam in tota domo penſi habet, quid coram infante domino aut dicat, aut faciat, quando etiam ipſi parentes nec probitati, neque modeſtiæ parvulos aſſuefaciunt, ſed laſciviæ & libertati, per quæ paulatim impudentia irrepit, & ſui alienique contemptus. Jam vero propria & peculiaria hujus urbis vitia penè in utero matris concipi mihi videntur. Et quæ ſequuntur.

Caput LIII.

De Zelotypia.[1]

Zelotypiam ex Stoicorum ſententia Cicero finit, ægritudinem ex hoc, quod alter quoque potiatur eo, quod quis concupivit. Definitur etiam ab aliis, eſſe metum, ne quis habeat commune, quod tuum unius eſſe velis. Verumenimvero quocunque modo ſeſe res habeat, experientia certè demonſtrat, Zelotypiam eſſe perturbationem truculentiſſimam, ita ut præſtaret potius mori, quam ſub hujus tyrannide vivere. Unde veteres prudentes ſuadent, maturè expellendum nimium amorem, tanquam feram, priuſquam ungues & dentes producat. Sed quinam amoris ungues ac dentes ſunt? Suſpicio & Zelotypia. Ob eam rem & Deus populo ſuo Iſraelitico proſpexit, cui peculiares leges Zelotypiæ præſcripſit, ubi ſi quis uxorem de adulterio habebat ſuſpectam, ad oſtium tabernaculi adducebat eam: tunc ſacerdos ſolennibus [illegible] & ſira execratione mulieris pudicitiam explorabat. Volebat enim Deus, ut conjuges inter ſe læto animo, ſereno & minimè ſuſpicioſo viverent. Abrogatis autem his legibus, utpote ceremonialibus, curioſitas humana multa alia remedia contra Zelotypiam & quæſivit, & invenit. Inter quæ olim trita fuit purgatio ardentis ferri, quod ſuſpecta nudis manibus geſtare, & pedibus calcare cogebatur. Huc acceſſit etiam duellum; item aqua, oleumve fervens, in quod ſuſpecti manus immittebant, & innocentes illæſas eas retrahebant, addita prius neſcio qua conſecratione. De quibus ſuo loco proximus dicetur. Ut autem, Homero teſte, homo eſt animal inprimis Num. 5.

zelotypum: ita tam de viris, quam de fœminis multa tragica exempla Zelotypiæ paſſim leguntur. Cæterum ut Cyanippum Theſſalum, qui uxorem Leuconoam zelotypam, in venatione latentem, irruentibus in eam, tanquam feram, canibus, amiſit; nec non Procrin, ſuſpicantem Cephalum maritum cum Aura nympha congredi ſolitum, & ob eam rem clam eum in ſylvam ſecutam, ab eoque inſcio interfectam, aliaſque Zelotypas prætereamus, (ſiquidem fœminas huic vitio admodum deditas eſſe, præſertim prægnantes, ægritudine quadam, ut Galenus ait, ex hiſtoriis patet) audiamus quod accidit noſtrorum patrum memoria Romæ. Nam & viri ſæpenumero hoc vitio, præſertim Itali & Hiſpani, ſicut Bodinus affirmat, ad inſaniam uſque laborarunt. Juſtina enim nobiliſſ. Romana virgo, ætatis ſuæ puellas forma ſupergreſſa, quum locupleti quidem, ſed ſtolido & furenti viro, in matrimonium eſſet tradita; de excellenti illa ſpecie in ſuſpicionem marito venit, qui candidiſſimam uxoris cervicem conſpicatus, inclinantis ſe ad exuendum calceum, furore ex Zelotypia correptus, teneram puellam & novam conjugem obtruncavit. De quo facinore tales lugubres querelæ leguntur:

In methodo hiſtorica.

Immitis ferro ſecuit mea colla maritus,
Dum propero nivei ſolvere vincla pedis.
Durus & ante thorum, quo nuper nupta coivi,
Quo cecidit noſtra virginitatis honos.
Nec culpam meruiſſe nec. m. bona numina teſtor:
Sed jaceo fati ſorte perempta mei.
Diſcite ab exemplo Juſtinæ, diſcite patres,
Ne nubat fatuo filia veſtra viro.

Simile exemplum tyrannidis Zelotypiæ colligere poſſumus ex monumento C. Vibii adoleſcentis, qui quum Putillia puella adamata potiri non poſſet, alterque ſibi prælatus eſſet: Zelotypia correptus ejuſque vim ſuſtinere non valens, ſibiipſi manus violentas intulit, ut ex inſcriptione hac apparet:

INFER. D. DEABUSQUE.

C. VIBIVS ADOLESCENS INTEMPERATO AMORE PERCITVS PVTILLIAE SEX. PVELLAE GRATISS. QVOD ALTERI VIRO TRADIT NON SVSTINENS CRVENDO GLADIO SIBIMET MORTEM CONSCIVIT. VIX. ANN. XIX. M. II D. IX HORAS SCIT NEMO.

Trebiæ quoque monumentum memorabile eſt tale.

D. DITI ET PROSERP. S.

V. F.

TREBIAE Q. L. S. TREBII FILIAE AMORIS MONVMENT. ET PIETATIS AVL. VIBVSTIVS VIR CVM Q. SVSIMO CVM DESIDERIO DELIC. ONE M. L. D. III. HAEC M. VX. QVAM AMANTISS. MIHI INFELICIS. LACRI.

CRIMAS ET ÆTERNOS LUCTUS RELIQ. EXTREMO ZELO ME CUM SUSPICARET. ALIA CUM FOEM. IACUISS. IN FUROREM DULCISS. CONVERSO AMORE SEMET FERR. PECTUS PER MED. TRANS. NECAVIT. HEU VX. CUR HOC? MI CARE CON. NEC. FACT. TANT. SED ES SUSPECTUM AMANTI DEMERE DEBUERAS. VALE LIP. AT EGO INCERTA INFEL. ET TREPIDA VITA SOLUTA QUIESCO.

Hanc inſcriptionem cum pictura monumenti ponit Poliphilus, ubi conſpiciuntur duæ portæ, una aperta, quam ingrediuntur infantes nudi, quaſi plorantes, cum hac inſcriptione. NATURÆ NOVERCÆ INEVITABILE STATUTUM. In altera ſemiaperta egredientes infantes depicti ſunt, quaſi gaudio geſtientes, cum hac inſcriptione, NATURÆ MATRIS BENIGNUM EDICTUM. Extat autem Venetiis editus peculiaris liber Italicus, cujus eſt titulus: Antidoto della Geloſia, per Levantio da Quid diccioło Mantovano, in quo, ſi quis alia exempla deſiderat, plura, eaque memorabilia reperiet. Et Tiraquellus quoque ſuæ XVI. legi connubiali, quam ita inchoat, CONIUGES ZELOTYPIAM TANQUAM PESTEM OMNIUM TETERRIMAM PERNICIOSIS. EXITIOSISSIMAM FUGIUNTO, præmiſit epiſtolam conſolatoriam ad Nicoſtratam Zelotypam, quam propter prolixitatem, licet memorabilis & lectu digniſſima ſit, tamen cum ejus libri paſſim in manibus verſentur, omittere volui, & quilibet ſtudioſus lector, ea quæ deſiderat, ex indicatis libris petere poterit. Quibus peritus Italicæ linguæ recte adjiciet libellum epiſtolarum Celiæ nobilis fœminæ Romanæ ad amatorem ſuum, in quo præter elegantiam linguæ, varias, imo innumeras ſpecies Zelotypiæ invenit. Poſtremo ab hac meditatione alienum non fuerit recenſere quædam de Fauſtinæ amoribus, qui ſine dubio Imp. M. Antoninum Philoſophum Zelotypum effecerunt. Ita enim Julius Capitolinus, ſive fabula ſit, ſive res geſta, ſcribit; Fauſtinam quondam Pii filiam, Marci uxorem, cum gladiatores tranſire vidiſſet, unius ex his amore ſuccenſam, cum longa ægritudine laboraret, viro de amore confeſſam. Quod cum ad Chaldæos Marcus retuliſſet, illorum fuiſſe conſilium, ut occiſo gladiatore ſanguine illius ſeſe Fauſtina ſublavaret; atque ita cum viro concumberet. Id quum eſſet factum; ſolutum quidem amorem, natum vero Commodum gladiatorem eſſe, non principem, qui mille prope pugnas publice populo inſpectante gladiatorias Imperator exhibuit. Hoc ſane veriſimile ex eo habetur, quod tam ſancti principis filius his moribus fuit, quibus nullus laniſta, nullus ſcenicus, nullus harenarius, nullus poſtremo ex omnium dedecorum ac ſcelerum colluvione concretus. Multi autem arbitrantur, Commodum omnino ex adulterio natum, ſiquidem Fauſtinam ſatis conſtat apud Cajetam conditiones ſibi & nauticas & gladiatorias elegiſſe, de qua cum diceretur Antonino Marco, ut eam repudia-

In hypnerotomachia.

ret, si non occideret, dixisse fertur: Si uxorem dimittimus, reddamus & dotem. Dos autem quid complectebatur, nisi imperium, quod ille ab socero, volente Adriano adoptatus acceperat? Hæc Capitolinus. Sanè monumentum hac de re tale extat in Poliphili hypnerotomachia, nescio an ab ipso confictum, vel unde depromptum:

D. M.

GLADIATORI MEO AMORE CVIVS EXTREME PERVSTA IMMORT. LAN-
GVOREM DECVB. AT EIVS CRVORE HEV ME MISERAM IMPIATI
CONVALVI D. FAVST. AVG. PIE MONVM. RELINQVENS VT Q. ANN.
SANCT. TVRTVR. INTER SACRIFICAND. ARC RELIG. HANC IN [illegible]
EX L ACCEN. FACVL. ET COLLACHRYMVLANTES IV. LLÆ SOL-
VERENTVR LVCTVMQ. FVNERAL. OPTANTI INDICIVM DOLORIS
DEVELLAT CRINIB. PROMISSIS RVSSAR PECTORA FACIEMQ DIEM
INTEGR. PROPITIATI MAN. CIRCA SEP. SATAGERENT ANNVA PER-
PETVO REPETVNT.

CAPUT LIV.

Quanta sit imaginationis vis & efficacia.

Lib. 2. de Christiana fœmina.



Ectissimè monet doctiss. Hispanus Ludov. Vives, quam periculosæ & validæ sint imaginationes in humano corpore, ideoque matres, inquit, dum uterum gestant, dent operam, ne quam admittant vehementem cogitationem deformis rei, turpis, obscœna; pericula item devitent, in quibus fœda aliqua visu species possit occurrere. Quod si eas occasiones adeant, præcogitent, quicquid posset oculis offerri, ne ex inopinata novitate noceat, si subito aspexerint, unde contrahat noxam fœtus. Hanc Vivis admonitionem salubrem esse, patet ex Empedoclis & Physicorum opinione, qui jam statuunt, imaginem, quæ animo mulieris in ipso concipiendi actu occurrit, tantum habere virium in eum fœtum, qui effigiatur, ut ipsius character quasi impressus perpetuo hæreat. Unde fabulam ortam putant de hominis rustica uxore. Eum, quum illa esset deformi facie, metuentem ne sibi consimiles liberi gignerentur, hoc remedium commentum esse, domi imagines egregiè formosas ut collocaret, in easque aspicere uxorem quam minime conniventibus oculis assiduè jussisse. Ita de se quam pulcherrimam sobolem propagasse. Testatur hoc quoque Quintilianus, qui matronam defendit, quæ Æthiopem enixa fuerat, quum ejus coloris iconiculam habuisset in thalamo. Eadem ratione Hippocrates mulierem suspicione adulterii

borti-

borantem, quod marito penitus diſſimilem filium procreaſſet, liberavit, quod [illegible] cubiculo picturam ea mulier habebat, cui ſimilem infantem peper[illegible]. Tam efficax eſt etenim imaginandi vis, ut ſi quando mulier oculos ac cogitationes in rem quampiam defigat, tota naturæ facultas, eaque vis quæ formationi fœtus inſiſtit, concurſantibus undique humoribus quos habet obſequentes eo confluat, atque operi perficiendo ſedulo ſit intenta; quo e[illegible] ut nonnunquam diverſas inſolitaſque formas, membra duplicata, particu[illegible]que appendices ſupervacaneas emoliatur, inſuetaque membra corpo[illegible], ut eruditè Levinus Lemnius diſſerit. Hæc imaginationis vis etiam [illegible] ruta ſeſe extendit, ut apparet in equabus. Eæ enim, ſi tegantur diverſi coloris tegumentis in coitu, in tales colores progenies plerunque degenerabit. Et hoc contingere in aliis pecudibus inſigni exemplo teſtantur ſacræ literæ, ubi recenſetur factum Jacobi, quum paſtor eſſet in Meſopotamia Labani avunculi ſui. Alciatus etiam tum hæc, tum exemplum, quod Plumbini Duci accidit, adulteris videlicet ſimiles eſſe adulterinos partus, recenſet. Is enim quum de ſe prægnantem concubinam crederet, invitaſſetque ad Baptiſmi ſacra quam plurimos primarios viros; ea æthiopem peperit coquo ſuo ſimillimum. Quapropter ridiculo habitus Dux quæſtione veritatem deprehendiſſe dicitur. Idque confirmat ſententia Phocilidis:

[illegible]
Diſſimiles gignunt ſtuprata cubilia natos.

Lib. 4. c. 7. de occult. natur. mirac.

Geneſis c. 30.

In l. quæret. de Verb. ſign.

Cum itaque Philoſophorum libri, ut diximus & experientia nos doceat, quæ mulieribus dum in ſemine concipiendo occupantur, ob oculos verſantur, in iis [illegible]gnam eſſe vim ad formam fœtui imprimendam; non inconſentaneum eſt, [illegible] quidam affirmant, mulierem quandam Carolo IV. Imperante, quia in [illegible]cipiendo imaginem D. Johannis Baptiſtæ fixo obtutu aſpexiſſet, qui p[illegible] indutus pingitur; filiam hirſutam inſtar urſi peperiſſe. Similem ma[illegible]m carnis inſtar urſi cum unguibus & rictu quodam, exanimem tamen, [illegible] idem enixam eſſe fœminam honeſtam in quadam celebri Germa[illegible] retulit mihi matrona fide & honeſtate digniſſima, quam omnino p[illegible] ſimularet, in partu præſentem fuiſſe. Tale monſtrum crinibus & [illegible] ſimile, Nicolao III. Pontifici Romano, concubinam ſuam pepe[illegible] Johannes Balæus, in ipſius actis, & citat Johannem Noviomagum in illuſtr[illegible]ibus Bedæ. Hanc concubinam Martinum IV. primo ſu[illegible]tificatus anno ad ſe recepiſſe, & ne ſimilis illi caſus accideret, cum prole [illegible] omnes in palatio per urſinæ factionis pontifices olim depictos, præc[illegible] auferri, & deleri, (non ignorabat enim quod formæ in ipſa Venere, à fœ[illegible] conceptæ in productis infantibus expreſſæ non raro maneant) tradit idem autor ex hiſtoricis, è quibus allegat Thomæ corporis Chronicorum

epito-

epitomen. De aliqua quoque quæ mortuum infantem peperit ad ſimilitudinem puelli, quem ſingulari artificio ex marmore in cubiculo habuerat; ſcribit Johan. Baptiſta Porta. Extat præterea integra & lepida hiſtoria Heliodori, de Theagenis Theſſali reguli & Charicliæ Regis Æthiopiæ filiæ amoribus, quam mater regina Perſina ex intuitu ſtatuæ Andromedæ elegantiſſimæ, prope thorum genialem collocatæ, lacteo colore pulcherrimam, præter morem nigerrimæ gentis, conceperat & pepererat, & ob diverſitatem coloris infantem, metu infamiæ elato partu transportari clam juſſerat. Quæ ſuperatis multis & graviſſimis difficultatibus, tandem compertis certis indiciis & notis, pro filia & hærede agnita, & Theageni, ſocio fideli calamitatum & exilii, quem ſincero amore in maritum elegerat, conjugali vinculo copulata fuit. Cæterum memorabile inprimis eſt, quod Ludovicus Vives ſcribit Margaritam Maximiliani Imperatoris filiam, aliquando narraſſe Lamuzzo homini docto, & Ferdinandi Ungariæ Regis oratori: Quemadmodum in Brabantiæ oppido, quod Boſcum ducis appellant, quum in ſupplicatione publica quibuſdam ex Divorum numero conſtituta, nonnulli in ea pompa (ut ex veterum ceremoniarum traditione fieri ſolet) angelorum, alii cacodæmonum ornatu incederent, unus ex iſtis perſonatis, poſtquam diu laſciviſſet, & tripudiaſſet, domum ſtatim, pruritu percitus, excurrens uxorem corripuerit, atq; in lectum conjectam velle ſe cacodæmone impraegnare dixerit, quod etiam perfecit. Filium ſiquidem procreavit, infelici genio ſimilem, qui ſimul ac natus eſſet exilire ac curſitare cœpit. Huc referri poteſt memorabilis hiſtoria, quæ non ita pridem apud Geldros accidit, eamque infra ex Wiero de præſtigiis dæmonum referemus. Et Levinus Lemnius, mira de monſtro (quod, ni fallor, mulier quædam, quæ illius, utpote Medici conſilio uſa eſt, in ipſius præſentia enixa fuit) poſt primum lucis intuitum conclave ſtridoribus implente, atque ultro citroque diſcurrente, latebraſque quærente, tandemque à mulierculis pulvinis ſuffocato, recenſet.

De Magia Natur. li. 11. cap. 23.

De rebus Æthiopicis.

In 12. lib. August. de Civit. Dei.

Cap. 16.

Lib. 1. c. 8. de occult. nat. mirac.

CAPUT LV.

Præcocia conſilia pernicioſa eſſe.

In hiſtor. Bohemica prope finem.



OHANNES Dubravius, Ludovici hujus nominis II. Hungariæ Bohemiæque Regis res geſtas, & quomodo in flore ætatis ſuæ (agebat enim 21. ætatis annum) dignus certè longiori vita, infelix juvenis (qui neſcio imprudentiore an inauſpicatiore conſilio, cum exigua militum tumultuariorum, & magna

magna ex parte ruſticorum inermium manu, contra exercitatiſſimas copias Solimani, ſtare non dubitarit) prope Mohacium in rivulo, Anno 1526. 29. Sextilis miſere extinctus ſit, deſcribens: Tria peculiaria in illo fuiſſe adnotata, cuncta nimis præcocia, ait; Quod cito adoleverit: ante tempus barbam emiſerit: & vix annum decimum octavum ingreſſus, canos oſtenderit. Quibus inſuper præcox ejus nativitas addi poteſt, nulla enim cute vel pelle tectus in lucem natus eſt, quam tamen poſtea, medicis arte naturam juvantibus, eſt conſequutus, ſicut hæc, & alia inprimis de ſpectro quodam, quæ infelicis ominis loco habita fuere, Joan. Leunclavius noſter vir multarum rerum experientia & eximia eruditione præditus notavit. In omni quoque ſtirpium, inquit Lemnius, genere ac fructibus obſervamus, ſerotina diutius aſſervari, quæ vero feſtinantius matureſcunt, flaccida vietaque fieri, ac putredini obnoxia. Celerius ſiquidem occidit feſtinata maturitas. Quo circa minus nobis probari ſolet in adoleſcentibus præcox ac præmaturum ingenium, tum pleraque naturæ munia aut corporis dotes, quæ præter vulgatam conſuetudinem, aut quam ea fert ætas, præſtantius ſe proferunt. Tales enim minus vitales conſpici ſolent, morteque properata confici, &c. Recte itaque Quintil. dicit: Ingeniorum velut præcox genus, non temere unquam pervenit ad frugem. Sic quoque non ſolum videmus floſculos vernos, qui cito proveniunt, mox interire, ſed multo magis actiones & conſilia præcocia non abſque diſpendio parum diuturna cernimus. Quo reſpexit pulcherrima admonitio Menandri:

In pandect. hiſt. Turc. n. 121.

Lib 2. c. 39. de occult. natur. miraculis.

Lib. 1. orat. inſtit.

Βουλὴν ἁπαντὸς πράγματος προλάμβανε.
Βουλῆς γὰρ οὐδέν, ἐστιν ἀσφαλέστερον.
Conſilium in omni præeat negocio.
Conſilio aliud haud eſſe tutius poteſt.

Rectiſſime igitur reprehenditur eorum inſcitia, audacia vel inſolentia, qui res arduas præcoci & temerario auſu ſuſcipere, & perficere ſatagunt, neque prius prudenti deliberatione habita perpendunt, qualis eventus expectandus ſit. Quamobrem prudens eſt Annibalis apud Livium oratio, ubi ita dicit: Quod ſi in ſecundis rebus bonam quoque mentem darent dij, non ea ſolum quæ eveniſſent, ſed etiam ea quæ evenire poſſent, reputaremus, &c. Quid enim obſecro aliud iſti faciunt, quam ut mala attrahunt, ſicut Cæcias nubes, ut eſt in adagio, vel potius, ut hydram illam Lernæam ſecent? Hoc enim proverbium uſurpatur in eos, qui unum aliquod malum intempeſtive tollentes, pluribus malis ſeſe, ex eodem fluentibus, involvunt. Nam plerumque fit, quum uni incommodo, in quod ſua imprudentia inciderunt, mederi volunt, ut in alia multo atrociora incurrant. Id ipſum Senecæ ignotum non fuit. Negotia, inquit, quædam abrumpi quidem poſſe, explicari

non poſſe, quod negocium ex negocio feratur, & occupationi occupatio velut unda ſuccedat undæ. Siquidem facilius nihil eſt, quam commentitio prætextu turbas excitare, & ſtabilita convellere, vel ut Pindarus ait, [illegible]; verum turbata & labefactata in tranquillum ſtatum reſtituere, hoc opus hic labor eſt, ut ille dicit. Unde accidit, ut mox pœnas dignas temeritatis, cum proprio aliorumque magno incommodo, ſæpe etiam exitio, dare ſoleant. Hoc eo gravius eſſe ſolet, ſi in principe viro tale aliquid contingat. Quemadmodum enim cum nauta errat, modicum affert navigantibus nocumentum; quum vero ipſe gubernator, totius efficit navigij perniciem, [illegible] in civitatibus ſi quis ex ſubditis peccet, non tam Remp. quam ſeipſu[m] [illegible]dit; ſin vero ipſe Princeps, univerſæ refert Reipub. detrimentum. Hoc [illegible]nuit Ageſilaus apud Xenophontem, qui privatorum hominum errata [illegible] deſte fert, principû vero maxima exiſtimat. Judicat enim ab illis pauca ab his mala multa conſtitui. Prudenter autem quærit Comminæus: Quando Principes eorumque familiares, aut civitates aliquid delinquunt, quis de ea re[...]ſtionem habebit? & habita quæſtione quis ad judicem deferet? quis judicis perſonam ſibi ſumet? quis pœnam conſtituet? Certe reſpondet, quærimoniæ lacrymæ miſerorum hominum, quos crudeliter vexarunt; item viduarum pupillorum gemitus atque ſuſpiria, quos parentibus atque maritis inhumane ſpoliarunt; breviter eorum quos afflixerunt, & fortunis omnibus denudarunt, lamentationes atque plangor, erunt accuſationis loco, quam illi coram ſupremo DEI tribunali ſiſtent, qui magnitudine ſcelerum [...]ſus, non ſemper concedit diuturniorem impunitatem, ſed illos ali[quando] verberat præſentibus pœnis ita quidem evidenter ac clare, ut dub[itari non] poſſit, ipſum eſſe juſtiſſimum impietatis noſtræ ultorem. Et paulo ante dicit: Quod ſi certo ſtatueremus eſſe Deum, qui ſcelus nullum ſinit impunitum, eſſe perpetuas ſempiternas pœnas, quibus affliguntur impij, cre[dibi]le eſt neminem fore, qui violenter, aut avare, vel crudeliter aliquid [...] &c. Etſi autem turbulentiſſimis Reipub. temporibus pleraque à Regibus fieri præter ordinem faſque certum eſt, quæ inviti faciunt, ſimiles rectoribus navium, quos tempeſtas ſæpe à vicino portu in remotiſſ. ſcopul[o]s [no]lentes rapit: tamen in oculis principum auri & cæterarum rerum [...]penuria eſt, at mali conſilij copia ab ijs aut nunquam, aut raro abeſſe [...]vit. Fieri enim non poteſt, quin interdum etiam optimi principes, ut nunc eſt rerum ſtatus, inique aliquid agant: nihilominus autem prava & temere ſuſcepta conſilia, duri & infauſti rerum exitus plerunque è veſtigio conſequuntur. Ideoque temeritas definiri ſolet, eſſe defectum conſilij & præcipitationem quandam quæ imprudentiæ cognata eſt, per quam ea fieri dicuntur quæ ratione non geruntur, vel propter impetum voluntatis, vel paſſioni[s]

Lib. 10.

Papir. Maſſon. li 2. annal. Franc. Idem. lib. 3.

vel ex contemptu. Ob hanc rem contineri sub præcipitatione, quæ respicit utrumque, sed magis primum. Recte itaque Horatius: Lib. 3. Ode 4.

Vis consily expers mole ruit sua;
Vim temperatam dij quoque provehunt
In manus: ijdem odere vires
Omne nefas animo moventes.

Ob hanc causam D. Ambrosius, cum olim apud Thessalonicam seditio esset exorta, & Theodosius Imp. ira incensus, ex improviso plebem ad ludos congregatam à militibus obtruncari jussisset, persuasit Imperatori, ut in omni pœna capitali sumenda, spacium triginta dierum interponeretur, à lata sententia ab Imperatore, ne impetu & furore illa faceret, quorum etsi postea cum pœniteret, ea tamen non possent amplius emendari, & hac ratione locus misericordiæ vel pœnitentiæ non periret, sicut legimus in Sozomeni historia Eccles. &c. in Jure Canonico c. cum apud Thessalonicam. q. Item Augustin. Eamq; legem habemus in nostro Codice Justin. Sane ijs de quibus diximus accidit simile quiddam ei, ut mihi videtur, quod ajunt contigisse cuidam, qui in equum conscenderat furentem. Raptans enim illum ferebat equus, at hic non magis descendere equo currēte potuit. Et quidam obviam factus interrogavit eum: Quo abiret? ille vero inquit: Quo isti placet, demonstrans equum. Et eos si quis interroget, quo ferimini? vera volentes dicere, respondebunt simpliciter quidem; quo cupiditatibus placet: in parte vero quo quidem voluptati, aliquando autem quo gloriæ, aliquando vero rursum lucri aviditati, aliquando vero iræ, aliquando vero metus, aliquando vero aliud quid tale eos evehere videtur. Unde videmus, quod plerique interdum, cum homines sint, ex insperato in graviss. clades incidant, non tam eorum, qui patiuntur, quam fortunæ & eorum, qui agunt, culpa evenire: quod vero sponte sese & per imprudentiam nonnulli calamitatibus objiciunt, apertum eorum, qui patiuntur, errorem esse. Ideo si quos in graviorem aliquē casum fortunæ levitia deductos intelligimus, non solū misericordia prosequimur, sed quantum in nobis est, veniam opemq; præstamus: Quos vero per imprudentiam aut perversitatem suorum, sibi malorum autores cognoscimus extitisse, reprehendimus, culpamus atq; odio habemus. Hoc etiam movit eundem Comnænum, ut reprehendat Principes, qui cum autoritatem summam beneficio DEI teneant, maxime tamen sunt vituperandi, quod officio suo desint. Et pergit: Iis qui furore & amentia quadam vexantur, exprobrari nihil potest: qui autem ingenio non sunt destituti, & commoda utuntur valetudine, ij minime deplorari debent: quando per ignaviam & ocium in calamitatem aliquam incidunt. Extat hac de re imprimis memorabile exemplum Jacobi IV. Regis Scotorum. Is enim præcoce & juvenili stoliditate &

Lib. 7. ca. 24. Lib. 5. de civit. Dei c. 26. Lib. si vindicar. C. De pœnis. Polyb. lib. 2. hist. Lib. 9.

torpore, licet & divinitus (uti putabatur) & à ſuis proceribus admoneretur, ſe ipſum atq; potiorem partẽ nobilitatis Scoticæ perdidit. Hoc ſane luculenter deſcribitur à Buchanano: Dum Rex, inquit, ad exercitum proficiſcens Limnuchi veſpertinas in æde ſacra conciones audit, ſenex quidam ingreſſus eſt, capillo in ruffo flaveſcente, ac in humeros promiſſo, fronte in calvitium glabra, capite nudo, veſte longiuſcula cyanei coloris amictus, ac linteo ſuccinctus, cætero aſpectu venerabilis, is Regem quærens per turbam obſtantium penetrat. Ubi ad eum acceſſit, ruſtica quadam ſimplicitate, ſuper ſolium, in quo ſedebat Rex, innixus: Rex, inquit, ego ad te ſum miſſus, ut te admoneam, ne, quo inſtituiſti, progrediaris; quam admonitionem ſi neglexeris, non erit è re tua, nec eorum, qui te comitabuntur. Præterea præmonere ſum juſſus, ne mulierum familiaritate, conſuetudine, aut conſilio utaris, ſecus vero ſi facies, & damno & ignominiæ tibi res erit. Hæc locutus turbæ ſeſe immiſcuit, nec, cum precibus finitis Rex eum requireret, uſquam comparuit. Quod eo magis mirum viſum eſt, quod eorum, qui propius aſtiterant, atque eum obſervarant, avidi multa ex eo ſciſcitandi, nemo ejus diſceſſum ſenſerat. Hæc Buchananus, ſicut ex oculatis teſtibus cognovit, hiſtoriæ ſuæ inſeruit. Verum cum Rex iſta monita, nec non ſuorum procerum, diſſuadentium prælium cum Anglis, conſilia ſalutaria contemneret, & amori nobilis fœminæ captivæ, omiſſa re militari, nimis indulgeret; ocioſoque exercitui in agro ſterili, commeatus deficeret, & ideo extenuarentur ejus copiæ, paulo poſt memorabili prælio ad Fluidonem victus, & una cum ſua nobilitate fere univerſa, cæſus eſt. Memini etiam, cum hac de re ſermo incideret, parentem meum optimum dicere ſolitum, evenire iis, qui ita præcipites in rebus agendis ſunt, ſicut Eucrates ille Lucianicus ſibi eveniſſe, in dialogo cujus titulus eſt Philoſopſeudes, refert. Ait enim, cum vidiſſet Pancratem quendam Magum Ægyptium, multa miracula facientem, ſe paulatim in ejus amicitiam inſinuaſſe, adeo ut omnia propemodum arcana communicaret. Tandem autem Magum hunc illi perſuaſiſſe, ut famulis omnibus in Memphide relictis, ſe ſolus conſequeretur, neque enim defuturos miniſtros. Atque ex eo tempore, inquit, ſic vitam duximus: Quum in diverſorium quodpiam veniremus, homo accepto piſtillo, ſcobinave, aut peſſulo, veſtibus implicans, cum in id carmen quoddam dixiſſet, effecit ut ambularet, utque aliis omnibus homo videretur. Illud ergo ambiens & aquam hauriebat, & cœnam parabat, inſtruebatque, atque in omnibus commode ſubſerviebat, miniſtrabatque nobis. Deinde poſtquam jam ſatis hujus miniſterii fuit, ſcobinam rurſus ſcobinam, peſſulum peſſulum, aliud recitans carmen, reddebat. Hoc ego vehementer conatus non reperiebam quo pacto ab illo expiſcarer. Nam id mihi invidebat, quanquam in aliis eſſet faciliimus;

Ar

At quadam die in angulo quodam tenebricoso clam illo delitescens, subauscultavi propius incantationem illam. Erat autem trisyllaba. Tum ille cum pistillo mandasset, quæ curanda erant, abiit in forum. At ego postridie illo apud forum occupato, acceptum pistillum cum ornassem, syllabas illas simili modo pronuncians, aquam jussi ut hauriret. Tum impletam amphoram cum tulisset, desiste, inquam, nec aquam amplius haurito, sed rursus esto pistillum. At illud mihi haud amplius obtemperare volebat, sed aquam hauriebat continue, quoad hauriendo totam domum nobis impleret. At ego cum resistere huic rei non valerem (timebam autem, ne Pancrates reversus, id quod etiam evenit, irasceretur) correpta securi pistillum in duas partes disseco. At utraque pars amphoram sumens hauriebat aquam, jamque unius loco duo mihi ministri esse cœperunt. Interea Pancrates supervenit, ac re intellecta, illas quidem in ligna rursus, quemadmodum ante carmen erant, mutavit. At ipse, me relicto, nescio quo clanculum se subducens abiit. Hactenus Lucianica fabella. Huc respexisse videtur divinus ille Plato. Qui, *De Legibus.* inquit, superbia elatus est, quod honoribus antecellat, vel corporis forma polleat, qua cum juvenilis animus dementia simul ardeat & petulantia, quali nec principe, nec duce ullo indigeat, sed aliorum ipse sufficiens ductor sit, is penitus à Deo deseritur. Desertus autem & alios hujusmodi nactus exultat, omnia simul perturbans, multisq; videtur minime contemnendus, brevi tamen postea, inculpabili Dei judicio punitus; seipsum, domum suam, civitatemque universam simul evertit. Hoc ita esse, apparet exemplo, quod nostra memoria in vicinia accidit, cum quidam princeps rerum successu momentaneo ferox, arcem quandam nobilis cujusdam aliquantisper obsedisset, quæ certis conditionibus (inter quas præcipua fuit, ut præsidiariis potestas discedendi libera & tuta concederetur) in potestatem ejus tradita est. Evenit autem, cum ipse cum exercitu eam intrare vellet, ut unus inter præsidiarios ex quadam summa arcis turri, nesciens adhuc, quod cum hoste pactum & transactum esset, emisso tormento majusculo, quendam non procul a principe equitẽ interficeret, quo facto is ita excanduit, ut non habito respectu reliquorum præsidiariorum, quibus insciis cædes ista facta & liber [illegible] permissus fuerat, eos omnes, una cum parocho, proximæ arbori, [illegible] huic tanquam honoris causa, supremum locum tribuit, plane contra [illegible] militares, & inter Germanos ante inaudito exemplo, suspendi jusserit. Etsi autem plerisque ex consiliariis principis & militaribus viris, hoc [illegible] præceps & crudele factum displiceret, & secum tacite id detestarentur, tamen veriti principis iram, cujus alioquin usque adeo potens non erat, non ausi sunt palam contradicere. Verum accidit, ut paulo post mitigato in principe fervore animi, ipse & alii, non sine indignatione tam triste spe-

ctaculum, operantes facta infecta reddi posse, abominati sint. Et mox experientia demonstravit, omnia ejus & suorum consilia & actiones deinceps infaustas, cum sua & multorum pernicie fuisse, donec obæratus & extorris, non usitato morbi genere, inter acerrimos cruciatus extinctus fuerit. Eandem fortunam asseclæ ejus & suasores scelerum plerique experti sunt. Etenim Nemesis & interfectorum sanguis eos tam diu persecuti sunt, donec & ipsi misere perierunt. Hoc quoque olim accidit, cum Carolus potentiss. Dux Burgundiæ, Gransovium aliquantisper obsedisset, & præsidiarij cum illo transegissent, ut incolumibus cum suis armis in tuta loca discedere liceret: u autem deditis fidem solvisset, & præcipiti consilio ejus jussu, aut suspensi, aut in proximum lacum, longissima reste connexi, submersi essent. Nam hac crudelitate erga insontes, qui fidem suam secuti erant, commissa, mox ita immutatus fuit ejus animus, ut fastu quodam contemtis subditis suis, suam salutem exteris commiserit, nihilque prospere deinceps gesserit, sed infelici conatu multa tentaverit, donec bellum ex bello serens, & multis prælijs profligatus, ad Nanceium in fuga misere occubuerit, Princeps alioquin magnanimus, potens, & multis virtutibus ornatus.

Hic solet eventus facta cruenta sequi.

Ejus Epitaphium rude sane, in Annalibus Episcoporum Coloniensium, nec non in descriptione Burgundiæ Heuteri lib. 5. tale legitur:

Te pacis piguit, te taduit atque quietis
Carole, sicque jaces, jamque quiesce tibi.

Laudatur igitur non immerito Ludovici XI. Regis Galliarum dictum: Dedecus & detrimentum esse comites ac veluti pedissequas superbiæ & temeritatis. Experientia enim nos docet, Ambitionis exitum esse ignominiam, modestæ autem subjectionis gloriam. Hac de re, ut priscis exemplis hoc caput concludamus, habemus memorabile exemplum apud Thucydidem, cum Athenienses nulla legitima causa, sed superba ostentatione potentiæ, Syracusanos debellare constituissent. Quum enim Thraces mercenarij [illegible] tes tardius advenissent, quam ut cum classe Atheniensium in Siciliam transportari possent; eos propter præsentem pecuniæ inopiam statim dimiserunt, nolentes tantis sumptibus civitatem onerari. Ii in reditu Mycalessum [illegible] tem mediterraneæ Bœotiæ, ex improviso occuparunt; domos privatas pariter & loca sacra diripuerunt, & homines obtruncarunt, nulli ætati parcentes, verum omnes obvios pariter occidentes, etiam pueros & mulieres, insuper jumenta quoque & quicquid vivum videbant, interficiebant. Thracum enim genus simile est his, qui maxime barbarici, præsertim quando sunt securi, tunc avidissimi sunt cædis. Fuit igitur tunc in illa civitate magna perturbatio, tumultus & omnis species exitij. Nam etiam in ludum literarium irrupe-

ruperunt, ubi pueri docebantur, quorum in ea civitate maximus numerus erat, & jam primum ibi convenerant, illos omnes jugularunt. Hæc calamitas Bœotorum, quæ illis præcoci Atheniensium consilio, eorumque pessimo auspicio accidit, fuit sane atrocissima, neque post hac ullum successum habuerunt Athenienses, sed amisso exercitu, & classe instructissima, ipsi tandem ex summa felicitate in miserrimam servitutem inciderunt. Alterum exemplum habemus in Crœso potentiss. Rege Lydiæ. Quum enim in suo florentiss. regno otij impatiens esset, & bellum Cyro Regi Persarum, absque ulla legitima causa, sed tantum prosperitate rerum & luxu superbus, inferre vellet, ob eamque causam legatos ad Delphicum oraculum dissimulato habitu, & unde venissent, misisset, ita respondisse Pythiam Cedrenus refert:

Est mensura maris, numerus mihi notus arenæ,
Elinguis animi sensa & cognosco tacentis,
Sed mihi rex Crœsus cupiunt que illudere Lydi.

Tum demum exposita vera causa legationis, ita respondit oraculum:

Crœsus Halyn penetrans magnam perrertet opum vim.

Danielem autem ex prophetia Isaiæ Cyro indicasse, eum victorem fore, quod & in Suidæ historicis legimus, hocque quum accidisset, Cyrum ideo Judæos ex Captivitate Babylonica domum remisisse, tradit idem autor. Postremo hoc confirmatur exemplo Persei potentiss. Regis Macedoniæ. Is enim quum familiarium & insontum cæde delectaretur & ambitione atque elatione animi turgidus omnes contemneret; accedente avaritia quoque, ex eo statim mutatus, crudelis, & præceps in omnes, nec in eo sanum nec prudens quicquam postea fuit. Et quum antea consilio & ratione multum valuisset & audacissimus in pugnis fuisset, quatenus & ex imperitia non lapsus esset: subito & præter expectationem ad timiditatem & stultitiam se convertit: & levis & mutabilis repente, & ineptus adversus omnes esse cœpit, fortuna relinquere eum incipiente: vel potius eo Deum iratum & vindicem scelerum, habente: ut multos videre est, mutatione progrediente, solito imprudentiores factos, sicut post Livium & Plutarchum, Suidas in suis historicis tradidit. Ob eam rem prudens est admonitio Pauli Æmilij apud Livium. In secundis rebus, inquit, nihil in quenquam superbe ac violenter consulere decet, nec præsenti credere fortunæ, cum quid vesper ferat, incertum sit. Is demum vir erit, cujus animum nec prospera flatu suo efferet, nec adversa infringet. Raro namque, ait Asdrubal Hædus in Senatu Romano apud eundem Livium, simul hominibus bonam fortunam, bonamque mentem dari; populum Romanum eo invictum esse, quod in secundis rebus sapere & consulere meminerit. Lib. 5. ab. tad. 21

CAP.

Caput LVI.

De signis antecedentibus pœnas propter delicta meritas.

PLERUNQUE fit, ut homines eorum appropinquantibus malis prudentiam in primis & salubriora consilia, quorum ope imminentes calamitates vitare potuissent, amittere & negligere soleant, eth[illegible]que, quod miserrimum est, ut quod accidit, etiam merito accidisse videatur, & casus in culpam transeat. Præsagium autem Principum ruinæ, ut Cominæus prudenter monet, nullum est certius, quam ubi Deus mentem illis ita imminuit, ut sapientum consilijs repudiatis, provehant homines novos, stolidos, vecordes & assentatores, qui omnia ad ipsorum gratiam faciant & loquantur. Nam simul atque hæc eveniunt Principi ipsi à Deo ruinam & perniciem imminere certo statuere possumus. Quod sane hisce elegantiss. versiculis exprimitur:

Iratus ad pœnam Deus *si quos trahit,*
Auferre mentem talibus primum solet,
Caliginemque offundit, ut ruant suas
Furenter in clades, sibi quas noxiis
Accersierunt ultro consiliis malis.

Hoc pijs cogitationibus explicavit Irenæus ex scriptoribus Ecclesiasticis, vetustissimus, ubi dicit, Eos, qui in eligendo sibi malo sunt procuratores adversa, quæ sibimetipsis contrahunt, Deo imputare solere, cum nihil [illegible] sit, INDURARE COR PHARAONIS, ET CÆCARE OCULOS POPULI, apud Deum, quam gratiam suam, quæ se large volentibus infundit, ab [illegible]que agentibus avertere. Nam simul ac quis Deum dereliquit, quæ bo[illegible] aspernatur: amissa spiritus gratia, omnibus inde afficitur incommodis, [illegible]iam rectam non videt & contumacem se opponit ad admonitiones, nullo pollet animæ sensu, ut sciat reprobare malum & eligere bonum. Ita di[illegible] eum à Deo excæcari & obdurari, quemadmodum Solem occidentem recessu à nobis noctem facere, cum alioqui nihil à Deo nisi bonum emanet, quemadmodum à Sole semper lumen & calor. Huc respiciunt ex quæ Augusti. scribit. Ira Dei, inquit, non perturbatio animi ejus est, sed judicium, q[illegible] irrogatur pœna peccato. Cogitatio vero ejus & recogitatio mutandarum rerum est immutabilis ratio. Neque enim videlicet, sicut hominem iratum, ita Deum facti sui pœnitet, cujus est de omnibus omnino rebus tam fixa sententia

Lib. 15. de civit. Dei, c. 25.

tentia, quam certa præscientia. Sed si non utatur scriptura talibus, non se quodammodo familiarius insinuabit omni generi hominum, quibus vult esse consultum, ut & perterreat superbientes, & excitet negligentes, & exerceat quærentes, & alat intelligentes, quod non faceret, si non se prius inclinaret, & quodammodo descenderet ad jacentes, &c. Et ibidem de voluntate DEI ita scribit. Non commutatur DEI voluntas, si nos mutamur. Is autem quodammodo mutari videtur, quum ubi fuerit ante lenis, iratus apparet, & è diverso, quum prius iratum se præbuerit, deinde se quodammodo l[illegible]m offert. Quando itaque non ipsi mutamur, eum in hisce quæ patimur quodammodo immutatum invenimus. Quemadmodum Sol videtur immutari quum ipsi lippi efficimur, aut aliquo modo læsos oculos habemus. Nam qui antea blandus, hilaris & suavis erat, molestus & noxius incipit esse, non sane quoad naturam suam; quæ manet eadem, neque immutata est, sed nostro morbo seu vitio, in quod recens incidimus, &c. Siquidem teste Suida, in DEUM nulla cadit pœnitentia. In mutationes vero certo consilio res humanas sinit incidere, sicut Judæorum sacerdotium terminavit, & regnum Assyriorum Babylonis, Macedonum. Quemadmodum autem hac de re innumera exempla tam vetera quam recentia passim occurrunt: ita omissis iis omnibus tantum accuratius perpendemus ea, quæ Davidi, alioquin optimo & sanctissimo Regi acciderunt, quum contra præceptum DEI expressum, & monita consiliariorum, subditos suos nulla necessitate, sed superbia & elatione quadam animi, recensere jussisset. Etsi autem hæc in re admodum imprudenter & insolenter fecit, tamen mirum alicui videri posset, quare non ipse solus, sed propemodum innumera multitudo, utpote insons, potius peste consumta sit. Verum hoc singulari judicio divino factum fuit. Nam id patet ex verbis textus: Et addit furor DOMINI (vel ut accuratior interpretatio habet, nasus DOMINI) irasci contra [illegible]em, commovitque David, &c. Ideoque Cedrenus ait: Cum peccatores & contemtores DEI gravis aliqua & insolens manet calamitas, quam omnia æqua dispensans lance DEUS immissurus est: tum populi Principibus [illegible]ut, ut [illegible]quod malum facinus perpetrent, id eo fit, ne temere aut [illegible] judicio mala infligi putemus. Neque existimandum est, [illegible]opter [illegible] Principum delicta pestes, ingentes calamitates, communesq; popu[illegible] internecione[illegible] accidere. Imo, aut[illegible]m omnes legis aut naturalis, aut [illegible]olatæ, rei suo tempore dignis afficiuntur suppliciis. Ac sacra scriptura, [illegible]um ob [illegible] peccatorum, quæ a singulis hominibus committun[illegible], al[illegible]orum [illegible]numeratione abstineat, Regis delictum tanquam pœnæ caus[illegible] [illegible] commemorat. Cujus rei exemplum historia Davidica suggerit. Nimirum ira DEI malum Israelitico populo parabat, propter multipli-

Lobini.

In historick

Lib. 2. Sam. cap. 24.

tiplices violationes, ſpiritus autem Davidem ad recenſionem populi [illegible]pulit. Quaperacta, mane Gadus à DEO miſſus vates eum convenit, optionemque vel triennium penuriæ per regnum, vel trimeſtris fugæ inſequentibus hoſtibus, vel triduanæ per regnum peſtis liberam propoſuit. David circumſcriptum ſe miſeriis faſſus, in DEI multipliciter miſericordis, q[illegible] in hominum crudelium manus ſe incidere malle dixit, ſibique mortem [illegible]legit. Metebatur tum triticum, & divinitus immiſſa peſte, à diluculo uſque ad prandii horam interierunt 70000. hominum. Hactenus Ced[illegible] Hinc apparet, quando propter impietatem Regibus vel Principibus [illegible]mus excæcatur, ut repudiatis ſalubrioribus conſiliis, ea conentur perp[illegible]re, quæ impia & pernicioſa ſunt; non ſolum eos in culpa eſſe, verum [illegible]

In Proverb. delicta populi. Quo Solomon prudentiſſ. Rex reſpexiſſe videtur, d[illegible]

Cap. 28. Propter delicta terræ ſæpe mutantur Principes. Et Siracides. R[illegible]

Cap. 10. gente in gentem transfertur propter injuſtitiam. Nam ut ad corpus [illegible]dum non ſatis eſt, ſi caput ſanum ſit, ſed & extera membra munere ſuo fungi neceſſe eſt: ſic non ſatis eſt, Principem ipſum culpa vacare, niſi in miniſtris debita diligentia & virtus proportione reſpondeant. Unde idem Cedrenus ſcribit, quendam ex religioſis, Phoca imperante, DEUM ad diſceptationem provocare auſum, quæſtum eſſe, cur tam impium Chriſtianis impoſuiſſet Imperatorem? audiviſſe eum vocem, quum quidem neminem videret, ſibi dicentem: DETERIOREM ALIUM INVENIRI POTUISSE N[illegible] AT HOC MERUISSE CONSTANTINOPOLITANORUM VITIA. Recte itaque

Lib. 5. cap. 2. Eccl. hiſt. Theodoretus monet, quod benignus Dominus quaſi menſura [illegible] trutina miſericordiæ & juſtitiæ utens, ubi intellexerit magnitu[illegible]rum ſuperare menſuram benignitatis, tum juſta animadverſione [illegible] progreſſiones coerceat.

CAPUT LVII.

Faciem indicem eſſe animi, Et DEUM ſolum eſſe

καρδιογνώστην.

Cap. 19. SIRACIDES prudentiſſime dicit: De aſpectu cognoſ[illegible] quis poteſt, & mente præſtans facile cognoſcitur fa[illegible] obviam. Quod quidem tam in bonis quam in malis lo[illegible] habet, ita ut plerunque ex conſtitutione corporis, v[illegible] tutes vel vitia emineant. Hoc quoque Ariſtoteli non [illegible]

igno-

ignotam, qui ex oris habitu morum aspectum judicare solitus fuit. Quibus, inquit, frons lata est, stupidi: quibus rotunda, iracundi sunt. Idipsum Galli proverbio eleganti exprimunt quum dicunt: *Orgueilleuse semblance, monstre folle curdance.* De vitiis habemus insigne exemplum in Juliano Cæsare, qui Apostata vel transfuga vulgo appellatus est. Nazianzenus enim quamprimum eum aspexit, conjecturam de suis moribus & ingenio sumpsit, cujus hæc sunt verba, in oratione 2. contra Gentiles, quam de illo scripsit, quæ etiam à Socrate referuntur: Fecit me vatem gestuum ipsius deformitas, & ingens admiratio, siquidem optimus vates est, qui ex conjecturis optime ratiocinatur. Nequaquam vero mihi hæc boni hominis signa esse videbantur; colli crebræ conversiones, humeri alternis subsultantes, oculi torvi, vagabundi, & furibundum quiddam contuentes, pedes instabiles, crebræ geniculationes. Nasus contumeliam & contemptum spirans, figura vultus derisionem significans, quomodo variabatur? Risus crebri altum crepantes: nutus, renutus sine sermone: sermo interruptus, non complens sententiam. interrogationes crebræ, confusaneæ & stultæ: responsiones inconcinnæ, coacervatæ, inter se dissidentes, & sine ordine. Quis singula describat? Talem vidi ante facta, qualem postea facta ipsa ostenderunt. Et si adessent, qui tunc mecum fuerunt, & eadem viderunt, testes essent hujus meæ narrationis, qui meminerint etiam me edidisse hanc vocem: Quantam pestem Romana monarchia nunc alit, &c. Eodem modo dignitas & virtus ex facie statim elucet, de qua re habemus exemplum in Ulysse. Eum enim naufragio ejectum in littore, nudum vestibus, virtute tamen ornatum Phæacum multitudo conspiciens, cæteris fortunatis Phæacibus venerabiliorem admirata est. Quamobrem & Poetarum princeps Homerus subjicit, debere virtutem mortalibus esse curæ. Magna enim teste Plutarcho, est vis virtutis, apud omnes gentes, cum non solum bonos, sed etiam improbos ad se amandum alliciat. Alterum non minus memorabile est in Trajano, qui quum Agarenos in urbe quadam, ut refert Dio obsedisset, ejusq; muros sine regio ornatu, ut hostem falleret, circumiisset, generosa, in[illegible], & oris majestas principem prodidit, & quis foret in ementitio habitu [illegible] ostendebat. In eum igitur hostes, quem Regem suspicati erant, sagittas frequentes conjecere, quarum tanta vis fuit, ut qui pone Cæsarem [illegible], transfixus fuerit. Siquidem teste Q. Curtio, hominibus barbaris corporum majestate veneratio est, magnorumque operum non alios capaces putant, quam quos eximia specie donare natura dignata est. Suetonius [illegible] de Tito Vespasiano scribit, quod in puero statim corporis animique dotes explenduerint, magis ac magis deinceps per ætatis gradus, forma egregia, & cui non minus auctoritatis inesset, quam gratiæ. Idipsum

Lib. 1. cap. 19. hist. Eccl.

Lib. 6. de gestis Alexan. Magni.

Lib. 1. Offic. veteres etiam diligenter obſervaſſe teſtis eſt Cicero, qui pulchritudinis duo
genera facit: unum virile, quam dignitatem dicit: alterum muliebre, quam
venuſtatem appellat. In oratore autem perfecto utrumq; conjunxit. Voce
vero, inquit, qui ſecundum vocem plurimum poteſt, quantam affert tum
In Panegyr. ſive Trajano. dignitatem tum venuſtatem? Id Plinius etiam notavit, ubi dicit: Jam firmi-
tas, jam proceritas corporis, jam honor capitis, & dignitas oris, nonne lon-
ge lateq; principem oſtentant? Dignitatem n. pro oris probitate morumque
præſtantia in facie eminente ſæpius poni, diligenter obſervavit doctiſ. Bu-
In anno ſuſ. l. Imperatorum. De decuriâ. dæus. Unde legimus quod veteres Pompejo Magno frontis honorem, & os
probum, velut maximum naturæ munus tribuerint. Ipſa enim frons ſeve-
ritatis & clementiæ index eſt. In oculis quoque Veteribus religio fuit, qui-
dem in iis imago & natura hominis ac tacitus ſermo mentis maxime ex[illegible]-
mitur. Quemadmodum enim cauda leonibus, aures & nares equis, animo-
Alexand. ab Alex. lib. 2. c. 19 genial. dier. rum indicia præſtant, ſic ex oculis hominum mentis imago apparet. [illegible]
ex his virtutes vitiaq; agnoſcimus; iratum vel propitium, animum lætum aut
affectum perpendimus; dignitatemq; oris oculi exhibere conſueverunt, vi-
tamque à morte diſtinxerunt. De qua re prolixe & erudite diſputat Levin.
Lib. 4. c. 6. de occult. natu. miracul. Lemnius, ubi quoque dicit: Medicos in morbis ſtudioſe oculorum conſtitu-
tiones contemplari. Si enim rubore perfuſi ſunt, aut ſanguineis filamentis
ſtriati, ex cerebri inflammatione; furorem ac phreneſin indicant. Quod ſi
liveſcant, aut plumbeo nigroque colore perfuſi ſint, caloris nativi extinctio-
nem, vitæq; interitum denunciant. Inſtabiles autem, pernictantes, mobiles,
inquieti, inconſtantes, mentis alienationem & delirium deſignant. Languidi,
humentes, flaccidi, lacrymis perfuſi, tenebroſi, tremuli, rigidi, vibr[illegible]
midi, cavi, conditi, obtuſi, conniventes, præter diverſos animi affect[illegible], in
ſanis, tum in ægrotis non ſine vitæ pernicie, cerebri intemperiem, ex humo-
rum copia vel defectu, caliditate aut frigiditate commonſtrant. Lu[illegible] v[illegible]-
pæti, ſtrabones, & qui obliquo ſidere limiſque obtuentur, præter co[illegible]
atq; in diverſum convulſos muſculos, hujus naturæ errorem confe[illegible]
Quod vitium quoniam circa cerebrum mentis domicilium, vel potius [illegible]
conſiſtit, ut foris nonnihil o[illegible]ulos deformat, ita animum quoque qu[illegible]
vitioſis affectibus imbuit, &c. Sic de oculis habemus egregium ex[illegible]
Lib. 7. dec. apud Livium. Memoriæ enim tradidit, quod oculi Romanorum v[illegible]-
dere in prælio Samnitibus. Et Aquileienſes milites, qui ſubitò eruptione ex
occulto cuniculo facta Attilam paucis comitatum invaſerant (quem tamen
non noverant) poſtea faſſi ſunt, ſe nulla re magis perterrefactos fuiſſe, quàm
quod in ejus oculis ſcintillas veluti igneas, quum pugnans eos fremebun-
In Attila c. dus aſpiceret, emicantes conſpexerint, ſicut P. Callimachus & Nicolaus
12. de morib. Germanorũ. Olahus ſcribit. Non fruſtra igitur Cornelius Tacitus dicit: Primi in omnibus

præliis

[illegible] oculi vincuntur: Sic in historiis legimus C. Marium, à Minturnensi-
[illegible] percussorem immissum vultus autoritate deterruisse, ob eamque rem
[illegible] dimissum ut Plin. testatur. Huc referri potest, quod Aristote-
les & Adamantius Physiognomici observarunt. Eos videlicet, quibus sub-
[illegible] cos oculos natura attribuit; esse inverecundos, & audaces: iracun-
dos, quibus siccos: ebriositatem humidos oculos denotare: subrubescentes,
si late pateant, intemperantis oris hominem, mulierosum, stolidum & alco-
nem. Si glauci sanguineique fuerint, hinc calliditatem, inde vesaniæ proxi-
miorem audaciam coarguent. Hinc etiam apud Homerum Achilles cani-
nos oculos ob impudentiam objicit Agamemnoni; quod canes plurimum
oculis sanguine suffusis conspiciantur. Sic quibus sanguis crassus est, feroces
plerunq; [illegible] probis moribus, inhospitales, inhumani, & qui nullos sen-
tiunt, vel [illegible] tiunt conscientiæ stimulos, nullo tanguntur metu, nulla du-
cuntur religionis reverentia, nullo pietatis, nulloque moventur humanitatis
affectu: cujus generis sunt, nautæ, aulœdi, aurigæ, bajuli, vectores, & quot-
quot militiæ sunt assueti, qui ob sanguinis crassitiem, densosque ac turbu-
lentos spiritus conscientiam incrassatam habent, mentemque vitiis obscu-
ratam, ut idem Levin. Lemnius observavit. Eodem modo complexio ho- *Lib. 1. c. 16. de occult. natur. mirac.*
minis interiorem animum prodit. Sanguinei enim plerunque sunt audaces,
prompti, sed impatientes laborum & temerarii, Phlegmatici turbidi, affe-
ctionib. obnoxii, tolerantes, circumspecti. Cholerici veloces, agiles, elegan-
tes, sed præcipiti judicio. Melancholici tardi, simplices, sed maturo & gravi
judicio, sicut Faustus Longianus diligenter observavit. Simili ratione ho- *De duello l. 6. cap 7.*
mines qui habent carnem molliorem, prudentiores & ingeniosiores esse
plerunq; solent. Ideoq; stupidos παχυδέρμους, quasi crassipelles, aut densicu-
tes appellarunt veteres, teste Suida in historicis. Ejusmodi autem prædi- *Lib. 1. c. 5. de magor. dæmonomania.*
ctione, ex Metoposcopia, quæ ex sola vultus inspectione interiores homi-
nis perturbationes dijudicat, pro illicitis non habentur, ut Bodinus notat,
qui hanc distinctionem ponit, quod aliæ sint naturales, ut subitus rubor
pudorem, pallor metum denotat: aliæ humanæ potius quam naturales, ut
[illegible] bubonum oculi crudelitatem plerunque designant (quales Sylla &
[illegible] Caesorius habuit) & sanguine guttati: eademque ratione simi dicun-
tur impatientes [illegible]ue cholerici, nasones contra plus valere prudentia &
patientia. Atque hoc quidem epitheton inter cætera Deus sibi arrogat, *Exod. 34.*
qui Mosen alloquens, proprietatibus decem hanc adjicit, אלואפי id est;
magno naso, ut Hispanica editio Complutensis, & recentior Antuerpiensis
ad verbum exprimunt, & aliis quoque Bibliorum locis Deus ita vocatur,
quod [illegible] interpretes exponunt, patientem, ut contra à brevi naso He-
bræi promptum ad iram vel iracundum interpretantur. Hæc autem quæ di-

ximus, non solum in hominibus sed etiam in brutis locum habent; nam volucrum quibus ad aucupium utimur, ex pennarum coloribus cognos[illegible] naturæ animique. Accipiter enim fulvis & lucidis pennis auroque sim[illegible] reliquis nobilior & præstantior habetur. Nam audacem facilem, mitem, placidamque naturam eorum, qui sic pennati sunt, experimento venatores cognovere. Illum vero, qui ad albedinem tendit, fortem & robustum, sed inferiorem primo judicant. Rubri coloris accipitrum pennæ si fuerint, superbum, audacem, iracundum, discolum atque difficilem experti sunt. At si ad flavum rubedo declinet, placidum magniq; accipitrem æstimant. Si autem ad nigredinem quoquo modo tendant pennæ, immitem, pertinacem, sed robustum experiuntur. Nigros denique & eos maxime, qui fuliginei sunt, deteriores dixere. Sicut hæc & alia Belisarius Neritinorum Dux diligenter observavit. Similes observationes & notas ex pilis & auribus, vel pennis, naribus ac reliqua corporis proportione habemus in equis vel generosis, vel degeneribus, nec non in canibus, de quibus supra nonnulla attigimus. Cum igitur ex facie & externo corporis habitu facile animus apparet: nam qui irascuntur, calent; qui timent, frigent & pallent, quin etiam si uniuscujusque hominis vultum intueamur, nunquam aut rarissime hac illa vice eundem esse conspiciemus: modo enim iratum, modo lenem, modo tristem, modo hilarem, modo hoc, modo illo affectu perturbatum comperiemus, ac prout diversæ rerum imagines animum perculerint, ita varias in vultu figuras conformabunt, ut non frustra à veteribus dictum sit: Intima per mores cognoscimus exteriores. Cum igitur inquam, horum [illegible] animi, facies & constitutio corporis index sit, pii viri sumpserunt inde [illegible] sionem monendi, ex his signis, & motu animi diabolum conjecturam facere, quid agitemus in corde, eoque suas insidiosas tentationes & [illegible]tas ad nocendum dirigere. Alioquin si animum per se intelligamus, nullo modo Sathanæ tantam potentiam concessam esse scimus, ut inte[illegible] possit, quid velimus, aut cogitemus. Licet sibi ipse idipsum attri[illegible] ex oraculo Delphico supra in c. 55. allegato patet, neque ignorem [illegible] diverse hac de re sentire. Et audivi a quodam meo affine, viro dig[illegible] genere præstanti, se vidisse Magum Ægyptium in Cairo, qui se[illegible] solitus sit, quod nō solum res occultas, sed etiam cogitationes hom[illegible] ploratas haberet, dedisseque hac de re in nobiliss. viri Alexandri S[illegible] burgii, & sua præsentia, mirabile specimen. Verum ipsius etiam opin[illegible] rat, diabolum illi suo mancipio suggessisse, quod ex sermonibus eorum [illegible] eum sciscitarentur, antea cognoverat. Collocuti enim prius inter se [illegible] rant, quid cogitare constituissent, quum Magum interrogaturi essent. [illegible] ri præterea potuit, ut diabolus curiosis hominibus (præsertim iis, q[illegible]

Cap. 21. 23. & 24. In libello de aucupio.

in [illegible] potestate veluti mancipia detinet) aliquid, quod desiderare illos scit, suggerat, quod si cogitando admittant, idque is ex exterioribus signis cognoscat, facile deinceps id ipsum magis suppeditare potest. Quod Chrysostomus monere voluit, ubi dicit: Diabolus non ingerit genus tentationis in homines, sed desiderium uniuscujusque considerat. Et secundum quod viderit hominem desiderantem aliquid ex eo, accipit occasionem tentandi. Neque obstat, quod intellectus humanus pendeat ex phantasiis & formis quæ Diabolo non ignotæ sunt. Nam licet hoc concedatur, tamen quando ille vult, videre non potest, quibus rebus noster intellectus occupetur, multo minus ipsi constat, quid de illis voluntas statuat. Illa enim non eas formas aut species sequitur, sed intellectum. Docent autem nos sacræ literæ, quibus omnino acquiescendum est, DEUM esse unicum καρδιογνώστην, eumque SOLUM, ut Hieremias Propheta ait, scrutari renes & *Cap. 17.*
corda. Eodem modo Regius Propheta testatur, DEUM cognoscere abscondita cordis. *Psal. 43.*
Salomon in dedicatione templi ita alloquitur DEUM: Tu *2. Paral. 6.*
SOLUS cogitationes hominum nosti. Recte itaque Augustinus: Internas, inquit, cogitationes diabolum non videre certi sumus, sed motu eas *De definitionib. Eccl. dogm.*
corporis ab illo & affectionum judiciis colligi, experimento didicimus. Secreta autem cordis solus ille novit, ad quem dicitur: Tu SOLUS nosti corda filiorum hominum. Idipsum Joannes Evangelista indicare voluit, ubi dicit: αὐτὸς δὲ ὁ Ἰησοῦς οὐκ ἐπίστευεν ἑαυτὸν αὐτοῖς, διὰ τὸ αὐτὸν γινώσκειν πάντας, καὶ *In fin. c. 2.*
ὅτι οὐ χρείαν εἶχεν ἵνα τις μαρτυρήσῃ περὶ τοῦ ἀνθρώπου· αὐτὸς γὰρ ἐγίνωσκεν τί ἦν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ. Huc respexit articulus XXVIII. in determinatione Parisiis facta per facultatem Theologicam, Anno Domini M.CCCXCVIII. super quibusdam superstitionib. noviter exortis quam Bodinus integram præfixit libris [illegible] de magorum dæmonomania. Est autem talis: Quod cogitationes nostræ intellectuales, & volitiones nostræ interiores immediate causantur à cœl[illegible] quod per aliquam traditionem magicam tales possent sciri, & quod [illegible] de eis certitudinaliter judicare sit licitum. Error. Verum hanc quæ- *Homil. 61.*
[illegible] an dæmones possint videre cogitationes humanas, eleganter & late *In lib. 1. Samuel. c. 28.*
[illegible] S. Macarium Ægyptium, Petrus Martyr. Et peculiari capite non *De præstig. dæmon. in fin. lib. 2. editione postrema.*
[illegible] quam pie tractavit multisque testimoniis sacræ scripturæ & [illegible] confirmavit Diabolum ignorare hominum cogitationes Wie[illegible] ex Joanne Cassiano hæc verba allegat, Collat. 8. cap. 15. Nullum [illegible]st, quin possint spiritus immundi cogitationum nostrarum attinge[illegible]es, sed indiciis eas sensilibus forinsecus colligentes, id est, aut ex [illegible] dispositionibus, aut verbis & studiis in quæ propensius conspexerint [illegible]ari. Cæterum illas, quæ needum de internis animæ prodierunt, adire omnino non possunt, &c. Non minus itaq; pie, quam recte La- *Lib. de ira cap. 8.*

Ctant.

ctant, monet. Multum refrenare homines conscientiam, si credamus, nos in conspectu DEI vivere; si non tantum quæ gerimus, videri desuper, sed etiam quæ cogitamus aut loquimur, audiri à DEO putemus. Huc referendum est quod Augustinus dicit: DEUS cor quærit, cor inspicit intus, testis est, judex, approbator, adjutor, coronator, sufficit ut offeras voluntatem. Ut autem tandem hoc caput concludam, operæ pretium putavi, si Prudentii pias preces ex suo hymno matutino, qui etiam DEO attribuit, quod ipse solus rimetur corda, cogitationes & actiones nostras, ascriberem, ex [illegible] tales:

Super Psal. 134.

Hac lux serenum conferat,
Purosque nos præstet sibi.
Nihil loquamur subdolum,
Volvamus obscurum nihil.
Sic tota decurrat dies,
Ne lingua mendax, ne manus
Oculive peccent lubrici:
Ne noxa corpus inquinet.
Speculator astat desuper,
Qui nos diebus omnibus,
Actusq; nostros perspicit,
A luce prima in vesperam.
Hic testis, hic est arbiter,
Hic intuetur quicquid est,
Humana quod mens concipit,
Hunc nemo fallit judicem.

Id ipsum Seneca, licet Gentilis, (quamvis nonnulli arbitrentur, eum Christianis sacris initiatum, & D. Paulum Apostolum illi familiarem [illegible]) non ignoravit, cujus dictum hac de re Lactantius miris laudibus [illegible] exaggerat. Magnum, inquit Seneca, nescio quid, majusque quam [illegible] potest, numen est, cui vivendo operam damus. Huic nos approbemus. [illegible] nihil prodest, inclusa conscientia; patemus DEO. Purgemus igitur, d[illegible] dem Lactantius conscientiam, quæ oculis DEI pervia est & sempe[illegible] mus, ut rationem reddendam nobis arbitremur, putemusque nos [illegible] tis omnibus non in aliquo orbis terræ theatro, ab hominibus, sed desu[per] spectari ab eo, qui & judex & testis idem futurus est; cui rationem reposce[n]ti actus suos inficiari non licebit, &c. Id etiam olim Ægyptii innuere [illegible] re, qui oculo picto, Deum intelligebant. Etenim sicut oculus quicquid [illegible] propositum est, intuetur; sic omnia Deus cognoscit, ac videt. Ob hanc [illegible] Thales interrogatus, an facta hominum Deos fallerêt, nec cogitata inqu[illegible]

Lib. 6. c. 24. de vero cultu.

Orus in hieroglyphicis
Val. Max. lib. 7. c. 2.

non

non solum manus, sed etiam mentes puras habere vellemus, cum secretis cogitationibus nostris cœleste numen adesse credidissemus.

Caput LVIII.

Quid sit libare, & litare apud Ethnicos, & de sacrificiis eorundem, nec non de diversitate Religionum.



LIBARE & litare apud Veteres in sacrificiis vocabula usitatissima fuere. Libare enim nihil aliud erat quam res ad sacrificia destinatas leviter degustare, & quasi primis labris attingere. Unde sæpius pro sacrificare ponitur, ut apud Virgil. & Tibullum: *Li. 1. Eleg. 1.*

Nunc pateras libate Iovi.

Et apud Livium: ubi libare dicitur dapes, ubi benè precari mos esset. Unde libatio & libamenta dicta sunt. Litare autem activum, nihil aliud fuit olim quam ritè sacrificio facto deos placare, votumque impetrare, unde Cic. dicit: Quid cum pluribus diis immolatur, qui tandem evenit, ut litetur aliis, aliis non litetur? Dicimus autem lito te, & lito tibi, Lucanus: *Lib. 2. de divinat.*

—Neque enim tibi summe litari
Iuppiter.

Sic dicitur, lito deos extis, & sacrificiis, non & lito exta nec sacrificia. Deos enim & sacra numina placabant gentiles, non exta, sed extis dii placabantur, ut Galeotus Martius notavit. Colligitur à Nonio inter sacrificare & litare hoc discrimen, quod illud significet veniam petere: hoc vero propitiare & votum impetrare. Leguntur etiam apud Plinium hæc verba: Ergo istæ quidem æreæ & paucæ manent, manebuntque quamdiu templum ipsum. Illæ autem (statuæ videlicet) aureæ & innumerabiles, strage & ruina publico gaudio litaverunt. Ibi interpres: litaverunt, id est, satisfecerunt. Nam non omnis, inquit, qui sacrificat, litat, cum sacrificare sit veniam petere: litare vero propitiare, & votum impetrare, Plautus in Penulo: Si hercule istud unquam factum est, tum me Jupiter faciat, ut semper sacrificem, litem nunquam. Et Macrobius super illud Virgilii, *animaq; litandum Argolica*, litare, inquit, est sacrificio facto placare numen: legimusque quod litare non potest sola oratio, nisi is qui deos precatur, etiam aras manibus apprehendat. Deductum litare à precibus, quas Græci λιτὰς vocant. Hæc omnia ab eo rectius intelligi poterunt, cui Romanorum ritus in sacrificiis noti sunt. Hoc sane post Lilium Gyraldum diligenter & exquisitè collegit Caspar Peucerus vir doctiss. *De doct. promisc. c. 39.* *In Trajani panegyr.* *Histor. decr. Sms. XVII.*

doctis. in suo egregio commentario de divinat. generibus, cujus verba ascribere operæ precium duxi. Cum sacerdos, inquit, victimam ad aram adduxisset, stans manu aram prehendebat, & preces fundebat. Principium precationis à Jano & Vesta fieri oportebat, quæ in omnibus sacris præcipua numina erant, & in votis nuncupandis compellationem primam meruerant inde, quod per eos aditus ad ceteros patere opinio erat; & observabatur in ea precatione, ut Jupiter pater Opt. Max. omnesque dii ceteri pariter advocarentur. Ne quid vero verborum præteriretur, aut præpostere recitaretur, de scripto præire aliquem; rursusque alium custodem dari, qui attenderet sedulo, alium qui favere linguis juberet, & tibicinem canere, ne quid infaustum exaudiretur, oportebat: quod cum diræ obstrepentes nocuissent, aut precatio errasset, repentè extis capita adimi vel corda, geminave, stante adhuc victima compertum esset. His peractis sacrum ab immolatione sacerdos inchoabat, Fruges aut molam salsam in caput victimæ deponebat, addito thure masculo. Vocabatur ritus ille immolatio, quasi molæ in caput victimæ collocatio. Deinde vinum aspergebat, sed priusquam id affunderet, scipulo aut sumpuvio ligneo vel fictili admodum parvo (quod inter sacra vasa cyatho non erat admodum dissimile,) & ipse leviter delibabat, & astantibus gustandum deferebat, ut pariter libarent. Vocabatur hic ritus libatio. Quo facto setas inter cornua victimæ manu cyolsas, tanquam prima libamina projiciebat in ignem, conversusque ad ortum, obliquum cultrum à fronte victimæ ad caudam ducebat. Tandem victimam diis exhibitam & dedicatam jubebat jugulare ministros, qui, quod mactarent eas, cultrarii & victimarii, à nonnullis popæ & agones vocabantur: reliqui partim admotis vasculis emanantem cruorem excipiebant, partim victimam excoriabant, & abluebant, partim ignem accendebant. Ubi perpurgata erat, mox aruspex, flamen, aut sacerdos cultro ferreo viscera rimabatur, attenteque explorabat, an perlitatum foret. Erat is culter ferreus & oblongus, manubrio eburneo, clavis æneis, ære Cyprio, & capulo argenteo ornatus: non enim manu licebat contrectare viscera, ne qua offensa pollutis sacris intercideret. Inspectis tandem, & exquisitis singulis, ex omni ... & membro, ministri partes certas decisas farina farris involvebant, ... this sacrificanti offerebant: Sacerdos aris impositas & foculo incenso ... burebat, quod reddere erat & litare, cum ignem ex oleo, lauro, aut querqu corticis crassioris; aut cujus caudex cavus fungosusque esset, accendere vel numinibus adolere nefas erat: suspecta enim erant illa ligna tanquam diri & mali ominis. Ubi quod diis tributum erat, conflagrasset, ad epulas ipsi & convivia convertebantur. Inter vescendum diis laudes canebant, pedibusque circum aras complodentes ad numeros psallebant, & pulsatis cym-

bala

balis choreas agebant. Hactenus ille. Ut autem Romani ritum publicorum sacrorum accuratè servarunt, & fideliter custodierunt; ita novos Deos, novosque colendorum Deorum ritus à privatis illatos sæpe publica autoritate damnatos esse constat ex Livio. Nec corpora, inquit, modo affecta tabe, sed animos quoque multiplex religio, & pleraque externa invasit, novos ritus sacrificandi vaticinando inferentibus in domos, quibus quæstui sunt capti superstitione animi, donec publicus jam pudor ad primores civitatis pervenit, cernentes in omnibus vicis sacellisque peregrina atque insolita piacula pacis Deum exposcendæ. Datum inde negotium Ædilibus, ut animadverterent, ne qui nisi Romani dii, ne quo alio more quam patrio colerentur. Et de bello Punico II. Quo diutius trahebatur bellum, & variabant secundæ adversæque res non fortunam magis quam animos hominum, tanta religio, & ea magna ex parte externa civitatem incessit, ut aut homines, aut dii repentè alii viderentur facti. Nec jam in secreto modo atque intra parietes, ac postes contemnebantur Romani ritus, sed in publico etiam ac foro Capitolioque mulierum turba erat, nec sacrificantium, nec precantium Deos patrio more. Sacrificuli ac vates ceperant hominum mentes. Incusati ab Senatu graviter Ædiles, Triumvirique capitales, quod non prohiberent, quum emovere eam multitudinem è foro, ac disjicere apparatus sacrorum conati essent, haud procul abfuit, quin violarentur. Ubi potentius jam esse id malum apparuit, quam ut per minores magistratus sedaretur; M. Æmilio Præt. Urbis negotium ab senatu datum est ut & his religionibus populum liberaret. Is & in concione Senatusconsultum recitavit & edixit, ut quicunque libros vaticinos, precationesve, aut artem sacrificandi conscriptam haberet, eos libros omnes, literasque ad se deferret: neu quis in publico sacrove loco, novo aut externo ritu sacrificaret. Hæc Livius. Ob eam causam Cicero, quum nocturna vel peregrina sacra & mysteria damnat, laudat majorum severitatem, senatusque veterem autoritatem, & consulum exercitu adhibito quæstionem atque animadversiones de Bacchanalibus. Etenim ἑταιρείαι insolitæ semper Romanis fuerunt suspectæ, ut etiam Diamone, quæ fuit coitio multitudinis loco uno consistentis, ne occasio præberetur seditionis. Ob hanc causam Plinius mandato Cæsaris Trajani Synaxes & conventus Christianorum disturbavit: Hac ratione multi tyranni Christianos passi sunt domi delitescere, sed synodos eorum & synaxes nullo modo ferebant. Sic legimus apud Dionem, Mecœnatem Augusto consuluisse, ut non solum majorum more numen diligenter coleret, sed & alios ad eum cultum compelleret. Eos vero, qui peregrinum aliquid aut novum in religione tentarent, puniret, atque coerceret, non solum religionis causa, sed & Reipubl. multo magis. Nam

Lib. 4. ab V. C.

Lib. 25.

Lib. 2. de legibus.

Lib. 52.

alioqui novæ religionis prætextu multos res novas moliri, & illicita collegia coire, conjurationesque & seditiones inde nasci, & alia hujus generis quæ monarchiæ minimè conducunt. Huc respexit Juris C. Martianus, ubi dicit, non esse prohibitum religionis causa coire, sed hoc demum permitti collegiis licitis. Et alibi dicit, Collegium esse illicitum, nisi ex autoritate senatus & Cæsaris coeat. Eodem modo Tertullianus, Vetus, inquit, erat decretum, ne quis Deus ab Imperatore consecraretur, nisi à senatu probaretur. Et ob hanc causam Tiberius, tanquam contra leges agens, quum Christum autoritate sua Cæsarea, inconsulto senatu inter deos referre vellet, ab eodem prohibitus est, ne id fieret. Hæc decreta fortasse sumpta fuere vel ex legibus Romuli, vel ex legibus XII. tabb. quibus prohibebatur, ne Romani deos peregrinos colerent. Ita enim veteres eas leges imitatus Cicero in suis legibus sancit: SEPARATIM NEMO HABESSIT DEOS, NEQUE NOVOS SIVE ADVENAS NISI PUBLICE ADSCITOS PRIVATIM COLUNTO, CONSTRUCTA A PATRIBUS DELUBRA HABENTO. Id etiam non minimam causam præbuit Ethnicis, quod Christianorum religionem veluti novam, & rationi sapientiæque humanæ incongruam tam acerrimè persecuti fuerunt. Qualis enim opinio Ethnicorum de nostra fide fuerit, patet ex compellatione Æmiliani præsidis Africæ, quum Valerianus & Galienus Christianos acerrimè persequerentur. Ita enim alloquitur Dionysium Episcopum Alexandrinum, & alios in exilium pulsos: Exposui vobis memoriter clementiam dominorum nostrorum, qua erga vos utuntur. Etenim facultatem salutis vobis dederunt, modo ad id, quod natura ipsa dictat, reverti, & deos imperii hujus custodes adorare, ac quæ naturæ repugnant, oblivisci volueritis. Quid igitur ad ista dicitis? haud enim clementiæ illorum ingrati eritis, opinor, quandoquidem ad meliora vos hortantur, &c. Reliqua quorum gentiles Christianæ fidei deditos insimularunt, ex edicto Maximiniani videre licet. Cæterum quemadmodum hic prætextus sapientibus hujus mundi plausibilis fuit: Ita arcana veritatis iis detecta non sunt. Unde accidit ut dogmata fidei Christianæ veluti commenta insanorum hominum ab iis haberentur, sicut exemplum habemus in Actis Apostolor. Ibi enim, quum Apostolus coram Porcio Festo præside, & Rege Agrippa, rationem suæ fidei & doctrinæ, vel ut ipse dicit, Sobrietatis & veritatis, exponeret: Insanis Paule, inquit Festus, multæ literæ ad insaniam adigunt. Rectè itaque Augustinus dicit: Nemo potest stultitiam à vera sapientia in tanta opinionum varietate tuto distinguere, nisi Deum esse credat, & ejus verbum primum amplectatur fide. Itaque ad religionem accedentibus est à fide incipiendum. Unde paulo post hanc differentiam constituit inter Christianos & paganos, quod illi credere Christo præcipiunt etiam sine ratione: hi tum demum, si ratio

Lib. 2. & 3.

De colleg. & corp. apolog. cap. 5.

Eusebius li. 7 c. 10 hist. Eccles.

Euseb. lib. 8. cap. 10. hist. Ecclesiast.

Cap 26.

De ver. cred. cap. 15.

ratio indubitata afferatur. Non solum autem Romani sacra sua sedulo & diligenter explosis ritibus peregrinis custodivere, ita ut è florentissima tum & opulentissima civitate decem Principum filii senatus consulto singulis Heturiæ populis, percipiendæ sacrorum disciplinæ gratia, traderentur: sed & aliæ nationes itidem hoc fecere. Scythæ enim tam barbari & indociles non fuerunt, quin animadverterint, quid inde evenire posset, si absque discrimine unicuique liberum esset, nova sacra & peregrinos cultus tam superstitioso seculo pro libitu sequi & introducere: Ideoque Scylem Regem ipsorum interfecerunt. Quum enim illi Scythicus vivendi mos cordi non esset, sed Græcus in quo fuerat imbutus à puero, & Bacchanalibus sacris initiatus esset: Scythæ (qui Græcis probrodant bacchandi consuetudinem, negantes esse credibile, Deum invenisse, quo homines ad dementiam adigantur) hoc clam videntes rem ingentis calamitatis esse dixerunt, ideoque fratrem ejus Octamasadem Regem constituerunt, qui recepto fratre à Sitalce Rege Thraciæ, ad quem transfugerat, ei caput demsit. Adeo sua instituta, inquit Herodotus, Scythæ observant, & his qui externos ritus asciscunt, tales irrogant pœnas. Hæc non ideo à me recensentur, quod eorum opinionem confirmare velim, qui duas religiones aut diversos ritus sacrorum, simul in uno Regno provinciave, absque ullo discrimine ferendos esse negant, eoque maximè moventur, quod duas sectas in eadem urbe consistere, absque summa perturbatione Reipub. non posse existiment. Etenim quemadmodum concedendum est, quando Magistratus, ut ambitionem magnitudinemque suam foveat, alterius partis fautorem se præbet, alteramque premit, & per speciem religionis factiones excitat, non posse non inde seditiones exoriri, quales & olim & nostro tempore existere visæ sunt: ita si magistratus nudum inter utrosque tenet gladium, & neutram in partem eum inclinat, nisi ut capite plectat omnes autores tumultuum seditionis & factionis, ne utrisque parcat, non est dubium quin non existant seditiones. Siquidem politicè loquendo cultus veræ Religionis per se minimè affert mutationes & perturbationes Rerumpublicarum bene constitutarum, sed eæ incidunt, dum magistratus inveteratam opinionem absque discrimine & recto judicio, rejectis reliquis per vim, pertinacius fovet & tuetur. Hoc non ignorant Turcæ, qui religionum diversa genera in ipsorum latissimo imperio ferunt, atque raro vim erga conscientias hominum sicut in corpora exercent, sed ut ea servituti subjiciunt, ita has plerunque (licet mancipiorum, & vernarum, apud ipsos, durior interdum conditio sit) liberas unicuique esse permittunt. Id videre inprimis licet hodierno die Hierosolymis in templo sepulchri Salvatoris nostri, ubi Latini vel Romani, Græci, Armenii, Suriani, Nestoriani, Jacobitæ, Georgiani, Maronitæ, Abyssini, & alii qui Christiani perhiberi volunt, separatim sua peculiaria

Valer. Maxim. lib. 1. de religione.

Herodotus in Melpom.

ſacra, & ritus, ſub uno tecto, licet propter diverſa dogmata & opiniones acerrimum odium inter ipſos ſit, pacatè tamen tractant. De Sultano Solimano, qui in obſidione Sigeti extinctus eſt narrant, quum à Muphti (qui apud Mahumetanos Turcos inſtar Papæ vel Patriarchæ eſt) & Cadileſcheris (qui noſtros archiepiſcopos repræſentant) atque nonnullis Baſſis admoneretur, ut Chriſtianos & Judæos aliosque diverſos ritus in religione ſequentes, vel ejiceret, vel cogeret ut Muſulmanizarent, eum illis quum forte e feneſtra in hortum variis floribus fragrantem deſpiceret, uno in loco diverſi coloris floſculos ſimul enatos, monſtraſſe atque dixiſſe: Quemadmodum iſta varietas diſtincta herbarum & florum non ſolum nihil obeſt, ſed mirifice oculos & ſenſus recreat, ita in imperio meo diverſa fides, & religio potius uſui quam oneri mihi eſt, ſi modo pacate vivunt, & in aliis rebus politicis mandatis meis parent. Præſtat igitur eos diutius, ſicut majores mei permiſerunt, ita more ſuo religiones ſuas ſequi, quam turbas excitari, & imperium meum deformari. Non ſecus ac ſi floſculos unicolores tantum relinquerem, & reliquos evellerem. Quid facerem enim aliud, quam ut hortum vel pratum ſua nativa elegantia & decore, potius ſpoliarem, quam ornarem? Id ipſum olim movit Nervam Imperatorem, qui edicto generali vetuit, ne quis in vitam aut religionem cujuſque fieret inquiſitio. Hoc conſideravit & Alexander Severus, quum ipſe gentilis Chriſtianis templum Romæ concederet. Et ante eum Trajanus atque Adrianus eadem reſcripſerunt. Conſtantinus denique Magnus omni ſolicitate auctus eſt, quod Chriſtianis, nequicquam reclamantibus gentilibus pêrmitteret, ut certa ſtatutaque loca haberent, in quibus ſuos conventus agerent. Apud nos ſanè in Germania Conſtitutio pacis in Religione à Cæſaribus & Ordinibus Imperii ſancita, atque ſæpius confirmata, adhuc magno cum fructu viget, tantumque abeſt, ſi ea in genuino & vero ſenſu ſarta tectaque ut dicitur conſervatur, ſeditiones & tumultus nec exiſtere, ut dira bella, & odia, ſub prætextu religionis antea excitata, multis annis hactenus ſopita ſint, & quieſcant. Unde videre licet nonnullis locis conjuges in religione diſſentire; parentes & liberos, fratres & ſorores; nec non & conſanguineos, diverſa ſacra ſequi; ſed tamen in politicis & domeſticis rebus concordes vivere, & ſuum officium abſque diſſenſione facere. Inprimis vero hæc politica converſatio tranquilla apparet in celeberrima quadam Imperii urbe, quæ intra mœnia ſua claudit quinque imperii ſtatus, Pontificiorum Romanorum ritus ſequentes, à quibus ipſa ſola diſſentit, & beneficio pacis ſancitæ gaudet, atque ſuam libertatem, in tanta diſcrepantia religionis pacate tuetur. Faxit Deus, ſi non una & vera Religio, & integra conjunctio animorum & corporum expectanda eſt, ut ſaltem hæc Alcyonia qualiacunq;, inviolata perpetuo maneant; nam non deſunt inquieta & turbulenta inge-

ingenia, quæ cum habeant acetum in pectore frigidam subfundere, & turbata aqua, anguillas captare, ut est in proverbio, tutuntur. Unde animadvertimus, quod prudentiores omnes sævitiam eorum detestantur, qui ferro, flamma, flumine, fune, religionis ritus præsertim contra eos, qui non præfractè in capitibus & fundamento fidei, absint modo seditiosæ actiones & contemtus magistratus, sed in ceremoniis & traditionibus humanis ab eis dissentiunt, tuendos arbitrantur. Religio enim libertate gaudet, neque in animis hominum invitis radices agit, neque cogi se patitur. Quis autem imponat mihi necessitatem, inquit Lactantius, vel credendi quod nolim, vel quod velim non credendi? Nihil enim tam voluntarium, quam Religio, in qua si animus adversus est, jam sublata, jam nulla est. Hinc videmus, sicut nuper legatus potentiss. Regis cujusdam, prudenter monuit, animum nobilissimam hominis partem & auræ divinæ igniculum, præsertim Evangelica luce illustratum, nullis bellorum ærumnis premi, nullo fidicularum aut equuleorum genere cogi posse ad ea dogmata suscipienda, quæ vel à ratione, vel divinis scriptis aliena judicet, præsertim cum neque precibus ullis, neque violentia, aut cruciatus acerbitate veritas in rebus conscientiam piam, & de sua salute solicitam spectantibus, eruatur & propagetur, sed amica & benevola collatione, & ejusmodi colloquiis & Synodis, quales prisca Ecclesia plerasque novit, nostra vero ætas hactenus desiderat, &c. Unde Augustinus religionem inducendam & fovendam censet docendo magis quam jubendo, monendo quam minando. Ideoque ubi vis adhibetur, & mentes ad religionem adiguntur, purpuræ potius, ut ille ait, tuæ cultores efficies, non Dei, & contemptus omnis religionis facillimè nascitur, efficiturque ut pro sincero cultu divino, quum de eo, ad quem compulsa mens est, vel dubitat, vel eum adversatur, neq; ad eum à quo descivit, tuto redire licet, incipiat negligētia vagas habere cogitationes, & quam plurimum in imum gurgitem profanitatis demergatur. Siquidem animis hominum non ita imperatur ac linguis. Inde nihil ansi latrocinia oriūtur, & rapina magistratusque contemtus & audaces adversus eum conspirationes & seditiones. Id sane in vicinia præ cæteris regnis hoc nostro tempore experitur olim felicissima, nunc autem dolendum sane, afflictissima Gallia, quæ jam ferax est, ut historici libelli testantur non solum seditionum, sed etiā Atheistarum. Quæ omnia ab iis quam longiss. abesse solent, quibus sua cordi religio est, sique ea propter semetipsam, & non propter aliud amatur & colitur. Mentium enim Rex, ut idem D. Augustinus ait, Deus est. Cæterum olim inter Christianos inaudita res fuit, de fratre aliquo suo supplicium sumere, etiamsi, modo abesset blasphemia, in aliquibus religionis nostræ dogmatibus erraret. Exemplum habemus in Priscilliano Episcopo. Is enim quam propter nefandas hæreses in aliquot conciliis, & tandem in quodam conventu

ventu Burdegalenſi à divo Martino aliiſq; piis viris hæreticus pronunciatus eſſet, cum Itacus & Urſatus Epiſcopi, religionis ſtudio (ut ſibi videbantur) moti, apud Maximum Imperatorem accuſarunt effeceruntq; ut de illo ſumptum fuerit ſupplicium, & aliquot millia Priſcillianiſtarum capite damnati ſint. Ob hanc rem Sigebertus ordinis divi Benedicti religioſus, autor fuit, ut D. Martinus & alii complures, licet univerſam ſectam illam hæreticam pronunciarent, tamen Itacum ejuſque gregales omnes ab Eccleſia excommunicarint, ita ut ab Itaco, Itaciani hæretici dicti fuerint, qui ſecundum Itaci opinionem errantes in religione homines capite plectendos cenſerent. Tandem Dominicus autor unius ex quatuor mendicantium ordinibus primus incendia & uſtulationes inter Chriſtianos religionis ergo invexit, ideoque ejus imitatores adhuc Inquiſitionem tanquam peculiarem ſibi vendicant, & multis in locis ſevere eam exercent. Tradunt autem matrem ejus, jam jam eum enixuram, ſomniaſſe ingentem canem ſe parere, qui ardentem torrem ore geſtaret. Qui torris deſignavit fortaſſe rogos, quibus in cinerem redacta eſt infinita hominum multitudo.

Caput LIX.

De nefandis ſacris Iuliani Apoſtatæ, & ejus ſceleratis actionibus, nec non & de victimis humanis memorabilia quædam.



ETſi res geſtas & exitum Juliani Imperat. Ammianus Marcellinus, & alii ejus fautores, inter quos fuit Libanius, honorifice recenſent, & ſapientiam, pietatem atque ejus virtutes heroicas, præſertim continentiam & caſtitatem prædicant atque commendant: tamen plerique alii hiſtorici, de ipſius ſceleratis & flagitioſis actionibus & horrenda morte conveniunt. Scribunt enim, quum in prælio contra Perſas haſta cœlitus vulneratus eſſet, hauſtum cava manu proprium cruorem verſus cœlum adſperſiſſe, cum hac blaſphema voce erga Chriſtum, à quo impiè deſciverat: VICISTI TANDEM GALILÆE: ſicut commemorant Theodoricus, Caſſiodorus in tri-
Lib.3.c.35. partit. & Nicephorus, qui & illud refert, Julianum jam moriturum anima
Lib.6.c.47. ſecedente à corpore, divinius quodammodo quam pro hominum capta
Lib.10.c.35. potuit, oculos intendiſſe, ita ut Chriſtum viderit, & exclamaſſe: Saturare

Nam-

Nazarene. Unde D. Hieronymus de ipsius morte sic scriptum reliquit: Julianus Augustus, septem libros in expeditione Parthica adversus Christum evomuit, & ut ipse solebat dicere Galilæum statim in prælio sensit, & mercedem linguæ putidissimæ, conto in iliis perfossus, accepit. Fuit is Julianus, postquam erga idolorum cultum ferri cœpit insania, callidior cæteris persecutor, non vi, neque tormentis, sed præmijs, honoribus, blanditijs, persuasionibus, majoremque populi partem, quam si atrociter pulsasset, elisit. Tanta etiam ad decipiendum subtilitas & calliditas ejus fuit, ut infelices Judæos vana spe ad instaurandum templum Hierosolymitanum instigaret, qui tamen terræ motibus, & igneis globis depulsi sunt. Consecutus est autem exitum vita sua anteacta dignum. Ut enim Christianis (quos, posteaquam ab eorum fide desciverat, & ob eam rem apostata appellatus fuerat, acerbissimo odio excogitatis novis & subdolis artibus nocendi, persecutus est) ægre faceret, edicta publicavit, & rursus jussit aperiri templa idolorum, & eis sacrificari. In numismate autem symbolum fecit: Jovem diadema ipsi imponentem, Palladem ipsi chlamydem, Mercurium tribuentem ipsi sceptrum. Eodem modo dedit operam, ut in publicis imaginibus juxta ipsum Jupiter depingeretur, velut è cœlo apparens, coronam & purpuram quæ sunt imperij insignia ipsi præbens, Mars item & Mercurius in eum intuentes, & tanquam obtutu oculorum testificantes, quod vir esset tum in dicendi arte, tum in re militari spectatus: Oraculum insuper Apollinis, quod nato Christo, sicut & reliqua, sublata potestate tenebrarum, virtute veræ lucis obmutuerat, instaurare decrevit, ad hanc rem peragendam Oribasio Medico ac quæstore suo Delphos misso, qui cum eo pervenisset, & opus inchoasset, cum tale à dæmone oraculum accepisse, refert Cedrenus Græcus historiæ scriptor:

Ruffin. lib 1. c. 32. Ecclesi. histor.

Sozomenus lib 5. c 16. Eccles hist.

Corruit artifici vario Cortina labore
Constructa, hoc regi redeuntes dicite vestro.
Nec casa, nec Phœbi reddens oracula laurus
Ulla super, nullæ veniunt à fonte loquelæ:
Extincti laticesque profunda silentia servant.

Huc etiam spectant versus, quos citat Porphyrius libro περὶ τῶν λογίων φιλοσοφίας, tales videlicet,

οἴ οἴ μοι τρίποδες στοναχήσατε οἴχετ' Ἀπόλλων
οἴχετ', ἐπεὶ φλογόεν μεβιάζεται οὐράνιον φῶς.
Væ, Væ, mihi tripodes lugete, perijt Apollo;
Perijt, quoniam ardens mihi vim infert cœleste lumen.

Simile aliquid Augusto accidisse legimus. Cum enim is, facto semel atque iterum ex hecatombe sacrificio omnium maximo, Apollinem Delphi-

Ll cum

cum conſuleret, ecquis ipſi in Romano imperio ſucceſſurus eſſet; parva interpoſita mora, verſibus Græcis, cur oracula evanuiſſent, in hanc ſententiam de Chriſti recenter nati numine, ejusque potentia reſpondiſſe traditur.

παῖς ἑβραῖος κέλεταί με θεοῖς μακάρεσσιν ἀνάσσων
τὸν δ' ὅμον προλιπεῖν, καὶ ἀΐδην αὖθις ἱκέσθαι.
λοιπὸν ἄπιθι σιγῶν ἐκβωμῶν ἡμετερείων.
Me puer Hebræus divos Deus ipſe gubernans,
Cedere ſede jubet, triſtemque ſubire ſub Orcum.
Aris ergo dehinc tacitus diſcedito noſtris.

Edito eo oraculo Auguſtum poſtquam in Urbem rediiſſet, aram maximam in Capitolio extruxiſſe cum tali inſcriptione ferunt: ARA PRIMOGENITI DEI. Sed ut ad Julianum revertamur. Igitur cum his, quæ diximus, non contentum, ſcribunt inſuper alia horrenda magica ſacra inſtituiſſe. Nam cum Carris iter in Perſas faceret, ſpeluncam quandam ſubiens, ibi ſceleſtis ſacris operatus eſt, iisq; peractis, paucis conſciis hujus rei adhibitis, fores ſeris occluſit, ac conſignavit, appoſita cuſtodia. Eo autem in illa expeditione interfecto, fores ejus ſpeluncæ paulo poſt à curioſis hominibus, qui noſcere cuperent, quid Imperator ibi tam ſerio cuſtodiri juſſiſſet, apertæ ſunt, in qua inventa eſt, muliercula capillis ſuſpenſa, extenſis manibus, ex cujus pectore crudelis ille apoſtata, ventre diſſecto, victoriam ſcil. de Perſis explorare voluerat. Antiochiæ vero & alibi in abſtruſis & ſecretioribus locis, arcas humanis capitibus plenas, & puteis multorum ſubmerſa corpora virorum inventa, reliquias Julianicorum ſacrorum, ſcribit idem Cedrenus & Godfridus Viterbienſis, nec non Urſpergenſis. Hoc genus ſacrificij, quod Græci ἀνθρωπομαντείαν appellant, id eſt, divinationem ex mactatorum hominum viſceribus, Imperatorem Heliogabalum, non ſolum bipedum, ſed etiam quadrupedum ſceleratiſſimum monſtrum, quoq; in uſu habuiſſe, traditum eſt, lectis ad hoc pueris nobilibus & decoris per omnem Italiam, patrimis & matrimis, ut major eſſet utriq; parenti dolor, qui paulo poſt hujus ſceleris pœnas dedit. Nam crudeliter interfectus, & in latrinam conjectus, inter fœda excrementa computruit. Adrianum alioquin multis virtutibus ornatum Imperatorem etiam talibus Magicis ſacris multum tribuiſſe teſtatur Dio in ejus vita, adeo ut Antinoum eximiæ pulchritudinis puerum, quem etiam in delitiis habuerat, in Ægypto immolaverit, eumque inter Deos retulerit. Quo in loco poſtea urbem conditam ab eo denominavit, eiq; ſtatuas per univerſum orbem terrarum (quæ noſtro tempore paſſim Romæ videntur) erexit. Valerianus quoque Imp. ejusmodi ceremonias impuras, & incantationes execrabiles, ac ſacrificia abominanda perfecit, miſeros pueros mactavit, infelicium parentum liberos immolavit, nuper nata viſcera ſcru-

In Chronic.

Ælius Lampridius.

Euſeb. lib. 7. c. 9. Eccleſ hiſtor.

ſcrutatus eſt, & figmenta Dei, quaſi ex hiſce facinoribus fortunatus, diremit ac reſcidit. Ideoque infelicisſime regnavit, & tandem in prælio captus à Sapore Perſa inſtar ſcabelli ejus pedibus ſubjectus eſt, donec in hac miſeria conſeneſcens, vivus excoriatus fuit. Hæ ſcelerata & abominandæ immolationes, olim apud Hetruſcos ſolennes fuere, ſicut ritus earum in marmoreis monumentis, in hodiernum diem conſpiciuntur, inprimis autem Peruſii unum adhuc integerrimum, ex tanta vetuſtate, magna cum admiratione vidi. Et ſub hoc prætextu Romani hanc bellicoſam gentem ſublatis illis odioſis victimis humanis, facilius devicere. Ut autem taceam de ſacris literis ubi legimus inter Judæos ritus gentilium, deſerto vero cultu divino ſectantes, ſimiles ἀνθρωποθυσίας uſitatas fuiſſe: negari non poteſt Galliis quoque eas olim frequentatas eſſe, ob eam rem multi ſunt in ea opinione, inter quos eſt Gervaſius, quem allegat Rob. Gaguinus, Arelaten. Aram latam à priſcis appellatam. Nam in eo loco, inquit, prope civitatem, quæ Rocheta dicebatur, duæ columnæ extructæ erant, & ſuper eas ara impoſita, ubi quotannis ad Calend. Majas frequens undique populus humanas hoſtias pro ſua ſoſpitate mactare conſueverat. Itaque tres juvenes emtos anno toto ſaginabant, quos conſtituto die ad ipſam aram immolabant, victimarum ſanguine circumſtantem populum aſpergentes. Quem ritum divus Trophimus ex LXXII. Chriſti diſcipulis, illuc ex Judæa miſſus, ſuſtulit: docens non cruore mortalium hominum, ſed Chriſti ſanguine illos debere aſpergi. Has ſuperſtitiones occidentalibus Indiæ populis, quos Caribes appellant, adhuc uſitatas eſſe poſt alios Benzo affirmat. Ii enim ad bella Chiappem idolum ſuum deferunt, eique priusquam expeditionem ineunt, lectas humanas victimas ex captivis mactantes, pluribus ſacrificijs litant, totumque ipſius ſimulacrum ſanguine oblinentes, carnes inter ſe ipſi epulantur. Quod ſi quis de gentium ſimilibus impijs & nefandis immolationibus plura deſiderat ſcire, is earum ritus quam breviſſime, ſed accurate ex Lactantio Firmiano, Macrobio, Cicerone, Platone, Dionyſio Halicarnaſſ. Oroſio, Diodoro Siculo, Euſebio, Luciano, Cyrillo, Tertulliano, Plinio, Suetonio, Solino, Mela, Procopio aliisque autoribus collectos, inveniet apud Lilium Gyrald. in hiſtoria Deorum.

Lib. 10. hiſt. Francor.

In hiſt. novi orbis l. 2. c. 6.

Syntag. IV.

Caput LXI.

Penates & Palladium apud Romanos, & Ancile quid fuerit, Nec non de aliis ſtatuis, & picturis fatalibus memorabilia.



Apud Veſtales (quæ in tanto honore apud Romanos fuerunt habitæ, ut ſi extra atrium Veſtæ una ex ijs prodire vellet; niſi præcedentibus faſcibus, & cum magno comitatu matronarum præcipuarum, ob honorem ſacerdotij; fas non eſſet) ubi ignis perpetuus in penetralibus ſacris, velut ſanctiore receſſu aſſervabatur, colebatur Palladium, & Dij penates Troja advecti, velut fatale pignus imperij, idque cum tanta veneratione vel potius ſuperſtitione, ut nulli hominum niſi Veſtalibus & pontificibus adire fas eſſet. Ea autem eſt hominum ſuperſtitionibus imbutorum perſuaſio, ut ſacra, à quibus procul arcentur, vehementius expetant; & occultam vim ijs majorem ineſſe opinentur. Natura enim vulgus ita eſt comparatum, ut plerunque id optimum & ſalutiferum judicet, quod non intelligit. Traditum autem eſt Deos illos fictitios Troia allatos, fuiſſe duos juvenes veteris artis & operæ, parvis imagunculis, ſedentes, & more militari pilam tenentes, tametſi Palladium ab Ænea advectum nonnulli Apollinem & Neptunum ferant: alij Trojanam Palladem Romæ & Lavinij & alijs in locis demonſtratam fuiſſe tradunt, ita ut non conveniat inter autores, neque etiam multum referret, ſi in hiſtorijs non tam frequens mentio hac de re fieret, qualia iſta idola fuerint, ſatiusque eſſet, ea nunquam extitiſſe. De qua re etiam Pierius multa memoratu digna recenſet, eſtque in illa opinione, Palladium fuiſſe ſcutum ut opinabantur, cœlo delapſum. Apollodorus ſcribit, Ilium, quum ex oraculi ſententia in tumulo Phrygiæ Ates vel Noxæ dicto urbem Ilium condidiſſet, & Jovem precatus eſſet, ut ſignum ſibi aliquod oſtenderet: poſtridie ubi illuxit, à Jove dimiſſum Palladium ante tabernaculum conſpexiſſe. Id erat magnitudine trium cubitorum, ac pedibus ita compoſitis, ut ambulare videretur, dextraque elatam haſtam, at læva colum fuſumque gerebat. Pergit quoque idem Apollodorus narrare fabellam ſane ridiculam, quam ipſe, appellat hiſtoriam de Palladio, eam, ut rectius cognoſcatur, quam denſis & abſurdis tenebris gentiles iſti immerſi fuerint, huc aſcribere volui. Minervam ajunt, apud Tritonem, cui filia Pallas erat, educa-

Alexand. de Alex. lib 5. c. 17. genial. dierum.

In hieroglyphic lib 41.

De origine deorum. l 5.

educari cœpiſſe. Utraſque autem fuiſſe rei bellicæ ſtudioſas, & in contentionem aliquando veniſſe. Verum quum Pallas Minervam eſſet vulneratura; Jovem pavefactum illi Ægydem oppoſuiſſe: eam vero territam reſpexiſſe, atque ita à Minerva vulneratam concidiſſe. At Minervam ea de cauſa ſummo dolore affectam, ſimulacrum illi ſimile confeciſſe, ac thoraci pectorique ejus quam pertimuerit Ægydem accommodaſſe, & apud Jovem honoris ergo conſtituiſſe. Deinceps autem Electram per anni peſtilentiſſimam contagionem ad hoc confugiſſe, ac ſecum id Palladium in terra Iliaca expoſuiſſe. Illum poſtea in hujuſce memoria templum à ſe conditum ſummopere coluiſſe. Cedrenus Græcus hiſtoriæ ſcriptor putat Palladium ligneā Minervæ, quæ eadem Pallas dicitur, imaginem fuiſſe. Ajunt, inquit, id nefandis quibusdam dæmonum conſecrationibus arcanisque ritibus dedicatum, ea vi fuiſſe, ut urbem in qua eſſet, inexpugnabilem conſervaret. Id ſignum Troi Troianorum Regi ilium condituro, philoſophus quidam, & innominatarum præſtigiarum ſacerdos Aſius nomine, dono attulit, in cujus gratiam Tros univerſam ſuam regionem hactenus Epirrhopon appellatam ab ipſo Aſiam denominavit, &c. Perſuaſum autem ita hominibus, vel eos ita faſcinatos fuiſſe, ut his futilibus rebus fidem adhiberent, patet ex Homero, Virgilio & alijs. Græci enim oraculis fidem habentes, invictos Trojanos eorumque urbem fore, quam diu à Palladio cuſtodirentur, putabant. Ideoque Ulyſſes magna cum aſtutia illud clam abſtulit, à quo ad Diomedem perveniſſe dicitur, quem poſtea illud Æneæ in Italiam venienti admonitum neſcio quo oraculo, ut ſomniant, invitum tradidiſſe ferunt. Ob hanc cauſam in tanta veneratione fuit, ut diximus. Tandem ſuperſtitio iſta vaniſſ. in fumum abijt. Tempore enim Neronis, quum major pars urbis conflagraret, incertum volente, aut invito Nerone, inter alia delubra deûm, Veſtæ quoque cum penatibus populi Romani exuſta ſunt, de qua re Cornel. Tacitus locuples eſt teſtis, quamvis non ignorem diverſos diverſe hac de re ſentire. *Lib. 5. annal.* Ancilia quoque Romanis religioſe obſervabantur. Quum enim regnante Numa, morbis & contagionibus civitas infecta eſſet, eaque lues nullis ſacrificijs aut piaculis ſedari potuiſſet; ſcutum æneum è cœlo, in quo fata Romanorum ſita erant, in manus Numæ decidiſſe ferunt. In quo quum Urbis ſalutem ſitam crederent, ne inventu facilis, & ob id furto expoſita eſſet, aliæ undecim elaboratæ artis eadem forma à Mamurio fabro, ne dignoſci poſſent, fieri curarunt, Martique conſecrarunt. Quorum cuſtodes Salij vocabantur, ſicut poſt alios ab Ovidio deſcribitur. Ancilia autem fuerunt figura ovali, ductu quidem oblongiore, ſicut ex Antonini Pij nummo videre licet, quem depingit Pierius. *In hieroglyphic. lib. 43.* Hoc quoque ex eleganti libro Thomæ Porcacij Aretini, quam in ſua vernacula lingua, cum pulcher-

De antiquitatib. funeralib. rimis imaginibus posteritati reliquit, apparet. Unde Ovidius Ancile ita depingit:

Idque ancile vocat, quod ab omni parte recisum est,
Quemque notes oculis, angulus omnis abest.

Similia simulacra & idola aurea, imposita preciosiss. lapidibus quibus divinitas attribuebatur, habuerunt Amorrei, quæ vocabantur sanctæ Nymphæ, *In libro antiquitatum Biblicarũ.* Eæ invocatæ ostendebant eis per singulas horas opera eorum, si vera sunt quæ scribit Philo Judæus, ubi addit, quomodo Angelus Domini, quum neque igne consumi, neque ferro frangi potuerint, in abyssum maris eas submerserit. Sed de his Ethnicis, vel potius diabolicis ludibrijs satis, vel plura etiam quam necesse fuit, quæ potius deridenda & exsibilanda essent, si non posterioribus & longe lateque propagato culto Christiano temporibus non *In annalib. prope finem.* dissimiles fatales statuæ passim, præsertim apud Græcos, celebres, & non absque superstitione in publico conspicuæ fuissent. Hæ Stiochioses vel Sterchiode appellabantur, & pleræque à Latinis, occupata Constantinopoli vel confractæ vel sublatæ fuerunt, sicut Niceta testatur. Latini, inquit Niceta, illa olim decantata, urbis munimenta, quæ à certa partium serie Stœchiode dicuntur, muri ac valli loco excogitata, contra hostes vel aperta vi vel insidijs grassantes (vere an secus dicere haud possum) evertere statuerit, ea præ- *Lib. 3. c. 5.* sertim quæ contra suam gentem facerent. Eadem forte ratione Stœchades insulæ maris mediterranei tres adversus Galliam, ita olim appellatæ fuerunt, quod ordine jaceant Massiliensium littori oppositæ, de quibus Plinius prolixius scribit. Unde cum alijs æneis statuis quæ basibus emotæ, & in ignem conjectæ sunt, nec anteriorem sinistram ungulam equi ænei qui in albo quadrangulo marmore in Tauro stat, virum quemdam heroico robore & spectabili vultu tergo vehens, nec ipse admirationis expers, ob exquisitum omnium membrorum artificium, phaleris undique tectus, hinniens, auribus velut ad tubæ clangorem arrectis impervestigatam reliquerunt. Hunc alij Pegasum esse dicunt, sessorem Bellerophontẽ: alij Jesum Navis filium, equo (quisquis ille sit) insidentem: idque ex habitu constare, quod dextra [illegible] currum Solis & Lunæ extenta, cursum eorum sistat, & globum æneum in [illegible] manus vola teneat. Proinde malleis equi calce revulsa, humanam subtus imaginem reperiunt, quæ majori ex parte Bulgarum aliquem repræsentabat, clavo transfixum, & plumbo undique cinctam, non autem Latinum referebat, quemadmodum jam diu à multis ferebatur. Ea imago fabro argentario conflanda data est à Latinis, haud sane prorsus à timiditate, ut per eorum contemtum aliquis interpretari queat, sed quia omnia tentabant, omnia moliebantur, ne urbe quam occuparent, exciderent, ne hujusmodi quidem rumores, qui non sine caussa ab omnibus celebrarentur, sed verisimilem conjecturam

statuam haberent, negligendos putabant, nulla in re negligentes, &c. Eadem superstitione captus Manuel Imperator, pugnaturus cum Pannoniis, statuam fatalem Hungaris dejicere jussit. Dum n. copiæ contrahuntur, idem Nicetas inquit, audit duarum mulierum æ nearum statuarum, quæ in occidentali fornice fori Constantini sitæ sunt, alteram, quæ Hungarissa dicatur, erectâ stare, alteram nomine Romanam, vetustate, collapsam esse. Quo intellecto statim illam dejecit, hanc reposuit: ea statuarum mutatione, se fortunam etiam gentis utriusq; mutaturum ratus, & rem Romanam erecturum Hungaricam depressurum, &c. Theophilus quoq; Imperator Græcus non caret reprehensione, quod ejusmodi ludibriis Johannis Patriarchæ magicis indulserit. Etenim aliquando (ita refert ex Cedreno Zonaras) quum infida atq; sæva quædam gens, tribus ductoribus usa, Romanam ditionem infestaret, eaque res Theophilum uti par erat, solicitum teneret: Jannes ille cum dimissa animi ægritudine optime de rebus sperare jusserat, modo ipsius cõsilio parere vellet. Consilium autem tale erat: Inter æreas statuas, quæ erant in Euripio Circi, statua quædam extare ferebatur triceps. Tres ergo malleos æreos fabricari jubebat Jannes eosq; tradi viris manu validis, qui constituta noctis hora secum ad statuam illam accederent, iisq; quum ipse mandasset, capita fortiter ferirent, dum eo veluti uno ictu atq; impulsu in terram dejicerent. Gratum hoc consilium Imperatori fuit. Ergo magna jam parte noctis exacta, cum viris istis patriarcha (qui ne agnosceretur, profano habitu se induerat) ad statuam venit, magicoq; carmine recitato, iisq; robore, quod inerat statuæ, adempto, viros omni vi percutere capita statuæ jubet. Eorum duo validissimis ictibus duo capita statuæ, decusserunt: tertius remissius aliquanto feriens inclinavit quidem, non tamen à corpore totum evellit caput. Eodẽ modo cum gentis ejus ducibus actum fuit. Nam seditione coorta atq; eâ in pugnam intestinam evadẽte, duo de ducibus ceciderunt: tertius vulnus accepit, sed non lethale, nihilominus tamen rei gerendæ eo facto inutili gens ea viribus suis destituta domum rediit. Idem Zonaras ibidem de Alexandro fratre Leonis ita [illegible] cum præstigiatores percunctaretur, an diu victurus esset, audivit ex [illegible] longævum si apro æneo in theatro dentes & pudẽda addidisset. Eum enim ipsius elementum esse, qui adversus Leonem fratrem ejus staret. Neq; ulla in re alia rectè judicarunt, nisi quod hominẽ gulæ conviviisq; mancipatum, luxuq; continenter diffluentem, sui compararunt. Credidit homo porcus amentior illorum verbis easq; partes æneo operi adjecit: &c. Et paulo post in vita Imperatoris Romani Lacapeni, scribit. Statuam in summo fornice Xerolophi versus occasum positam Simeonis Ducis Bulgarorum figuram repræsentasse, & Imperatorẽ a nonnullis persuasum esse, si ejus caput amputaretur, Simeonis interitum consecuturum. Quo paulo post facto, eadẽ hora, Sy-

In annalib. lib. 3.

In annalib. tom. 3.

ra, Simonem ex dolore ſtomachi vita defeciſſe, ut poſt Imperatori tempus obitus ejus diligenter ſcrutato, eſt ſignificatum. Eadem ſuperſtitione, quum futura cognoſcere cuperet, Euphroſina conjux Alexij Angeli Imperatoris, ænei apri Caledonij roſtrum præcidit, qui ſetis horrentibus & exertis dentibus leonem in Hippico invadit, præterea aliarum quoque ſtatuarum partes aliquas mutilavit, nonnullis capita malleis contundebat, ſicut Nicetas memoriæ tradidit. Hunc aprum Calydonium poſtea Iſaacium Angelum Imperatorem in magnum Palatium ex Hippico tranſtuliſſe, & ea ratione temerarij & apro non diſſimilis populi rabiem cohibere voluiſſe, idem ſcribit. Ubi quoq; Minervæ ſimulachrum, in foro Conſtantini columnæ inſiſtens, prolixe deſcribit, quod à plebe ideo confractum fuit, quia exiſtimabat id pro exercitibus occidentalibus, ut eos alliceret, conflatum fuiſſe. Ex hoc genere ſuperſtitioſarum vel Magicarum ſtatuarum ea fuit, cujus mentionem faciunt Annales Turcici non ita pridem editi hiſce verbis. Quum Muchemetes capta Conſtantinopoli hinc inde per urbem obequitaret, obſtupeſcens ad inuſitatas ædificiorum formas; & in Atmindanem perveniſſet, columnam ibi lapideam vidit, cui triplex erat impoſitus ſerpens aheneus, idemq; triceps illum conſpicatus, quidnam hoc eſſet idoli quæſivit, ſimul in eum cõtorta magna vi clava ferrea quam puſdiganum Turci vocant, uni de tribus illis capitibus ſerpẽtinis labrum inferius comminuit. Quo facto, mox ſerpentes in urbe magno conſpici cœpere numero. Quapropter auctores ei fuere quidam, ut miſſum deinceps illum ſerpentem faceret, quando per id ſimulachrum effectum fuiſſet, uti ſerpens in urbe nullus eſſet. Hinc ea columna in hodiernum diem adhuc durat: Et quanquam unius ahenei ſerpentis inferiore labro dejecto, ſerpentes in urbem venerunt: nocere tamen nemini poſſunt. Erat etiam erectus equus aheneus, cui ſtatua quædam equeſtris inſidebat. Utrumq; Muchemetes demolitus eſt. Fertur autem hac ſtatua peſti perclu-

Li 3. annal.

In pandect. hiſt. Turc. n. 130.

ſus fuiſſe aditus, quo minus in urbem penetraret, ac in ea graſſaretur, &c. Ubi Leonclavius noſter ita hunc locum eleganter explicat: Atmindan ſignificat Turcis eum Conſtantinopoli locum quem ab equorum curſu Græci dixerunt Hippodromum. Nam ſi verbum verbo reddas, At & Mindan ſignificat equorum locum capacem & amplum. Columna ſerpentina nunc etiam ſupereſt ex ære facta, ſic ab imo convolutis inter ſe ſpiris ſerpentis triplicis, ut in parte ſuperiori tandem ſeſe tres cervices, triaque ſerpentina capita dividant ac ſeparent in formam triquetram, quibus quondam accepimus impoſitum ab urbis conditore Conſtantino Magno fuiſſe plurium ſcriptis celebratum illum tripodem Apollinis Delphicum. Quod ait, effectum fuiſſe per hoc ſimulachrum, ut eo durante nullus eſſet in urbe ſerpens ex opinionibus Græcorum Muchemeti relatum fuit, quorum in libro manu ſcripto de

urbe

urbis ædificiis, quem habemus, Stichioſes ejusmodi (ſic enim appellant) ſtatuarum variæ leguntur, & quidem ab Apollonio Tyanæo profectæ, ſiquidem vera narrant: Certe quod ſtatim ſequitur, de ſtatua equeſtri ahenea deſtructa, qua peſti præcluſus fuerit in urbem aditus, ſuperſtitioſis videri poſſet aliquam mereri fidem, quum ſingulis annis ea nunc fœde menſibus æſtivis calidoribus graſſetur. Qua nos iſtuc æſtate venimus, abſumſiſſe credebatur intra quatuor menſes hominum CI CIↃ. nec anno ſequenti pauciores interierunt. Hæc ex Leonclavii Pandectis Turcicis, cum ſint memorabilia & rara, deſcribenda duxi. Cæterum non minus memorabile eſt, quod Rodericus Toletanus de arca quadam fatali ſcribit, quæ fuit aperta paulo ante à Roderico Rege, ducto avaritia, quam Arabes & Saraceni ex Africa, inſtigante Comite Juliano, cujus ſupra mentionem fecimus, in Hiſpaniam irruerent, & profligato Roderici exercitu, eoq; occiſo, eam ſubjugarent. Erat tunc temporis, inquit, Toleti palatium à multorum Regum temporibus ſemper clauſum, & ſeris pluribus obſeratum. Hoc fecit Rodericus contra omnium voluntatem aperiri, ut ſciret quid interius haberetur. Sperabat enim theſauros ingentes reperire. Sed præter unicam arcam nihil invenit, qua aperta reperit pannum, in quo Latinis literis erat ſcriptum; Quum contigerit ſeras frangi, arcam atque palatium aperiri, & videri quæ inibi haberentur; fore ut gentes ejus effigiei, quæ in eo panno erant depictæ, Hiſpanias invaderent, & ſuo dominio ſubjugarent: quod Rex videns, doluit aperuiſſe, & ut erat prius, fecit arcam & palatium claudi. Erant autem in panno depictæ facies, ut vultus diſpoſitio & habitus Arabum *adhuc monſtrat*, qui ſua capita tegunt vittis ſedentes in equis, habentes veſtes *diverſis* coloribus variegatas, tenentes gladios & balliſtas, & vexilla *in altum tenſa*; qua pictura Rex & proceres timuerunt. Eſt profecto ſemper ſui ſimilis Sathan, nam ea ludibria, quæ ante natum CHRISTUM per oracula & mirificas atque ambiguas reſponſiones, quæ potentia CHRISTI deſtructa fuere, effecit: deinceps aliis magicis & ſuperſtitioſis modis & artibus, cum ſit verſipellis & mille artium artifex, excitatis fatalibus ſtatuis, figuris & picturis, efficere & hominibus curioſis imponere conatus fuit.

De reb. Hiſpan. lib. 3. cap. 17.
Cap. 7.

Caput LXI.

Diadema & Citaris qualia ornamenta regia fuerint, & de Donatione Constantini nonnulla.

Laurentius Valla patricius Romanus Joannis Lateranensis Canonicus, Alfonsi Regis, & Pontificis Secretarius apostolicusque Scriptor (sicut inscriptio ejus monumenti in eodem templo testatur) in sua declamatione, de falso credita & ementita Constantini donatione, dum consarcinatorem ejus multis salibus & facetiis tanquam imperitum & insulsum hominem aspergit, inter cætera cum ob inscitiam & ruditatem mirifice exagitat, quod Diadema putaverit esse coronam regiam ex auro puriss. & gemmis preciosiss. Ignoravit, inquit, homo imperitus, Diadema è panno esse, aut forte è serico. Unde sapiens illud Regis dictum celebrari solet, quem ferunt traditum sibi Diadema, priusquam capiti imponeret, retentum diu considerasse, ac dixisse: O nobilem magis quam felicem pannum! quem si quis penitus agnosceret, quam multis solicitudinibus, periculisq; & miseriis sit refertus, ne humi quidem jacentem vellet tollere. Hanc sententiam Vallæ veram esse, ut ex multis historiarum locis patet, ita præ cæteris ex memorabili, quæ apud Justinum extat. Ita enim scribit: Sed Lysimachum desiliens equo Alexander hastæ cuspide ita in fronte vulneravit, ut sanguis aliter claudi non posset, quam diadema sibi demptum Rex alligandi vulneris causa capiti ejus imponeret. Quod auspicium primum regalis majestatis Lysimacho fuit, &c. Memoriæ quoque traditum est, cum Cæsaris imagini quidam ex adulatorum numero, coronam lauream candida fascia præligatam imposuisset: Tribunos coronæ fasciam detrahi jussisse, hominemque qui id fecerat, duci in vincula mandasse, simulantes in hoc Cæsari rem gratam facere, qui ad regni mentionem subirasci consueverat. De simili diademate, quod in Lupercalibus Antonius bis capiti Cæsaris imposuit, isq; cum applausu populi rejecit, scribit Dio. Hinc luce meridiana clarius apparet, diadema duci [illegible] id est, regium gestamen ex fascia, vel candida, vel versicolore (sic-
Rib. 24. c. 6. antiq. lect. ut id quoque Rhodig. notat) qua caput circumligabant Reges, nec non & Reginæ, ex qua insigne regium, dignosceretur, quo ferunt id inventū Bacchi
Plin. lib. 17. cap. 56. fuisse. Nam olim Reges hastas pro diademate habebant, quas Græci [illegible] dixere.

dixere. De qua re si aliquis adhuc dubitet, cum præsertim Persarum Regum diademata peculiaria fuerint, is legat Arrian. ubi inveniet Regem Alexandrum paulo ante suum obitum in paludibus, non procul à Babylone, in quibus multa Assyriorum Regum sepulchra conspiciebantur, navigasse, obortumque ingentem ventum, regium capitis ornamentum, & diadema ei alligatum, abripuisse, atq; illud quidem, utpote gravius, in aquam procidisse: illud vero vento abreptum arundini cuidam, ex iis quæ monumentis Regum adnatæ erant hæsisse. Idq; ab eo futuri casus prodigium habitum. Dehinc nautam quendam enatasse, qui diadema ab arundine avelleret, &c. Hoc insuper testatur virile factum Monimæ Milesiæ Mithridatis Regis uxoris, de qua scribit Plutarchus, quod à Rege attentata, missis etiam quindecim aureorum millibus, non ante tamen obsecuta sit, quam pactio nuptialis intercesserit, missoq; ad eam diademate Reginam Mithridates appellaverit. Quum autem Mithridates à Lucullo victus esset, & vereretur, ne uxores & sorores in manus hostium pervenirent, ex fuga eum immisisse ad eas Bacchidem Eunuchum, ut morte spontanea sese captivitate subducerent. Tunc Eunucho illo jubente, ut quo quævis modo se facilime, & minimo cum dolore morituram putaret, eum deligeret; Monima illa, diadema capiti detractum collo circumposuit, seq; suspendit, eoq; celeriter rupto, ô execrandum, inquit, pannum, ne adhunc quidem usum aptus es? idq; conspuit & abjecit, jugulumq; Bacchidæ præbuit. Hoc etiam apparet ex Appiani historia de bello Mithridatico, cum milites Pharnacem filium Mithridatis Regem appellassent, & quidam ex eis membranam chartamque è templo depromptam in diadematis ejus capiti circumdedisset. A diademate quoq; Metellorum unus dictus diadematus, quod multo tempore circumvagabatur, frontem redimitus. Cæterũ Persarum insigne regium erat *κίταρις* cum cærulea fascia albo distincta, si recta gestaretur. Hoc patet ex Plutarcho. Designavit, inquit, Regem quinquaginta annos natum, permisitq; ut eam quæ Citaris appellatur, rectam gestaret. Hujus rei quoq; illustre testimonium ex Arriano adduci potest, ubi ad Alexandrum Baryaxem Medum captum adductum, ab Atrobate Mediæ Satrapa esse scribit, qui erecta Citari capiti imposita, Persarum ac Medorum Regem se appellasset, &c. Et Q. Curtius dicit: Alexandrum relictis patriis moribus disciplinisq; diadema purpureum distinctum albo, quale Darius habuerat, capiti circumdedisse, vestemq; Persicam sumpsisse. Hoc ornamento capitis etiam usi sunt Reges Armeniæ, sicut ex eodem Plutarcho videre licet, cujus hæc sunt verba: Ipse vero Tigranes nudus & inermis ante Pompejum procidit, sublatumque à capite diadema ante pedes posuit. Quod autem hic diadema dixit Plutarchus, Citarim in Pompejo appellat his verbis: καὶ τὴν θ' ἑαυτοῦ αὐτὸς ἤδη ... ἀφελόμενος τὴν κίταριν ... πρὸς τῶν

Iustin. li. 34. *Lib. 7. de exped. Alex.* *In vita Luculli.* *Plutarchus in Coriolano* *In Artaxerxe.* *Lib. 6. de exped. Alex.* *Lib. 6. de gestis Alexandri Magni* *in Lucullo.*

πεδῶν θεῖναι, hoc eſt, poſtremo (ut ſcilicet Tigranes) ad ipſum Pompejum venit, ſublato à capite cidari ante pedes collocare pergit. Ex quibus facile colligitur, quam perperam autor Donationis illius iſtud vocabulum, ſicut alia pleraque, ſuo commento inſeruerit. Differentiam autem inter commune diadema & Perſicum, cui cidaris vel tiara annexa fuit, erudite & diſtincte demonſtrat Juſtus Lipſius. Hodierno vero die apud Turcas diadematis uſus frequens eſt, quod Tulipantum vocant, licet Sultanæ gemmis variis diſtincto, quod ad ſinciput colligatur, utantur. Ejusmodi diadema, inquit Leonclavius noſter, conficiebat Germanus aurifaber in oppido Galata Johannes Saxo, natus apud Holſatos, huic Sultanæ, Muratis III. conjugi quum filius Muchemete circumcidendus eſſet. Et ibidem Tulipantum ita deſcribit; eſſe lineum tegmen, quo capita Turci candidis involvere ſpiris ſolent: Græcum nunc φακιόλιο appellant: & haberi ab Agarenis pro Symbolo fortitudinis, quo admoneantur in bellū ituri, ne de reditu, ſed morte potius viriliter oppetenda cogitent, quando mortuorum cadavera linteis involvi ſolent. Quoniam autem de hac Donatione & olim, & nuper à Bartholomæo Picerno & Auguſtino Stencho (qui illam Romæ in Bibliotheca Papæ Græca lingua ſcriptam, extare affirmarunt, latineq; ab ſe converſam ediderunt) in orbe terrarum evulgata mentionem fecimus; ſciendum eſt eam olim incognitam, neque in antiquis Decretis inſertam fuiſſe, ut de hac re gravis eſt autor Antoninus, ſuo tempore Archiepiſcopus Florentinus, poſtea etiam inter ſanctos relatus. Nunc autem de ea habetur in c. Conſtantinus 96. diſtin. quod licet ſit, ut inſcriptio indicat, palea, & pro palea illic inſeratur; multum tamen grani attulit Eccleſiæ, ex quo in immenſum creverunt ejus opes, ſicut refert Nicolaus Everhard. & inter cæteras allegat Alber. Roſatis autoritatem, dicentis, ſe audiviſſe à magnis viris, tunc auditam fuiſſe vocem clamantem: Hodie ſeminatum eſt venenum aſpidum in Eccleſia Dei, & hoc reperiri in authenticis antiquis ſcripturis. Et quendam literatum virum tempore Bonifacii VIII. prophetaſſe in ſuis ſermonibus. Per quos paſſus & gradus Eccleſia aſcendit in temporalibus; per eosdem deſcenſuram ad extremam paupertatem Sylveſtri. Imo, inquit, plus dixit Pius II. ut refert Felin. ſuo tempore auditor Rotæ, videlicet, ſe mirari, miſeros Legiſtas diſputare de valetudine ejus quod nunquam fuit. Hactenus Everhardus. Hanc autem Donationem confictam eſſe Laurentius Valla, Raphael Volaterranus, Nicolaus de Cuſa Cardinalis, & Æneas Sylvius, qui poſtea Pontifex Romanus electus Pius II. vocatus eſt, aliiq; complures, inter quos eſt Andreas Alciatus JCtus inſignis, & Huldericus Huttenus eques Francus, manifeſtis conſpicuisque argumentis tradiderunt. Aventinus autem ita dicit: Quæ de Sylveſtro & donatione Conſtantini prædicantur, ficta, falſa, inepta, pugnantiaq; ſunt; miror.

In lib. 11. Annal. Taciti

In pandect. hiſt. Turc. c. 109.

Cap. 240.

In ſuis Chrō. part 1. ante finem.

In loco legali à veriſimili in l. bene à Zenone in x. Col Cod. de quadr. præſcript.

In Dialogo. in c. ſolitæ de major. & obed.

Li. 7. parergon cap. 9.

Lib. 2. Annal. Boiorū.

foretiare tam stolidos, qui credant, & tam impudentes, qui defendere audeant, præcipue cum etiam Pius II. Pontif. Max. vir harum rerum peritus, nugas hujusmodi, ut commenta anilia, fabulamq; inanem rideat, &c. Ita ut ejus autoritas, quæ olim propemodum universum orbem excæcavit, jam ita labefactata sit, ut fere nihil amplius de ea audiatur. Quare Philippus Mor- *In tract. de*
narus dicit, hanc fictitiam Constantini Sylvestro factam donationem doctis- *Ecclesia.*
simorum virorum stylo jam pridem confossam, ab indoctis solis nunc admitti. Etsi autem Didacus Covarruvias Hispanus, Jurisc. præstantiss. post- *Lib. 4. c. 16.*
quam eorum sententiam retulit, qui hanc Donationem tam oppugnarunt, *var. resolut.*
quam propugnarunt, tandem concludit, communiorem opinionem esse, eam valere: Potuit, inquit, donatio ista fieri, neq; ideo neganda est, quod scriptores antiqui ejus non meminerint, præsertim cum sit communi opinione hominum receptum, hanc Donationem à Constantino factam fuisse: tamen ipsemet quodammodo hærere videtur, cum paulo post dicat (liberiorem enim vocem in Hispania emittere ausus non fuit, non secus ac Bartol. fecit, *In præfat. ff.*
ubi de hac Donatione Bononiæ differens: Videte, inquit, nos sumus in ter- *nu. 14.*
tis Ecclesiæ & ideo dico quod illa donatio valuit, cum tamen constet eam aliter sensisse) summos Ecclesiæ præsules præter hanc Constantini Magni donationem, multa jura habere, quibus jure optimo defendi possit jurisdictio urbis Romæ, ejusq; dominium, atq; item reliquarum urbium, quas Ecclesia Romana, sacrosanctaque sedes Apostolica possidet, ex his principum Christianorum largitionib. quarum meminere Alciatus, Eugubinus, Castaldus Remundus, & alii quos ibi recenset. Ex his verbis apparet, eum ipsum aliunde adminicula & fulcra accersenda duxisse, hancq; Donationem solam parum firmam & validam censuisse. Verum enim est, quod nihil fucatum possit esse diuturnum. Huc respexisse ex recentioribus videtur Ferdinandus *In illustrib.*
Vasquius Hispanus JC. insignis, qui quoniam aperte negare & oppugnare *quæst. lib. 1.*
hanc Donationem non audet, astute eam facit dubiam, & tandem Vallæ ad- *cap. 5. n. 26.*
stipulatur. Forte, inquit, interfuit consensus populorum: vel illi principes erant tyranni & violenti, sicq; illud jus, quod habebant qualequale, illamve injuriam & tyrannidem transtulerunt, quæ tempore potuit in jus converti, & his adde, quod diximus de successionum creatione: vel dic, ut per Laurentium Vallensem de ementita Constantini donatione. Eadem ingeniosa dissimulatione utitur Joh. Jovianus Pontanus gravis autor. Nam postquam *Lib. 1. de re-*
ditiones pontificias in Italia ordine recensuit, tantum abest cum mentio- *bus. gestis*
nem donationis Constantini facere, ut in hæc verba prorumpat. Quibus ar- *Ferdin. 1.*
tibus pontifices Max. tantum sibi imperium comparaverint, nequaquam est explicatu facile. Namq; ut initio armis illud sibi vendicaverint, longe aliud arbitrari par est. Genus enim hominum olim quietum ac religioni tan-

tum deditum, &c. Quis autem, obſecro, dicere auderet, tam excellentem hiſtoricum (ut taceamus de antiquioribus, Euſebio videlicet, qui libris V. vitam Conſtantini ſcripſit, Socrate, Theodorico, Evagrio, Rufino, Eutropio, Paulo Diacono, Oroſio, Beda, Zonara, Nicephoro) ignoraſſe ea, quæ paſſim de illa Donatione ab ejus aſſertoribus prædicantur; ideoq; ſi ejus autoritati confiſus fuiſſet, non poſthabita illa, alia argumenta & rationes ad ſtabilendum titulum, ditionis & jurisdictionis Romanorum pontificum, potiores duxiſſet. Id ipſum patet ex Onuphrio Panvinio, qui nullam mentionem hujus Donationis facit, quod ab eo, qui omnia ſecreta & annales Pontificum evolvit, factum non fuiſſet, ſi Donatio illa unquam extitiſſet. Bodinus autem dicit ſe legiſſe in Indice bibliothecæ Vaticanæ, quod quidam Johannes, qui à Digitis cognomen habuit, hanc donationem aureis literis conſcripſerit, verum ibi in fine hæc verba vix Latina addita fuiſſe; Quam fabulam longi temporis mendacia finxit. Manifeſtum eſt igitur Conſtantini ſeculo Eccleſiam, quo plus libertatis, eo etiam plus habuiſſe ambitionis; & homines de martyriis ſecuros, tiaras & diademata ambire cœpiſſe, ut idem Mornæus dicit. Manifeſtum item eſt Conſtantinum Occidentales & Orientales partes Regni ſui, filiis ſuis teſtamento diviſiſſe. Et non tantum Italiæ, verum etiam Romæ urbis imperium penes ejus ſucceſſores per annos CXL. permanſiſſe usq; ad annum CHRISTI CCCCI. Quod ſi initium dominatus Paparum, in Urbe, & in Italia, exactius ex hiſtoricis eruitur: negari non poteſt, eum ſublatis Exarchis demum cœpiſſe, circa annum CHRISTI DCCC. ex Pipini & Caroli Magni liberalitate, quam deinceps Ludovicus Pius & reliqui Imperat. Germanici mirifice auxerunt. Audivi quoq; à fide dignis viris hac de re non illepidam hiſtoriam, quam omittendam non duxi: Venetos videlicet ante aliquot annos à pontifice Romano, poſtquam Anconam in ſuam poteſtatem redegiſſet, interpellatos fuiſſe: Quo jure vectigalia & alias jurisdictiones in mari Adriatico ſibi ſolis vendicarent, cum tamen nulla privilegia hac de re monſtrare neq; jus ſuum docere legitime poſſent. Ad hanc rem eos, & quidem argute reſpondiſſe: Se mirari quod iſta privilegia peterentur demõſtrari, quæ Pontifices ipſi penes ſe jam pridem, & quidem archetypa tanquam rem ſacram diligentiſſime in ſuis Archivis cuſtodirent: eaque facile reperiri poſſe ſi Donationis Conſtantini membranæ pars exterior, in qua ea majuſculis literis conſcripta eſſent, accuratius inſpiceretur. Quid hoc callido reſponſo Veneti ſignificare voluerint, apertius eſt, quam ut prolixiorem interpretationem requirat. Simile reſponſum attribuit Sebaſtianus Monticulus Juris C. Patavinus, Hieronymo Donato, legato Veneto. Ait enim, eum Alexandro Borgiæ Papæ hujus nominis VI. jocoſe interroganti, ex improviſo reſpondiſſe: Oſtendat mihi veſtra Sanctitas inſtrumentum patrimonii S. Petri,

In vita Sylveſtri I.

Lib. 1. c. 10. de repub.

In tractatu de Eccleſia.

In tractatu de patria poteſtate. f. 34.

Petri, & à tergo scriptam inveniet concessionem factam Venetis maris Adriatici. Eodem modo Pontifex Romanus Joannes VII. ficta donatione sedi Romanæ, Abbatiam S. Dionysii, mortuo Carolo Imp. acquirere voluit. Verum cum Ludovicus filius Caroli fraudem intelligeret, nihil obtinere potuit, ut Amonius memoriæ tradidit. *Lib. 5. c. 37. de gest. Francor.*

Caput LXII.

De Lacubus nobilioribus memorabilia.

Lacum Benacum ut omnium Italiæ amœnissimum, si est tranquillus; ita navigantibus periculosissimum esse, si tempestate commovetur, & hodie notum est, & olim à Virgilio in illius descriptione his verbis notatur:

Fluctibus & fremitu assurgens Benace marino.

Etsi autem multi autores (inter quos fuit olim Strabo; nostro autem tempore Julius de Julio à Canobio Jurisc. Gregorius Jodocus Bergomas, Monachus S. Zenonis Veronæ, & Alb. Leander) Benaci laudes & utilitates prolixa descriptione decantarunt: tamen Sabellicus paucis verbis multa comprehendit, ita enim scribit: Est Benacus amœnissimus Italiæ lacus, omnino longior quam latus. Longitudo illi ab occasu brumali ad Aquilonem triginta circiter millia passuum excurrens, quantum illi Mincius ad Meridiem aufert, tantum Sarca fluvius & Ponalis à Borea & Septentrione reponunt. Ipsius aqua ita perspicua, ut si non omnino medium naviges (ubi constat immensæ esse altitudinis) ima fere stagna perspicere liceat; Sed vix tam amœnus est, dum nullo agitatur vento; quam violentus & minax, ubi turbari cœpit: unus ex omnibus Italiæ lacubus, si eminentissimo poetæ credimus, cum vehementer concitus est, marino assurgit fluctu. Pisces alit optimos, in quibus Carpiones principatum obtinent, eorum captura ab extremo autumno in vernum tempus extenditur, ex profundis stagnis summo piscantium labore eruuntur. Utramq; ripam cultissima oliveta vestiunt: his horti passim interjecti felicib. consiti arboribus, quæ citrea, medica, punica, & quæ accolæ ipsi Adamia vocant, habent mala, ora illa, quæ ad Veronensem agrum spectat, ad dextram post Piscariam Lagisium habet, Bordolinum, Gardam, unde postea lacus nomen accepit. Turres Masceniū (quā & Malam silicē audio à quibusdam appellatā) contra vero in ipsis aquis Sirmio est, Catulli poetæ venustiss. patria, cum vestigio vetustatis saxo quod lacui imminet imposita Brixianorum, post Sirmionem Rivoltella, sive (ut aliis placere audio) Rivaltella, *Decad. lib. 2.*

Miner-

Minerbium, Felicianum, Portueſium: extremo loco Salodium totius regionis caput. Montes inde ad Boream aſperrimi ad ripam usque: is locus cum Penetra, quæ non procul inde vivo ſaxo aſſurgit, Tridentini olim agri fuere. Penetranæ arci Nacus prominet vicus, unde Benecum vetuſto nomine lacum appellatum ſuſpicari libet, aut quem mutata litera Benacum dicimus, quia penes Nacum eſſet priſci accolæ Penacum dixerint. Hac[illegible] Sabellicus. Animadverti autem hunc & alios nobiliores lacus, quos ego [illegible]di, plerunque augeri vel colligi à fluminibus, quæ ex altiſſimis montibus, & anguſtioribus vallibus, magno impetu in valles latiores & planitiem deveniunt, in quibus quum patentiora loca ſortiuntur, vim omnem amittunt, & quaſi a rapido curſu quieſcunt, ſi modo in perenni flumine quies eſſe poteſt, donec rurſus aditu patefacto, veluti ex carcere proſiliunt, atq; alacritate quadam, relictis impedimentis, limpidiſſimo curſu erumpunt, in nov[illegible] alveum ſemetipſa conſtringunt. Teſtis nobis eſt lacus Larius, qui [illegible] princeps lacuum dicitur (Hetruſci enim appellant principem Lar[illegible] Larunem & Arunem) Hunc efficit vel in immenſum auget Abdua [illegible] limpidiſſimus, qui ex Rheticis alpibus per Volturenam vallem evo[illegible]

Lib 4. Meminit autem hujus Strabo, Plinius & Virgilius, & noſtro tempore [illegible]

Lib. 2. & 3. 3. Georgic. vius, Epiſcopus Nucerinus, exactam diligentiam in deſcribendo & de[illegible] gendo illo, præſtitit. Itemq; flumen limpidiſſimum, & pellu[illegible]m, ex[illegible] erumpit prope Leucum oppidum, & à vulgo Abda vocatur. Jure [illegible] tabitur ſtupendum, ut Caſſiodori verbis utar, quod ſimile cunctis [illegible]tibus elementum, per pigrum ſtagnum vides ire celerrimum, u[illegible] per ſolidos campos putes decurrere, quem ſe peregrinis undis [illegible] colore poſſe miſcere. Hoc flumen Abduam vel Abdam, quum [illegible] Mediolano Bergomum verſus faceremus, ad vicum Caſanum, rate tra[illegible] Verbanum ingreditur Ticinus, qui ad Seſtum rapidiſſimus & [illegible] egreditur: In Germania noſtra habemus omnium amœniſſimum [illegible]cronium: hic receptis aliquot ignobilioribus, attamen rapidiſſ. amn[illegible] latitudine, vel longitudine, aut etiam profunditate, iſtos quos nomina[illegible] ſi non ſuperat, tamen iis non multum cedit, quem Rhenus, noſtro[illegible]

Ex Lepontiorum jugis ſcaturiens. viorum rex, tranſiens, uti fertur, ſincero curſu, undasq; ſuas virides, [illegible]tegras retinens, neq; auctus nivibus, vel imbribus, craſſiorem ma[illegible] relinquens, prope Conſtantiam lætabundus, magna feſtinatione, ad [illegible]tum curſum, longe lateque perficiendum (qui 1.40. milliaria Germanica [illegible] ſcaturigine usque ad Oceanum excedit) erumpit. Hunc lacum Ammianus Marcellinus appellat Brigantiæ, cujus verba libet aſcribere; qui id ipſum, quod modo de hoc lacu, tunc temporis ignobili, diximus, diligentiſſime

Lib. 15. obſervavit. Inter montium celſorum, inquit, anfractus, impulſu [illegible]

Rhe-

Rhenus discurrens, extenditur per Lepontios, perque deciduas cataractas inclinatione pernici funditur, ut Nilus torrente ab ortu protinus primogenio copiis aquarum propriis irruenti cursu simplici. Jamque adjutus nivibus liquatis ac solutis, altaque divortia riparum abradens, lacum invadit rotundum & vastum, quem Brigantium accola Rhætus appellat, perque quadringenta & sexaginta stadia longum, parique pene spacio latè diffusum, horrore sylvarum squalentium inaccessum (nisi qua vetus illa Romana virtus & sobria iter composuit latum) Barbaris & natura locorum & cœli inclementia refragrante. Hanc ergo paludem spumosis strependo, verticibus amnis irr[illegible]pens, & undarum quietem permeans pigram, mediam velut finali intersecat libramento, & tanquam elementum perenni discordia separatum, nec aucto, nec imminuto agmine quod intulit, vocabulo & viribus absolvitur integris, nec contagia deinde ulla perpetiens, Oceani gurgitibus intimatur. Quodque est impendio mirum, nec stagnum aquarum rapido transcursu movetur, nec limosa subluvie tardatur properans flumen, & confusum misceri non potest corpus; quod ni ita agi ipse doceret aspectus, nulla vi credebatur posse discerni. Sic Alphæus Oriens in Arcadia, cupidine fontis Arethusæ captus, scindens Jonium marè, ut fabulæ ferunt, ad usque amata confinia progreditur. Hactenus Ammianus. Hic lacus etiam Podamicus & ab accol[illegible] Brigantinis, Brigantinus dicitur. Putat autem Bodinus, prædones vulgo à Brigantinis, Brigantes appellari, ut Assassini, ab ea Persarum gente, quæ latronum & sicariorum infamia diutissimè laboravit, ut etiam Paulus Æmilius memoriæ tradidit. Lemanum lacum influit Rhodanus fluvius in illoque veluti delitescit, donec ad urbem Genevam celeri cursu egrediatur. De hoc etiam audiamus, licet succinctè, Solinum. Amnis hic, [illegible] præcipitatus alpibus, primo per Helveticos ruit, occursantium aquarum a[illegible] secum trahens, auctuque magno, ipso, quod invadit, freto turbulentior, nisi quum fretum ventis excitatur. Marcellinus vero de eodem prolixior est. Ait enim libro eodem: Apenninis Alpibus effusiore copia fontium Rhodanus fluens, & proclivi impetu ad planiora digrediens, proprio agmine ripas occultat, & paludi sese ingurgitat, nomine Lemano, eamque intermeans nusquam aquis miscetur externis, sed altrinsecus summitates undæ p[illegible]labens segniores, quæritans exitus viam sibi impetu veloci molit[illegible]. Unde sine jactura rerum per densa paludium fertur, & Sequanos, longeque progressus Viennensem latere sinistro perstringit: dextro Lugdunensem, & em[illegible]sus spacia fluctuosa Ararim, quem Sauconnam appellant, inter Germaniam primam fluentem, suum in nomen adsciscit. Qui locus exordium est G[illegible]rum. Exinde non millenis passibus, sed leucis itinera metiuntur, ubi auctus Rhodanus aquis advenis locupletior, vehit grandissimas naves

In methodo historica.

Lib. 7. de reb. gest. Franc. Cap. 8.

ventorum flatu jactari ſæpius aſſuetas, finituſque inter valles, quas ei natura præſcripſit, ſpumeus Gallico mari concorporatur per patulum ſinum, quem vocant Adgradus, ab Arelate octavo decimo ferme lapide diſparatum. Hucuſque Marcellinus. Hoc accidit etiam in aliis minus nobilibus lacubus, ita ut, appareat, lacus plerunque veluti domitores eſſe fluminum rapidiſſ[illegible]orum, quæ in illis ſuam ferocitatem deponere videntur, donec colle[illegible] viribus, majori impetu, ſed minori noxa, in alveum & intra ripas redacta, ru[illegible] velut ex ergaſtulis, exitum inveniant. Mira igitur videntur, quæ de lacu Aſphaltite in Palæſtina, quem vulgo mare mortuum vocant, comperta ſunt. Is enim lacus non ſolum Jordanem Palæſtinæ fluvium maximum in ſe recipit, ſed etiam retinet. *Lib. 5. hiſt.* Hoc etiam Cornelius Tacitus obſervavit. Ita enim de Palæſtina ſcribit, præcipuum montium Libanum erigit, mirum dictu, tantos inter ardores opacum fidumque nivibus. Idem amnem Jordanem al[illegible] funditque. Nec Jordanes pelago accipitur, ſed unum atque alterum [illegible] integer perfluit, tertio retinetur. Lacus immenſo ambitu, ſpecie m[illegible] pore corruptior, gravitate odoris accolis peſtifer, neque vento imp[illegible], neque piſces aut ſuetas aquis volucres patitur. Incertæ undæ ſuperjecta u[illegible] ſolido feruntur; periti imperitique nandi perinde attolluntur. Certo anni tempore bitumen egerit: cujus legendi uſum, ut cæteras artes, experientia docuit: Ater ſuapte natura liquor, & ſparſo aceto concretus innatat, &c. Lib[illegible] *Lib. 36.* quoque de hoc lacu adducere teſtimonium Juſtini hiſtorici. Ita enim ſcribi[illegible] in ea regione lacus eſt, qui propter magnitudinem, & aquæ immobilitate[illegible] mortuum mare dicitur. Nam neque ventis movetur, reſiſtente turb[illegible] bitumine, quo aqua omnis ſtagnatur; neq; navigationis patiens eſt, qu[illegible] omnia vita carentia in profundum merguntur, nec materiam ul[illegible] tinet, niſi quæ alumine illinatur. Hoc tamen, quod ſuperjecta in ſolido ferantur *Lib. 19.* (pace Taciti, Flavii Joſephi & aliorum, in quorum numero eſt Dio[illegible] Siculus, dixerim) aliter ſeſe habere, ab aliis audivi, & hoc aſſeverat ex neot[illegible] *In Coſmograph. Gall.* hiſtoricis Andr. Thevetus. Scribit enim ſe vidiſſe, quod Arabes a[illegible] in hunc lacum præcipitem dederint, qui ſtatim cum clitellis ſuis ſubmerſu[illegible], neque amplius comparuerit. Sed ut ad meditationem noſtram revertam[illegible]. Aut oportet, ut hujus lacus Aſphaltidis ſuperfluum, arenis Arabicis contiguis abſorbeatur, aut abſceſſus habeat latentes, quibus aqua continuè affluens excipiatur, & occultis meatibus cuniculiſque ſubterraneis alio derivetur. Sicut de mari Caſpio vel Hircano traditum eſt, quod à quibuſdam lacus totius Orbis maximus dicitur. Id enim cum propemodum infinita & maxima flumina in ſe recipiat, tamen ubi iſta immenſa moles aquarum continuo affluenti[illegible] egrediatur, nulli certo conſtat. Ob eam rem lacus quidam in inſula Hiſpaniola immenſæ latitudinis, eo quod multa flumina recipiat, & nulla q[illegible]

deretur

dentur, egrediantur, ab Hispanis mare Caspium, ab Indis autem Haneygaban appellatur. De mari Caspio autem Paulus Jovius ita scribit: Hoc mare manifesto exitu careat, occultis, ut credi par est, haurientis naturæ specubus, & cæcis vadis absorptum. Quod utique mirum est, cum tot influentium amnium perpetuo decursu neque auctum exundet, neque diluta salsugine mitigatum, unquam dulcescat. Toto autem ambitu in ovatam speciem ab Africo per obliquum ad Boream se extendens, Euxino ponto magnitudine fere par evadit, si à ponto Mœotis palus Zabacea hodie vocata recedatur, &c. Mirabile quoque est, quod de Fucino lacu, quem longitudine parem pelago, & Marsis vicinisque maximè omnibus usui esse, Strabo scribit. Mirabile, pergit ibidem, proditum est, illum nonnunquam usque ad montana crescere, interdum autem rursus decrescere, ut mersa prius lacu loca desiccentur, & agricolationem rusticis exhibeant, quæ subterranei humoris transitione occulta quadam ratione sparsim efficiuntur. Denuo autem in unum fontes confluunt, aut omnino deficiunt, aut rursum confligunt, quemadmodum de Amenano per Catanam defluente traditur. Qui quidem annos complures evanescens iterum excurrit. Hæc Strabo. Non minus mirum est, quod de Lugæo olim, hodie vero ab oppidulo vicino, Cyrknitzensi lacu in Carnia narratur. Hunc Ortelius non solum eleganti... depi... ... ita ex Lazio & Wernero descripsit: Hic locus (sic eum voco, nam ... eum lacum, vivarium, aut arvum rectius appellaverim nescio) annis sing... frumentum, piscationem & venationem exhibet. Clauditur is circumquaq; montibus; patet ad sesquimiliarium, minus laxa latitudine; plerisque in locis decem & octo cubitos altus est, & ubi minimum profundus, æquat justam humani corporis mensuram. Ex montibus circum... ... quidam ignobiles procurrunt, suo quisque alveolo, ab orientali ... plaga tres, ab australi quatuor. Singuli quo longius fluunt, hoc mi... ... aquis, terra nimirum ipsos cohibente, donec postremo absor... scrobibus saxeis, ita natis, ut humano opere excisæ videri possent. (A... ... arum navigationis subter terram argumenta hæc putat Lazius.) Hic a... redundantibus, ut recipi non possint, fit ut regurgitent scrobes, ... nihil aquæ admittant, sed etiam quicquid receperint, effun... ... celeritate, ut refluxus impetum equiti quamvis expedito & fu... ... effugere liceat. Ita quacunque patet locus diffunduntur aquæ, & ... ... unt. Hæ aquæ non minus ferè celeriter recedunt, quam access..., sed non per scrobes illas tantum, sed universa penè terra eas non aliter ... nte, quam si per cribrum diffunderentur. Quod quum fieri senti... accolæ, e continuo grandioribus ejus meatibus, quoad fieri potest, obstructis, agminatim advolant ad piscationem, quæ ipsis non modo

Lib. 14.

Lib. 5.

In Theatro.

jucunda, ſed etiam perfructuoſa eſt. Nam hi piſces ſale conditi magna copia ad vicinos exportantur. Porro ſiccato lacu fit meſſis, qua parte ſolum conſitum, & idem rurſus conſeritur antequam inundet. Graminis ita eſt ferax, ut poſt vigeſimam diem ſecari ſoleat. Quis hic ludentis naturæ miracula non ſuſpiciat?

Caput LXIII.

De Theſauris nonnulla memorabilia.

NOvi nobilem quendam, amicum paternum veterem, q[illegible] bello illo, quod Cæſar Carolus V. cum Principibus Ger[illegible] noſtro tempore geſſit, metu hoſtium precioſiores ſuas [illegible] amne quodam prope arcem ſuam, quem ad hoc à ſuo [illegible] averterat, effoſſo ſpecu, veluti in loco abſtruſo & tutiſſimo occultaverat. Poſt aſſumptis omnibus, qui hujus rei gnari eſſent in tuta loc[illegible] ſeceſſerat. Sed tanta fuit ſagacitas Hiſpanorum, ut neſcio utrum licitis an [illegible]licitis artibus, illas res indagarint, & iterum averſo amne abſtruſa & demerſa ibi expiſcati ſint. Eadem ratione pecuniam aliaſque res non ſolum in illo bello defoſſas, ſed multis ſæculis ante occultatas & vetuſtate propemodum c[illegible]ſumptas, invenerunt. Simili felicitate, in eruendis abſtruſis rebus [illegible] ſunt Hiſpani paulo ante in Comagra Inſula Indiæ Occidentalis. Q[illegible]nium Comaces unus ex regulis iſtius loci, quos Cacicos vocant, [illegible] neto lodices, ſtragulas, fictilia & lignea vaſa, & amplius duo m[illegible] & quingenta pondo auri laborati, ne in manus Chriſtianorum venirent, [illegible]ſſet, Indos captivos tormentis fateri & prodere ea coegere. Eandem fo[illegible] Turci, occupata Conſtantinopoli habuere. Tantos enim theſauros [illegible]ſos, tam novos quam veteres, eruere, ut æſtimationem excedant. I[illegible]e rectè Leonardus Chienſis exclamat. O Græci jam miſeri & miſerab[illegible] qui inopiam fingebatis! Ecce jam in lucem venerunt theſauri, quo[illegible] ſubſidio denegaſtis. Temirus autem vel Tamerlanes Scytha, qui [illegible]gellum, vel ira Dei dictus fuit, mira calliditate uſus eſt, ut theſauros, [illegible]que res Aſiaticorum ad ſe transferret. Etenim quum fere univerſ[illegible] ob ejus ſummam potentiam & felicitatem, maximo metu inhorreſceret, [illegible] hoc non ignoraret, & ideo metueret, ne uniones, aurum & argentum, [illegible] precioſioribus rebus, quæ facilè occultari poſſunt, in abſtruſiora terræ l[illegible], metu belli, ut fieri aſſolet, abſconderentur; miſit ad locupletiores & [illegible]tiores urbes, ſuos milites, inſtar mercatorū, cum camelis, onuſtis precio[illegible] ſupel-

Benzo in hiſtor. novi orbis l. 1. c. 20.

De captivit. Conſtantinop. tom. 2.

supellectile, ex præda quæ non facilè abscondi, & in latebras conjici posset, iisque mandavit, ut vili pretio, omnia raptim distraherent, ut hac ratione Asiatici adducti numeratam pecuniam depromerent, antequam defoderent, vel si [illegible] et defossa, spe immensi lucri rursus eruerent. Hoc facto, tam celeriter, veluti tempestas in eos irruit, & id, quod dicis caussa, paulo ante ipsis ven[illegible] jusserat, neque commodè occultari potuerat, denuo deprædatus est adeo, ut pecuniam, & rem, nec non & omnem substantiam Asiaticorum, hac astuta negotiatione integram & absque omni difficultate rapuerit. Etsi autem nimia avaritia & studio rapiendi is hoc fecit: tamen etiam ejus abstinentia & æquitas laudatur. Nam quodam tempore, quum iter per Syriam faceret, obtulit se ei arator, qui tunc in vas ingens aureæ monetæ arando impegerat. Quum autem omnes, qui cum Rege erant, Regis aurum illud esse dicerent, quoniam inventi qui occultantur thesauri, fisci putantur; jussit Rex monetam [illegible] spici, & ab abstantibus percontatus est, putarentne patris sui imagine[illegible] esse, quam pecunia expressam habebat. Cui quum respondissent, Romanorum principum effigiem esse, tunc respondit Tamerlanes: Si ergo hæc pecunia majorum meorum non fuit, aratori eam relinquamus, ad quem Deus eam ded[illegible]it. Sed ne longius vagemur, olim quoque ejusmodi latebræ sub alveis amnium quæsitæ, de quibus paulo ante diximus, parum tutæ ab indagantibu[illegible] fuerunt. Nam ut conferamus magna parvis, Trajanus regios thesauros, quo[illegible] Decebalus Rex Daciæ subter vada Sargetiæ amnis, haud procul a regia occultaverat, invenit. Fluvium enim forte Rex captivorum duntaxat manibus & opera, de proprio cursu averterat, atque effossis subinde vadis, in specu magnam vim auri & argenti occultaverat, pretiosissima quæq[illegible], & eos liquores, qui recondi & servari poterant, eodem congerens. Qui-b[illegible] [illegible]ectis, ne quisquam quæ gessisset, proloqui posset, omnes qui facti con[illegible], occidi jussit. At Biculis captivus, cui res cognita erat, abditos thesauros [illegible]dicavit, &c. Ob hanc causam tales inscriptiones antiquiss. in marmoribus [illegible]opter thesauros Decebili detectos leguntur:

[illegible]VI I[illegible]VENTORI DITI. PATRI TERRÆ MATRI DETECTIS DACIÆ [illegible]AURIS CÆSAR NERVA TRAIANUS AUG. SAC. P.

Simile[illegible] [illegible]unculos occultos Gothi mortuo Alarico ipsorum Rege apud Con[illegible] [illegible]n Calabria quæsiverunt, dum ejus sepulturæ occultandæ caussa, [illegible] Italorum, quo[illegible]is iæserat, iracundiam veriti opus insigne moliuntur. Q[illegible]pe Busentem [illegible]nem oppidum ipsum præterfluentem, magno militum [illegible] alio averterunt, ac locum sepulchro in medio alveo suffoderunt, atque [illegible] cadavere cum multis opibus condito, deinde amnem in suo ire flumi[illegible]erunt, & ne locum quis scrutari posset, captivos, qui notasse illu[illegible] locum oculis poterant, occiderunt. Eandem historiam Pandulph.

Fulgos. lib. 4 de abstin. & contin.

Lonicerus lib. 1. histor. Turcic.

Dio in vita Trajani.

Iornandes de rebus Gothicis.

Carolus Sigonius de occident. Imp. lib. 11.

In hiſt. Neapolit. lib. 2. Collenutius recenſet. Nero autem theſauros Libycos, animo ſuo, incerti autoris vana perſuaſione conceptos, neutiquam invenit, imo perpetuam notam infamiæ & levitatis inde contraxit. De qua re, ut ea rectius cognoſcatur, audiamus Suetonium & Cornelium Tacitum, qui Annalium librum XVI. ab exceſſu Cæſaris Auguſti, ita incipit: Illuſit dehinc fortuna Neroni per vanitatem ipſius, ex promiſſo Ceſellii Baſſi, qui origine Pœnus, [illegible] te turbida, nocturnæ quietis imaginem, ad ſpem haud dubiam retraxit, [illegible] ctuſque Romam, principis aditum emercatus, expromit repertum in agro ſuo ſpecum, altitudine immenſa, quo magna vis auri contineretur, non in formam pecuniæ, ſed rudi & antiquo pondere. Lateres quippe prægra[illegible] jacere, aſtantibus alia parte columnis, quæ per tantum ævi occulta, augentis præſentibus bonis. Cæterum ut conjectura demonſtret, Dido[illegible] Phœniſſam Tyro profugam, condita Carthagine, illas opes abdidiſſe[illegible] novus populus nimia pecunia laſciviret, aut Reges Numidarum, & [illegible] fenſi cupidine auri ad bellum accenderentur. Igitur Nero, non a[illegible] non ipſius negotii fide ſatis ſpectata, nec miſſis viloribus, per quos n[illegible]e ret an vera aſſererentur, auget ultro rumorem, mittitque, qui velut par[illegible] prædam adveherent. Dantur triremes, & delectum navigium juvandæ feſtinationi. Nec aliud per illos dies populus credulitate prodentis diverſa fama tulerat. Ac forte quinquennale ludicrum, ſecundo luſtro celebrabatur, oratoribuſque præcipua materia in laudem Principis aſſumpta [illegible] Non enim tantum ſolitas fruges, nec metallis confuſum aurum g[illegible] nova ubertate provenire terras, & obvias opes deferre deos. Q[illegible] ſumma facundia, nec minore adulatione ſervilia fingebant, ſecu[illegible] tate credentis. Gliſcebat interim luxuria ſpe inani conſumebanturque veteres opes, quaſi oblatis, quas multos per annos prodigeret. Qu[illegible] & [illegible] de jam largiebatur. Et divitiarum expectatio inter cauſas paupertatis [illegible] blicæ erat. Nam Baſſus effoſſo agro ſuo latiſque circum arvis, dum h[illegible] vel illum locum promiſſi ſpecus adſeverat, ſequunturque non modo [illegible] ſed populus agreſtium efficiendo operi aſſumptus, tandem poſita veco[illegible] non falſa ante ſomnia ſua, ſeque tunc primum eluſum admirans, pud[illegible] & metum voluntaria morte effugit. Quidam vinctum ac mox dim[illegible] *Girard. in hiſt. Franc. lib. 9. in vita Philippi Auguſti II. Regis Franc. 41.* tradidere, ademptis bonis in locum regiæ Gazæ. Hæc Tacitus. E[illegible]dem modo infeliciter ceſſit Richardo Regi Angliæ, qui propter magnanim[illegible] tem Cor leoninum fuit appellatus, dum immenſum theſaurum a nob[illegible] quodam in proprio fundo repertum, vi occupare conatur. Quum e[illegible] Caulacum vel Chalunum Lemovicum urbem, in quam is nobilis cum theſauro confugerat, obſideret & oppugnaret, venenata ſagitta in ſiniſtro bra[illegible] chio ictus eſt, quo vulnere ex negligenti curatione paulo poſt obiit. C[illegible]tinent

In vita Neronis.

tinent Annales Franciæ, in hoc thesauro fuisse statuam cujusdam Imperatoris, cum conjuge, & filiis filiabusque, ejus staturæ, sicut in illa ætate fuerunt, assidentes mensæ, omnia ex solido auro, una cum inscriptione, eorum nomina, & quo tempore conflata ista fuerint, continente. Felicior sane in eruendis thesauris fuit Tiberius Imperator Græcus. Is enim quum crucem in pavimento, ne pedibus calcaretur, pio studio auferre jussisset, non solum præter spem immensum thesaurum ibi defossum, invenit, sed etiam Narsetis thesaurum, quem ante mortem suam domi suæ occuluerat, interfectis omnibus consciis, excepto tantummodo puero, quem ne cui id quod fecerat, indicaret, jurejurando obstrinxerat, eruit. Nam defuncto Narsete, puer is senex effectus, locum in quo tanta vis auri & argenti defossa erat, Imperatori indicavit. Mirabile præterea est, quod idem Amoinus refert, usque Paradinus in sua symbola heroica transtulit, quo pacto Guntranus Rex Burgundiæ somnians, in specu quodam montis, immensum thesaurum viderit, locoque reperto inde eruerit. Hujus rei quoque Wierus mentionem facit, & erudite disserit, quo pacto fieri potuerit; licet simile quippiam ex relatione Helinandi Monachi, Henrico Remensi Archiepiscopo accidisse putet. Memorabile porro est, quod in Apulia circa annum recuperatæ salutis M.LX. tempore Roberti Guiscardi, Calabriæ, Apuliæ & vicinarum insularum Principis, accidisse scribunt Historici, inter quos est Pandulph. Collenucius. Quum enim statua marmorea caput circulo æreo redimita fuisset inventa; cum tali inscriptione CALENDIS MAII, ORIENTE SOLE AUREUM CAPUT HABEBO, neque aliquis reperiretur, qui hanc interpretari posset; tandem captivum Saracenum nescio, quibus artibus imbutum, postulasse loco præmii libertatem, si indicaret, quid sibi hæc inscriptio vellet. Assentiente autem Roberto Principe, illum Calend. Maij, oriente Sole, observasse umbram hujus circuli ex capite statuæ, ibique scrobem fodi jussisse. Hoc facto inventum fuisse in loco designato ab umbra immensum thesaurum ibi defossum, qui Principi Roberto ad suas expeditiones bellicas commodissimus fuit. Hacque ratione Saracenum consecutum una cum aliis donis, Principis libertate dignis, libertatem, quam tanquam rem inæstimabilem iniuce expetierat. Non omittenda quoque sunt, quæ non ita pridem apud Nicaraguenses in India occidentali evenere, sicut ex Benzo refert. Triginta quinque mill. inquit, intervallo abest Legione, civitas ea est; ibi Episcopatus sedes: à Francisco Fernando condita, mons flammivomus, qui per ingentem craterem tantos sæpe flammarum globos eructat, ut noctu latissimè, ultra centum millia passuum incendia relucceant. Nonnullis fuit opinio, intus liquefactum aurum esse perpe-

Amoinus lib. 3. cap. 19. de gest. Franc.
Paul. Diaconus lib. 3. c. 4. de gest. Longobard.
Lib. 3. c. 3. de gest. Franc.
In libro Apologetico.
Lib. 3. histor. Neapol.
Lib. 2. c. 6. histor. novi orbis.

perpetuam ignibus materiem. Itaque Dominicanus quidam Monachus, quum ejus rei periculum facere vellet, ahenum & catenam ferream fabricari curat: moxque in montis jugum cum quatuor aliis Hispanis ascendens, catenam cum aheno in caminum demittit, ibi ignis fervore ahenum cum parte catenæ, liquefactum est. Monachus non leviter iratus Legionem recurrit, fabrum vehementer incusans, qui catenam tenuiorem multò, quam jussisset ipse, esset fabricatus. Faber aliam multo crassiorem excudit. Monachus montem repetit, catenam & lebetem demittit, res priori incepto similem exitum habuit: nec tantum resolutus lebes evanuit, verum etiam flammæ globus repente è profundo exiliens propemodum & fratrem & socios absumpsit. Omnes quidem adeo perculsi in urbem reversi sunt, ut de eo incepto exequendo nunquam deinceps cogitarent. Hæc Benzo, Gomeral[illegible] montem flammivomum, Masaiam, Dominicanum F. Blasium de Ynnesta nominat, scribitque novum illum Empedociem, & præterea duos H[illegible]panos, sciendæ ejus rei causæ avidos, semetipsos tribus corbibus in Vulc[illegible] illum craterem demisisse, quoad ejus fieri potuit, atque inde lebetem, catena ferrea revinctum ad CXL. ulnas dejectum, tandem ubi ad flammam pervenit, liquefactum esse cum aliquot catenæ annulis. Illos stupefactos [illegible]turæ miraculo, irrito labore inde prosiliisse. Sane multi olim reperti sunt, & adhuc reperiuntur, qui avaritia & spe lucri excæcati, vetitis artibus ad er[illegible]dos thesauros utuntur, quæ res raro vel nunquam feliciter cessit. Habe[illegible] autem memorabile exemplum, quod post alios Wierus recenset. Anno [illegible] M. D. XXX. sacerdoti in crystallo thesauros dæmon Norimbergæ o[illegible]rat. Hos cum loco professo ante urbem quæreret sacerdos, adhibito [illegible]o quodam suo, & jam in specu arcam vidisset, atque ad eam cuban[illegible] atrum; ingressus sacerdos in specum opprimitur, interficiturque, ru[illegible]cumine & specum rursus complente. Mirum autem est, & merito deplo[illegible] hominum nonnullorum cæcitas & stoliditas, qui spe fluxarum divitiarum, [illegible] manifestissimam perniciem, tam corporis, quam animæ, sese conjiciu[illegible] Is enim malignus spiritus, vel dæmon, qui à Magis peculiariter thesau[illegible] destinatus est, Sydonay, vel Asmoday, sicut in Wieri pseudomonarc[illegible] dæmonum (non autem refert, utrum hoc vel aliud nomen illi conveniat, [illegible]e enim cacodæmonum nomina, si fortè non satius fuisset ea planè omitti, [illegible] de industria transposita & mutata sunt) legimus, ab eis appellatur, qu[illegible] tanquam regem magnum, fortem & potentem, colunt, ejusque potestati septuaginta duas legiones subjiciunt. Quando autem Magorum oculos [illegible] fascinando præstringit; tunc exhibet se videndum tribus capitibus, quo[illegible] primum assimilatur capiti tauri, alterum hominis, tertium arietis: c[illegible] ejus serpentina, ex ore flammam eructat: pedes anseri. Super dr[illegible] inferna-

Lib. c. 4. de præstig.

infernali ſedet, in manu lanceam & vexillum portans. Quum hujus officia ex[illegible] exorciſta; oportet ut ſit fortis, cautus & in pedibus ſtans, quod ſi non fecerit, [illegible] cunctis decipietur, &c. Deſcribitur quoque & pingitur ab eodem W[illegible] m[illegible] cum ſuis characteribus, imaginibus, figuris, exorciſmis [illegible] alijsque rebus illicitis, quibus theſauri maximo cum periculo & plerumque [illegible] conatu inquiruntur. Ex quibus apparet, quanta ſit poteſtas ad imp[illegible]dum hominibus impie curioſis, Sathanæ & ſpirituum conatus, amantium mendacia & fraudulentorum, & impura petulantia cædibusque gaudentium, qui incolæ ſunt tenebrarum atq; caliginis. Venit autem Chriſtus filius Dei in hunc mundum, ut ſolveret opera ipſorum. Cæterum an magi [illegible] ſua vel potius ludibrijs ſuis gratia[illegible] hominum, pulchritudinem, volup[illegible]es, divitias & ſcientias, comparare poſſint, & fertilitatem dare, [illegible] xe Bodinus, ubi inter alia ita dicit: Quod ad divitias attinet, o[illegible]t, atq; certiſſimum, magnos in terræ ſinu theſauros eſſe ab[illegible]; ſed à Sathanæ eſſe cognitas: ſed nunquam magus extitit, qui arte illa aur[illegible] unum comparaverit, ut fatentur omnes. Imo quicunq; divites [illegible] s rebus ut divitijs augeantur, fere in paupertatem abeunt, egentes v[illegible] tota vita paupertatem perferunt. Bona enim dicuntur in Scriptura [illegible]s, quia dantur à Deo, ut Jacob munus de gregibus, qui [illegible] illi D[illegible] dederat, Eſau fratri offerens. Accipe, inquit, de benedictione, [illegible] Dominus. At cur theſauros humi conditos ſuis mancipijs [illegible] n impertit [illegible] thanas? cur fame ſinit emori? cur panem mendicare [illegible] vult Deus, nec Diabolus poteſt: qui alioqui (ut videtur [illegible] plurimos fuit pertracturus. Hæc ex Bodino aſcribere, & ad [illegible], quæ ibidem ab eo recenſentur, ſtudioſum lectorē, r[illegible], [illegible] meditationis vel capitis hujus limites exceſſiſſe videar, [illegible] is adjicere ex ſacris literis volui. Ea enim quæ jam diximus, ab Ev[illegible] Luca, ubi introducit Barnabam & Paulum contra Idololatr[illegible] p[illegible]ntes, dilucide confirmantur. Dum enim gentiles à cultu dæmo[illegible]um [illegible]minum, quos inſtar deorum adorabant, & ab ijs fertilitatem, & facult[illegible] opes expectabant, abducere, & ad adorandum unicum & verum [illegible]torem & largitorem omnium rerum inducere ſtudebant, ita Iconienſes "
[illegible] quuntur: Vob[illegible]ciamus, ut ab iſtis vanis convertamini ad Deum "
[illegible]rum, qui [illegible] terram & mare, & omnia, quæ in eis ſunt. Qui in "
præteritis ætatibu[illegible] at omnes gentes ingredi vijs ſuis, quanquam non "
[illegible]reem teſtimonij [illegible] eſſe ſinebat, dum beneficia conferret, de cœlo "
nobis [illegible]dens pluvias ac tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda noſtra, &c. Gratiæ igitur tam benefico Deo, pro hiſce donis potius agendæ, [illegible] aliunde, & quidem vetitis artibus ea petenda ſunt.

De præſtig. dæmon. lib. 5. c. 16.

De Mag. Dæmonomania l. 3. c. 3.

In Actis Apoſtolorum cap. 14.

Caput LXIV.

De nonnullis inſignibus & ſtupendis furtis, nec non & quædam de theſauro Venetorum publico.

Cap. 15. IN libro Gallico, cujus eſt titulus: *Traitte preparatiu al apologie pour Herodote*, q[illegible]m multa inſignia furta recenſent[illegible] cæteris mihi nonnulla propemodum fidem excedentia [illegible] propter audaciam, tum propter miram aſtutiam viſa [illegible] ſicut è Gallico ſermone à me verſa ſunt, huc aſſ[illegible] operæ precium duxi. Accidit (inquit autor iſtius libri) temp[illegible] gis Franciſci I. hujus nominis, ut quidam fur ſplendide v[illegible]tus, [illegible] magna ſolennitate celebraretur miſſa, Cardinali Lotharingo [illegible] lis, qui plerunque veſtibus ad pecuniam, vel alias res aſſerv[illegible] tur aliquid clanculum eximeret. Quumque iſte fur aſtute a[illegible]adver[illegible] ſet, neminem hoc præter Regem idq; intentis oculis obſervaſſ[illegible] fuit, ut abſterreretur, ut auſus fuerit familiariter ſubridendo, [illegible] annuere, ut taceret, quaſi joco iſta fierent. Rex uti delectabatur [illegible] mans iſta non ſerio, ſed uti inter aulicos moris eſt, velut rem [illegible] diſſimulavit ſe vidiſſe hoc furtum. Finita autem miſſa, ut certi[illegible] quid factum eſſet inter colloquendum præbuit Cardinali occa[illegible] ſuos loculos reſpiceret. Is quum non amplius reperiret, quod ibi [illegible] & ob eam rem valde commoveretur, Rex qui conſpexerat, q[illegible] & materiam ridendi quæſierat, in largiorem riſum effuſus eſt. P[illegible]ſtq[illegible] tem ſatis riſiſſet, & ſeria tractanda occurriſſent, juſſit Rex, ut ea q[illegible] Cardinali ſe vidente eſſent, reſtituerentur: Perſuaſum enim illi adh[illegible] joco & animo reſtituendi iſtam rem à quodam nobili aulico, tal[illegible] veſtitu judicaverat, ſubtractam eſſe. Verum quum explorata re co[illegible] eſſet inſignem & veteranum furem in veſtitu aulico ſerio abſtuliſſe [illegible] in ſacculo Cardinalis aſſervaſſet, & is admiraretur, cur Rex alioquin j[illegible] ſtudioſiſſimus, hoc qualificato, præſertim inter ſacra commiſſo furt[illegible] delectaretur. Rex audaciam furti clancularij deteſtatus, quid ſe co[illegible] te accidiſſet, enarravit, addito juramento, hoc primum ſibi accide[illegible] ſui familiaritatem & ſocietatem ſuam expetiiſſet. Vel ut Gallice el[illegible]

proferret, *Le Roy, lequel usant de son serment accoustume, jura foy de gentilhomme qu[illegible] c'estoit la premiere fois qu'un larron l'avoit faite compagnon.* Alterum furtum no[illegible] minus m[illegible]mora[illegible]ile refert idem autor istius libri, fuisse commissum [illegible] a Carolo V. Imper. Quum enim quodam tempore jussu Imp[illegible] aulici omnes ad iter se pararent, & singuli occupati essent in suis [illegible] com[illegible]andis, quidam ex genere furum audacissimus, capta hac occa[illegible] ingressus est cubiculum Imper. (quum videret paucis. ex familiaribus I[illegible]peratoris adesse, qui ad nihil aliud intenti erant, quam ut suam Majestatem acc[illegible]erent ad iter, jam enim erat conscensurus equum) accedensque propius [illegible] Imperatorem, & genibus, uti aulicus mos est, flexis, mox magna festinatione cœpit colligere tapetas & aulæa affixa, & in unum fascicul[illegible]n scite admodum, [illegible] piciente hoc Imperatore una cum suis familiari[illegible] [illegible]plicare. Etsi autem antea hoc artificium, ut opinor, non exercue[illegible] [illegible]tam dextre, & absque suspicione furti, ista aulæa, vel tapezarias, ut v[illegible], abs[illegible], ut præfectum aulæorum, tunc occupatum scilicet reb. [illegible] p[illegible] hoc labore sublevarit. Tertium furtum valde notabile idem autor Rom[illegible]e scribit, tempore Pauli III. Rom. Pontificis. Cum enim Cardinalis qui[illegible] solenne convivium celebrasset, & ex abaco vasa aurea & [illegible] in cistulam inclusa, in proximum cubiculum collocata essent, in q[illegible] expectarent, ut dominos suos reducerent, ecce ibi in[illegible]ressus [illegible] more præfecti aulæ splendidissime, ante quem q[illegible] portabat. Is quum famulos, qui super istam cistulam c[illegible] jussisset paululum recedere, mox cum duobus bajulis, qui c[illegible]ebat[illegible], dorso imponi curavit, ut illam quasi in tutiorem locum a[illegible]nt. I[illegible] nullo impedimento vel suspicione furti ista preciosa vasa C[illegible] sunt. Observarat autem ipse manipulus furum t[illegible]pus, qu[illegible]us hujus rei & alij domestici in alio loco cœnarent: Re[illegible] aute[illegible] præstolantes convivas suos dominos, existimabant istos [illegible] os Cardinalis esse. Alia quoq; furta nō minus mira & rara nar[illegible] in ist[illegible] libro Gallico, hæc autem præ cæteris memorabilia recensenda [illegible]. Huc accedit quartum superioribus tribus, ut nobilius & immensius, ita [illegible]m fere excedens. Illud refert Sabellicus. Quod sane, ut rectius co[illegible]scatur, sicut ill[illegible] gestam recenset, huc ascribere volui. Stamatus qui[illegible], inquit Græc[illegible]s homo, Cretaque insula natus, dum forte Ve[illegible] esset, [illegible]urque (quod magnis hospitibus præstari solet) [illegible] Estensi pub[illegible] thesauri, qui in parte aureæ ædis asservantur: ita accid[illegible] ut quasi unus ex [illegible]ius domesticis ignotus Græculus sit sacrarium ingre[illegible]. Tum vero ille ad stupendum rerum aspectum non solum non animum remisit, sed ad nobiliss. furtum confestim adjecit. Est divi Marci

In hist. Veneta decad. 3. lib. 1.

ædes, quam ab initio auream, quia pene tota puriſſ. fulget auro, appellavi-
mus, intus extraq; circa imum marmoreis tabulis compacta. E[illegible] igitur te[illegible]
pli parte qua puerorum ara ſita eſt, marmoream tabulam [illegible] in[illegible]
mit, inde nocturno opere defunctus, (quia non tam cito murum [illegible]
potuit) applicata ſuo loco tabula, circumductoque te[illegible], ita [illegible]
fracturæ veſtigium appareret, exhauſtam inde materiam ante lucem [illegible]
tabat, atq; hoc modo plures noctes operatus, ad intimum con[illegible]
nitum inde eximere cœpit ampliſſ. theſauros, ad quos videndos cum [illegible]-
derici Imp. legato admiſſus olim, non ſine ſtupore ſpectavi. Nam præt[illegible]
gentem gemmarum vim aliis atq; aliis operibus inſertam, du[illegible] decim [illegible]
coronas vidi, ac thoraces totidem immenſa gemmarum multitudine [illegible]
nitos, quarum fulgor non minus mentem quam oculorum perſtr[illegible]
aciem: lebetes ad hæc ex precioſiſſ. lapidibus, quorum teſſerulæ an[illegible]
ſertæ magno ſoleant precio æſtimari: tabernacula, candelabra & [illegible]
ſacrorum inſtrumenta, in quibus materia, quæ aurea erat, ob[illegible]
paratum, qui diverſis gemmarum coloribus micabat, pene ſ[illegible]deſc[illegible]-
batur. Tranſeo Monocerotis cornu, immenſi, ut ajunt, preci[illegible] Pr[illegible]
ſulam, atque alia opera & multa & eximia, quæ fere omnia il[illegible]e per oc[illegible]
ſtulerat. Verum neq; furtum (ut dicitur) neq; adulterium ullum [illegible] in oc[illegible]
to fuit, quia alia ratione tam cito ſcelus deprehendi non poterat, ita [illegible]
cidit, ut ipſe ſuo indicio ſit proditus. Erat illi compater Zac[illegible]
Grio, Cretenſis & ipſe, ac patricii ſanguinis, homo vel hoc uno [illegible]
ræ innocentiæ: huic ſacræ aræ adhibito rem omnem Stamatu[illegible]
tat; inde in anguſtiſſ. domicilium, quod Græculus incolebat, [illegible]
menſum illi furtum retexit. Ad cujus conſpectum quum [illegible]
ac minime facinoroſæ, obſtupuiſſet, ſceleriſque atrocitat[illegible] pa[illegible]
ſuo conſiſteret veſtigio, ferunt ſacrilego homini in anim[illegible]
truncare, addidiſſetque omnino ſcelus ſceleri, niſi ille ita occurr[illegible]
ceret, ſe præ nimia lætitia, quod ex inſperato videret ſe ad tan[illegible]
perductum, pene deſipere. Quibus verbis confirmatus ille cæde [illegible]
Acceperat interim Grio dono precioſiſſimum ab eo lapidem, at[illegible]
notiſſimum. Ferunt eum fuiſſe, qui priore parte Ducariæ inſula [illegible]
ſpicitur. Per ſpeciem igitur expediendi negocij à ſu[illegible] digreſſus, [illegible]
proripuit: inde ad Principis conſpectum admiſſus, [illegible] retec[illegible]
celeritate opus eſſe dicere, ne ille (quem vix m[illegible] verbo [illegible]
fefelliſſet) mutato repente conſilio ſe aliquo bona cum parte furti [illegible]
ret: & ne fides rei tantæ deeſſet, gemmam dono acceptam ſinu de[illegible]
Qua conſpecta miſſi ſunt, qui hominem comprehenderent: atq; ita [illegible]
in poteſtatem redacto, omnia quæ ſuſtulerat, ſunt recepta, ut nihil [illegible]

pretioso apparatu, cujus æstimatio vicies centena aureorum nummum [illegible] dicitur defuerit. Furti autor ad geminas columnas est laqueo [illegible] [illegible] quod in præsentia dono accepit, perpetuum [illegible] cretum. Hactenus Sabellicus. Eandem historiam [illegible] r. Veneta lib. 8. In libro autem 14. de alio insi- [illegible] tempore ibidem accidit, ita scribit: Furtum hisce [illegible] in urbe commissum est. Nam vir quidam genere Neapolita- [illegible] rinis clavibus atrio quæstorio reserato, ubi ferreis arculis pu- [illegible] servantur thesauri, ad octo aureorum nummum millia ex ærario ab- stulit. [illegible] post aliquot dies captus, detruncata illi prius dextera, De- cem [illegible] in me di Rivaldi area, ubi furtum factum fuerat, laqueo emi- ne [illegible] suspensus necatur, meritasque pœnas luit tanti latrocinii: Quo- [illegible] thesauri Venetorum Sabellicus mentionem fecit, cumque [illegible] [illegible] operæ est huc adjicere, quæ Philippus Cominæus [illegible] unus quam ille oculatus testis, quorum unus, ut Plautus ait, majoris [illegible] meretur, quam auriti decem, recenset. Est Venetiis, inquit, templum [illegible] consecratum, ipsi sacellum vocant longe pulcher- rimum & or[illegible]. In eo est is, qui appellatur thesaurus toto orbe celeberrimus [illegible] ornamenta quædam ejus templi, & uniones, ad qua- tuor [illegible] ego viderim longe maximi, non expoliti tamen, & [illegible], quibus solebant antiquitus exornari certos di[illegible], quæ circumvectæ more consueto, cum per insidias [illegible] a prædonibus, mariti non destiterunt illos persequi, [illegible] possent, & coronas illas deinde consecrarunt Div. Mar- c[illegible] struxerunt, in quod Senatus ingreditur quotannis, [illegible] admissum. Hæc Cominæus. Si quis autem plura [illegible], prolixiorem descriptionem inveniet apud Alber- tum Leandrum. Et in quodam Italico libro, qui inscribitur; De rebus me- [illegible] lib. Venetæ Reipub. hæc leguntur: Inter alias res preciosas, gem- [illegible] in thesauro Veneto imprimis ostenditur pileus, ut vocant, Ducalis [illegible] ita diu factus, cujus precium dicitur excedere ducenta millia coronatorum. Thesaurus hic partim ex spoliis Constantinopolitanis, quan- [illegible] a G[illegible] & V[illegible] fuit occupata, aliarumque urbium captarum præ- [illegible] partim ex mu[illegible] variorum Principum huic Reipub. donatis con- [illegible] est. Alij tale[illegible] fabulam vulgo recensent; Thesaurum istum à quatuor [illegible] tiss. mercatoribus fuisse Venetias apportatum, & cum illi judica- rent [illegible] esse, ut pauciores eum possiderent, duos ex illis veneno è me- dio tollere totidem constituisse. Quum vero idem plane reliqui duo con- silium [illegible] prioribus iniissent; ita omnes quatuor periisse sine hæredibus.

Li. 2. de bello Neapolit.

De Insulis Adriaticis.

Atque hac ratione Senatum Venetum ad se eorum bona velut fisco delati recepisse. Hocque putatur indicari quatuor statuis ex marmore Porphyrite sculptis, prope portam majorem palatij publici, se invicem compl[illegible]bus. Huc usque autor illius quem diximus libri. Equidem ter [illegible] hunc thesaurum, præsertim quum quotannis publice certis festi[illegible] D. Marci super altare exponitur, magna cum admiratione vidi, ita ut [illegible] similem in Europa, etsi Dionysianus Gallicus etiam rarissimus & ex q[illegible] est, inter Christianos vix reperiri.

Caput LXV.

De Phengite lapide, in quo ea, quæ à tergo fiunt, conspici possunt.



Sitatum est, Cæsari in potentiores sacri Rom[illegible] imperij civitates ingredienti, munera quædam à dese[illegible] earum urbium bene ominandi gratia, & hono[illegible] cau[illegible] olim Consulibus in provincias advenientibus, [illegible] co dabatur illud adventitium donum, quod honorarium à Græcis εισόδιον ac εἴσοδον dicitur, non enim tanquam debitu[illegible] cx[illegible]tur) offerantur. Hæc autem solent esse plerunque aurea pocula, [illegible] teria & arte exquisita, interdum repleta aureis, qui sub notis earu[illegible] tatum jus cudendi monetam habentium, conflati sunt. Acci[illegible] enim ex viro dignitate & fide præstanti audivi, ut in celebri [illegible] ejusmodi xeniola vel honoraria Maximiliano I. Imperatori [illegible] nonnullorum familiarium suorum intimorum offerrentur, [illegible] dita essent, in cubiculo Cæsareo coram Imperatore in tabula [illegible] tur. Exhibebantur enim tunc forte quædam spectacula public[illegible] honore[illegible] Cæsaris, ita, ut aulici illis inspiciendis dediti essent, eamque ob cau[illegible] locum commodum in fenestris occupaverant. Cum autem unus e[illegible]ribus Cæsaris existimaret, & Cæsarem & omnes accurate observa[illegible], quid foris publice ageretur, quasi alij honoris causa è suo loco præoccupato cedens, mox sese subduxit, & velut remotis arbitris, ex poculo illo do[illegible] aureos surripuit, quot apprehendere in illa festinatione potuit, rapti[illegible] loculos suos appensos conjecit, ratus neminem hoc suum furtum [illegible]xisse. Verum Cæsar, etsi putabatur videndis ludicris rebus solu[illegible] tentus, observabat nihilominus alia, habebat enim annulum in digito [illegible] gemma, quæ demonstrabat id, quod à tergo accideret. Hancq; dis[illegible]

[illegible] et, cum non fugiebat quid fieret. Peractis igitur actioni- [illegible], [illegible] eis jussu Cæsarea præstolantibus, nec non ex munia [illegible] latis singulis portiunculam expectantibus, tan- [illegible] Cæs [illegible] qui prius magnam partem pecuniæ, nemine inspi- [illegible] sibi per [illegible], surripuerat, jussus est tantundem accipere, quan- [illegible] ere manu posset, ille nesciens, quorsum ista munificentia ten- [illegible] mulante trepidans perpaucos aureos ex poculo ap- [illegible] jussit Cæsar illum eos numerare. Expectantibus autem reli- quis, [illegible] hoc fieret, & existimantibus inter ipsos donum hoc paulatim di- visum [illegible] ridens: Deprome nunc, inquit, & reliquos aureos de loculis, quos antea [illegible] ceptos ex hoc poculo furtim ijs injecisti, ut sciam, u- trum nunc, vel ante, cordatior in accipiendo fueris. Hac inopinata re con- [illegible], & velut fur [illegible] suo proprio indicio deprehensus, nescio quas excu- [illegible] deprecationib. mussitans, coactus fuit in conspectu omnium [illegible] os proferre, & eos numerare. Quum autem horum multo major [illegible], quam [illegible] orum: Tollas utramque summam, ait Cæsar, ha- beas [illegible] erum cave, ne posthac in conspectum meum venias. Itaque [illegible] unuslus fuit. Mirum autem alicui videri non debet, tam artifici [illegible] fieri posse, ut ea quæ à tergo accidunt, conspiciantur, cum [illegible] eodem modo constructi fuerint. Legimus enim apud [illegible] Cæsarem metu insidiarum, porticuum, in [illegible], parietes phengite lapide distinxisse, ut ejus splen [illegible] es quic quid à tergo fieret, prævideret. Nec non & ho- [illegible] enduntur, in quibus velut in speculo non solum quisq; [illegible] quæ post tergum peraguntur, conspicere potest. Eodem mod [illegible] planæ ac leves sunt, speculi speciē referunt, & imagines rerum adm [illegible] pte repræsentant; Ideoque historici testantur: Nero- [illegible] gladiatorum [illegible] tamina Smaragdo conspexisse.

In vita Domitiani.

CAPUT LXVI.

Subditos plerunque imitari Principum mores.

IN aula [illegible] miliani II. Imp. optimi, observavi, familiares Cæsareæ Majestatis plerosque imitari solitos non solum co- lorem vestitus, sed etiam formam poculorum, aliarumque re- rum, quibus Imperator plerunque uteretur. Sic etiam imita- bantur foeminæ illustriores, quæ conspiciebant in Augusta;

ita ut pelliceæ veſtes, & aliæ res, alioquin tanquam nimis vulgares neglectæ, in majori precio haberentur, eo quod Imperator & Auguſta iis uti non [illegible] dignarentur. Sane hac in re nihil novi accidit. Videmus enim capillos [illegible] mas pluris veniri, quæ divitibus ac opulentioribus in precio ſunt, q[illegible] pauperibus & tenuioribus. Ut autem exemplo aliquo hæc res clari[illegible] audiamus, quod olim apud Romanos accidiſſe legimus. Sabina Popp[illegible] la (cui cunctaalia fuere præter honeſtum animum) quæ à Nerone a[illegible] niam uſque adamata fuit, capillos habuit ſuccinei coloris, quos Nero [illegible] ſermonibus laudabat, verſibusque ad citharam ſcite cantabat, quo fa[illegible] eſt, ut puellæ omnes Romanæ & Italicæ, eo tempore ejusmodi color[illegible] guo ſtudio affectarent, non in coma modo & capillis, ſed in reticulis, an-

Lib. 37. c. 3. nulis, & omni genere ornamentorum. Qua ex re ſuccina gemma, q[illegible] vo antea æſtimabatur, magno deinde licere cœpit, quod maxim[illegible] principi grata eſſet. Unde Plinius de Neronis munere quod[illegible] ita ſcribit: Tanta copia ſuccini invecta, ut retia arcendis fer[illegible] tegentia, ſuccino notarentur. Retia enim appoſita erant m[illegible] dividebant in theatro, ut ſedentes tuti eſſent a leonibus, [illegible] feris, quæ ſepta tranſilire conarentur. Ex his apparet, ut in [illegible] ita in minimis quoq; multum valere exempla ſummorum viro[illegible] Siquid[illegible]

In hiſtoria Romana. ut Velleius Paterculus de Auguſto Cæſare ait, FACERE REC[illegible] PRINCEPS OPTIMUS FACIENDO DOCET. CUMQUE SIT IMP[illegible] MUS, EXEMPLO MAIOR EST. Nam populus in regem tanqua[illegible] poſitum, & in clariſſima luce verſantem, oculos conjiciens, om[illegible] diligenter inquirit; quid agat, quid dicat, quemadmodum [illegible] animum quaſi per rimulas inſpicit. Exemplum habemus R[illegible] & Marforio, quorum clandeſtini internuncii minuta quæ[illegible] tifice Romano & Cardinalibus, aliisque aulicis committuntur[illegible] tis arbitris fiant, pleraque tamen ſcriptis ſuis in lucem pro[illegible] I[illegible] abſurde aliquis dixerit, cum iſtic hominibus libertas loquendi & [illegible] dendi vitia potentiorum, adempta ſit, lapideis ſtatuis, cuncta q[illegible] veluti enunciantibus, obturari os non poſſe. Simile aliquid olim p[illegible]

De poetar. hiſt. dial. 4. ſacellum Priari, quod fuit in Exquilijs, ubi erant horti Mœcenat[illegible]

In hiſtoricis. fuiſſe ſcribit Gyraldus. Sic apud Alexandrinos teſte [illegible], certis di[illegible] curribus homines vecti, quibus hoc munus datum e[illegible], totam urbe[illegible] agrabant, & ſtantes ubi vellent, & domo aſtantes cujuscunque vi[illegible] vere de plauſtro canebant: nec falſa convicia, ſed vera crimina obj[illegible] Operam enim dabant, ut accurate probra civium exquirerent, & hæc [illegible] rupte proferrent, & ob hoc omnes improbitatem averſarentur. Sed ne lon- gius à propoſito digrediamur. Quin ipſi parietes, ut Joh. Ant. Vipera[illegible]

ita me Deus amet, loqui, & omnes voces, actiones, mores Principum edicere, & arcana proferre & divulgare videntur, ut nullum neq; dictum, neq; factum illorum diutius latere possit; & quod gravius est, universi minima quæque illorum errata studiose animadverterunt. Quinimo eorum mores & vitam ita plerique imitantur, ut exemplo vel maxime inveteratos mores & opiniones facillime immutent. Quapropter Tilius recte monet, inprimis necessarium esse, ut regis domus munda honestaq; conservetur. Nam si qua virtutis monumenta in ea Rex constituerit; ea totum regnum prosequetur: ut è contrario præceps in vitia fertur exemplo regiæ. Hoc non ignoravit Martialis, qui recte ad Domitianum scribit:

De Regi & regno c. 13

Lib. 2. de rebus Gallicis prope fin.

Lib. 9. epig.

Nemo suos (hæc est aulæ natura potentis)
Sed domini mores Cæsareanus habet.

Huc Claudianus quoq; respexisse videtur, quum ait:

In paneg. de quarto consulatu Honorii.

——componitur orbis
Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quam vita regentis.
Mobile mutatur semper cum principe vulgus.

Et in laudibus Stilicon.

Paneg. 1

Scilicet in vulgus manant exempla regentum,
Ut ducum lituos sic mores castra sequuntur.

Confirmatur hoc memorabili exemplo in historia Scotica Buchanani. Cum enim Josina Rex Scotorum, medicorum & chirurgorum familiaritate delectaretur, brevi reliqua nobilitate in mores Regis eunte, factum est, ut multis seculis nemo esset in Scotia illustriore natus loco, qui vulnerũ curationẽ, non teneret. Ideoq; idem autor Jacobum IV. Regem Scotiæ commendat, quod è vetusta g ntis consuetudine vulnera scientissime tractare sciret. Et supra recensuimus de Philippo Bono Duce Burgundiæ, quod autor suo exemplo fuerit, ut præcipua pars nobilitatis comas suas, quæ illo seculo magna diligentia nutriebantur, radi jusserit. Sic quoq; cum Rex Franciscus I. Rex Galliarum ut vulnus in capite acceptum facilius curaretur, tonsus esset; id ipsum mox aulicos omnes imitatos esse, historici scribunt. Huc referri potest proverbium, [illegible]. Nam plerunq; accidit, ut ii qui sub sunt, mores eorum exprimant, sub quorũ imperio degunt. Hoc adagium à Platone quoq; usurpatur. Id etiam observavit Montanarius Patavinus, olim poeta insign , qui à Bernardino Scardeonio celebratur, ibiq; ejus versus aliquot, singuli sententias memorabiles complectentes, recitantur, ex quibus licet primus potissimum meditationi nostræ convenire videatur; tamen reliquos quoq; cum non sint plane extra propositum, & alibi, ut opinor, non reperiantur, contineantq; doctrinam salutarem, adjungere volui:

Lib. 4.

Lib. 13.

Cap. 36.

Lib. 8. de Republ.

In descriptione urbis Patavinæ li. 2. class. 10. de claris Gram. Rhet. & Orat.

Qualis convictus, talis formatio morum.
Nemo quidem nunquam quantumlibet Argus aberrat.
Auget, non minuit mala conſuetudo reatum.
Gens ſine juſtitia, ſine remige navis in unda.
Multa fidem paucis adimunt mendacia veris.
Quicquid nocte tegunt tenebræ, Sol mane revelat.
Accendit culpam facilis dimiſſio pœnæ.
Vix poſſunt male cœpta bonum contingere finem.
Cautius eſt, quando graviora timentur, agendum.
Diligitur tector ſcelerum, depenſor oditur.
Furari famulos dominus compellit avarus.
Res eſt difficilis caſtam bene ducere vitam.
Nulla fere major, quam caſte vivere pugna.
Sola namque ſuum finitur morte duellum.

Cæterum ut meditationem noſtram proſequamur, de vitiorum in principibus pernicioſa imitatione eſt verboſa quaſi diſputatio in quadam Gregorii Nazianzeni oratione ubi dicitur: Nullam eſſe tam præparatam imbuendo veſtem ad colorem, neque tam idoneam ad odorem recipiendum, neque tam peſtilentem halitum ullum in aere diffundi, cujus contagione animantes inficiantur, quam ſoleat celeriter principum virorum pravitate atque vitiis compleri vulgus multo quidem citius, quam è contrario virtute. Quæ eadem diſſeruntur à Cicerone demonſtrante, Peccata principum plus exemplo quam peccato nocere. Siquidem exempla, ut Sebaſt. Foxius Morzillus Hiſpalenſis ait, usq; adeo movent hominum animos, ut quoniam eo ſunt illi ingenio ut quod ab aliis fiat, ſibi quoq; putent faciendum, vel vitia, etiam & ſcelera aliorum ipſi imitentur. Sumus enim omnes invicem veluti ſimiæ factorum & dictorum noſtrorum, ſicut & ſimiæ quoq; ipſæ noſtri: ita cernimus hominis unius ſcelerati & impuri vitam, quaſi morbum late ſerpentem & contagioſum, aliorum mores corrumpere: ſic mali principes non tam detrimenti id rebuspublicis afferunt, quod eas male adminiſtrant, quam quod exemplo ſuo cunctos depravant: ſic patres vitioſi filiis ſunt pravitatis cauſſæ & exemplo. Illuſtrius hoc fit ex Ludovici XI. Regis Galliarum hiſtoria. Is enim quum Carolum filium fortaſſe propter valetudinis imbecillitatem, ut Vincen. Lupanus memoriæ tradidit, ſcire latine vetuiſſet præter unum illud, Qui neſcit diſſimulare, neſcit regnare, malo & a peſſimo principe petito forte exemplo. Nam Tiberius nullam æque ex virtutibus ſuis quam diſſimulationem diligebat, ut refert Corn. Tacitus. Ludovici conſilium ita male interpretati ſunt nobiles Franci, ut nullum literarū genus non contempſerint: Gulielmum Bellajum autem, quum ad belli gloriā literas addidiſſet, deinceps primum

Lib. 3 de Legibus De hiſtor. inſtit.

Lib. 1 de Magiſtr. Franc.

primum Gallos docuisse, nobilitati non officere bonas literas tradit ibidem idem autor. E contrario quum Franciscus I. Rex Galliæ miro studio bonas & liberales literas doctosque foveret, plerique eum imitati idem fecerunt, ut idem Lupanus testatur. Nobiles, inquit, Franci ita perpetuo à literis abhorruerunt, ut illis literarum studium sordidum videretur. Quorum liberi quum ejus ætatis essent, ut laborem equestrem ferre possent, familiis principum & procerum addicebantur, ubi aliquot annos, quoad pubescerent, equitandi & venandi studiis dediti, quum ephebis excessissent militiæ totos se dabant. At nunc Dei primum, deinde Francisci Regis benignitate in literatos literarumq; studiosos, quod ante vitio vertebatur, nunc laudi tribuitur. Hoc Tilium movit, ut diceret, literas equestris ordinis nobilitatem confirmare, & ab ignobilitate vindicare. Idipsum etiam Bodinus observavit, ubi dicit ad illustrandum dictum Platonis: Quales in repub. principes fuerint, tales fore cives, non longius exempla petenda esse, quam à Francisco Rege Galliæ, qui ut primum literas, à quibus sui majores semper abhorruerant, amare cœpit, statim nobilitas secuta est: deinde reliqui ordines tanto studio conquisierunt, ut nusquam literatorum extiterit major copia. Mira sane res est, quod Galli à majoribus ita degenerarint, & osores bonarum literarum antequam cultiores exemplo Regum evaderent, facti fuerint, cum tamen Strabo eos hisce verbis ob studia disciplinarum commendet: Hæc Massiliensium institutio Romanorum hodie nobiliss. quemque pellexit, adeo, ut pro peregrinatione, quam studiorum caussa Athenas pridem suscipiebant, disciplinarum cupidi nunc illuc se conferant: quorum æmulatio Gallos quoq; excitavit, ut pace per Galliam composita, ipsi ocium à rebus bellicis amplectentes, ad discendi institutum animum appellerent, non viritim modo sed etiam universim per urbes, quippe qui dicendi magistros (quos Sophistas appellant,) privato publicoque impendio oppidatim suscipiant, salarium illis statuentes, ac medicis. Eadem accidere Germanis, teste eodem Bodino, qui inquit: Quum olim inveterato quodam odio semper a literis abhorruissent, nunc tantum profecerunt, ut humanitate Asiaticis, militari disciplina Romanis, religione Hebræis, philosophia Græcis Geometria Ægyptiis, Arithmetica Phœnicibus, Astrologia Chaldæis, opificiorum varietate populis omnibus superiores esse videantur. Recte itaq; ratiocinatur Commiæus hoc modo: Doctrina vel meliores reddit homines vel deteriores, pro cujusque natura & inclinatione: sed tamen verisimilius est, aliquem ea fieri meliorem. Nam quo quisq; magis, quid se deceat, intelligit, eo vehementius ipsum neglecti pudet officii: & etiamsi non omnino sibi temperet à maleficio, tamen ne plane modum excedat, cavet. Ac istud quidem usu compertum habeo. Multos enim novi, quos

Li. 1. de Magno Consilio.

In Methodo historica.

Lib. 4.

Lib. 10.

à pravis & illaudatis conſiliis eruditio ſola retraxit. Huc etiam accedit metus divini numinis. Quanta enim ſit peccati magnitudo, & quantopere Deus offendatur flagitiis, docti non paulo melius, quam homines imperiti cognoſcunt. Qui ſunt igitur male inſtituti principes, quantum ſit munus, quod acceperint à Deo, non intelligunt; & ipſorum familiares, ne malam ſibi gratiam concilient, diſſimulant: & ut ex omnibus forte ſit unus, qui fideliter admoneat, is tamen ſuæ ſententiæ nullos habet approbatores, ac fere fit, ut ridiculus habeatur. Sed ut hoc caput exemplis veterum abſolvamus, peccata principũ facile imitatores reperire, confirmatur facto Neronis. Nam Corn. Tacitus refert, & à Suetonio in vita ejus mentio fit, eum itinera urbis, & lupanaria & diverticula, veſte ſervili in diſſimulatione ſui compoſitum, pererraſſe, comitantibus qui raperent ad venditionem expoſita, & obviis vulnera inferrent adverſus ignaros, adeo ut ipſe quoque acciperet ictus & ore præferret. Deinde inquit, ubi Cæſarem eſſe qui graſſaretur, pernotuit, augebanturque injuriæ adverſus viros fœminaſque inſignes, & quidem ſimili licentia ſub Neronis nomine multi propriis cum globis eadem exercebant, & in modum captivitatis nox agebatur, &c. Memorabiſe poſtremo eſt, quod Athenæus de Philippo Rege ex Theopompo refert: Philippus, ut plurimum habuit in poteſtate pecuniam, eam ocyus non expendit, ſed prodegit & projecit, omnium hominum peſſimus rei ſuæ diſpenſator, & non ipſe tantum, ſed etiam comites, atq; ex familiaribus intimi. Nullus enim, circa exceptionẽ, recte vivere didicerat, aut modeſte ſuam familiam regere. Ejus autem inſolentiæ præcipua cauſſa Rex fuit, qui ſumptuoſior juſto, avaritiaq; eſſet inexpleta, & omnia inconſulta facilitate donaret, acquireret, faceret. Bellis n. militiæq; aſſueto nunquam vacuit rationes ſubducere, quantum reditus eſſet, quantum expenſi. Præterea neceſſarii ac familiares ejus diverſis ex locis ad illum confluebant, alii ex eadem provincia, alii ex Theſſalia, alii ex aliis Græciæ regionibus: non optimi & virtutis reſpectu delecti; ſed ut è barbaris aut Græcis quiſq; petulans fuit, impurus moribus, audax, in Macedoniam homines congregati, amici Philippi vocabantur. Neque mirum hoc fuit, Philippum ſui ſimiles ſocios habuiſſe, cum idem autor Theopompum rurſus alleget, dicentem, eum viros modeſtos, rerumque ſuarum ſtudioſos reprobaſſe, prodigos autem atque inter pocula & talos viventes laudaſſe, & ita honore habuiſſe, &c. Salutaris itaq; eſt monitio, Imperatorem non ex eo, quod aliis imperat, ſpectari debere; ſed ex eo, quod ſeipſum ita regere & moderari poteſt, uti nullum abſurdum voluptatis genus ſinat in animum irrepere, ſed ita invictum ſe ab intemperantia praſtet, ut vita ejus ſit tanquam imago virtutis, quam imitentur ſubjecti ejus & ad virtutem erudiantur. Poſtremo manet manebitque vera ea ſententia, à ſapientiſſimo viro literarum pro-

Lib. 13. ann.

Lib. 4. c. 20. de ſuaviloq. & intemperant.

Lib. 6. c. 6.

Evagrius li. 4 c. 1. Eccl. hiſt.

prodita monumentis, mutatione temporum, eventu vario, per omnes ætates comprobata, cum principum moribus atque institutis, privatorum hominum sensus & studia congruere. Est enim ita more comparatum, ut in eorum, qui imperant, vitam ii qui parent, veluti in speculum intuentes, dicta simul & facta diligenter animadvertant. Inde oritur cupiditas imitandi, inde fieut aut virtutes emanent, aut vitia deriventur. " Paul. Manutius lib. 11. epistol.

CAPUT LXVII.

De bubone inauspicata ave, & Joanne XXIV. Pontifice Romano.

ETSI Tartari Asiatici bubonem (eo quod ipsorum primum Imp. Changium Camum, in fuga sub arbusculis delitescentem ab hostibus protexerit. Quum enim illam avem conspicerent, non putabant ibi aliquem in latebris esse) magno in honore habent, ita ut felices putent, qui pennas de ea ave super galeis vel pileis gestent: tamen Plinius bubonem recenset inter inauspicatas aves. Bubo, inquit, funebris, & maxime abominatus, publicis præcipue auspiciis, deserta incolit, nec tantum desolata, sed dira etiam & inaccessa, noctis monstrum, nec cantu aliquo vocalis, sed gemitu. Itaq; in urbibus aut omnino in luce visus dirum ostentum est, &c. Unde accidit ob hanc avem visam & auditam non solum Urbem sæpenumero lustratam fuisse, teste eodem Plinio, sed etiam anno Urbis conditæ D.C.XIX. & sequenti, exercitus Romani oppressionem ad Numantiam, eam portendisse creditum est. Inter prodigia, quæ mortem Commodi Antonini Imp. præcesserunt, etiam hoc refertur: bubonem supra cubiculum ejus deprehensum esse tam Romæ quam Lanuvii. Et Ammian. Marcel. inter prodigia quæ præcesserunt mortem Valentiniani Imp. recenset, Bubonem culminib. regum lavacri considentem occentantemque funebria nulla jacientium sagittas & lapides cõtemptibili dextra, hec enim sunt ejus verba, cadere potuisse. Eodem modo talis dira avis, ut aliquid de nostris temporibus dicam, Ann. M.D.XLIII. circa brumam diu suo prodigioso ululatu perterrefecit Herbipolenses in Franconia Orientali, quem paulo post secuta sunt cum peste atrocia bella, aliæque calamitates, sicut in eorum Annalibus legimus. Hæc quum legerem, & meditarer, venit mihi in mentem, quæ Nicolaus à Clamengiis Doctor egre-

Haithon. Armen. de Tartaris c. 16.

Li. 10. c. 12.

Ælius Lampridius.

Lib. 37.

egregius, & Archidiaconus Bajocensis, de suo coætaneo Baldasare Cossa, qui postquam ad pontificatum Romanum pervenit, Johannes XXIV. teste Platina appellari voluit, in sua disputatione de concilio generali recenset, cujus verba asscribenda putavi. Convocaverat, inquit, ante annos quatuor ferme, Romæ concilium Ecclesiæ, maxima quorundam compulsus instantia Baldasar ille perfidissimus, nuper è sede Petri, (quam turpiss. fœdabat) ejectus, in quo paucissimis concurrentibus extraneis, ex aliquibus qui i affuerant Italicis, ac curialibus sessiones aliquot tenuit, in rebus supervacuis, nihil ad Ecclesiæ utilitatem pertinentibus tempus terendo consumptas. Quumq; ante primam concilii congressionem, pro invocatione sancti Spiritus, solito fuisset de more missa celebrata, ubi concilium assedit, ipseque Baldasar in parata sibi cathedra sublimior præsedit, ecce dirus ac feralis bubo, funeris aut alterius (ut ferunt) calamitatis semper nuncius, è latebris suis erumpens, cum sua illa horrifica voce, continuo advolat, supertrabemq; templi mediã, oculis in Baldasarẽ directo intuitu cõjectis astitit. Cœperũt universi mirari quod nocturna avis & lucifuga, diurna luce in turbæ medium advenisset, malumq; omen ex prodigio, non immerito auspicabantur. En, inquiebant, suppressa voce alter ad alterum, in specie bubonis spiritus adest. Quumq; cæteri, & se mutuo & Baldasarem spectantes, vix risum tenerẽt; Baldasar ipse (in quem solum illa fixa acie oculos intenderat) rubore suffusus, sudare, angustari, atq; intra semetipsum æstuare cœpit, tandemq; non inveniens, qua alia posset ratione suæ tantæ confusioni consulere, soluto consilio, surgens abscessit. Secuta est deinde altera sessio, in qua rursum more simili (licet, ut credo, minime vocatus) bubo adesse non omisit, verso semper in Baldasarem contuitu. Quem ille rediisse conspiciens, majori quam prius verecundia metu conturbatus est, nec illius ultra ferre prævalens conspectum fustibus illum terrificisque clamoribus abigi præcepit. Sed nec vocum inquietudine, nec aliis tremefactus molestiis, effugere voluit, donec fustium crebris ictibus acerrime pulsatus in conspectu omnium exanimis decidit. Hæc ex quodam amico fideli didici, qui illis diebus recto gradu Roma veniebat, super quibus quum propter rei insuetudinem hæsitare cœpissem, per me vehementiss. adjuratus verissima se retulisse confirmavit. Addebat autem omnes qui aderant, in magnum contemptum atq; irrisionem concilii ex hac re adductos, paulatimque toto delapso concilio, nihil prorsus actum esse fructuosum. Hactenus Nicolaus de Clamengiis. Vixit autem is tempore Sigismundi Imp. quum Constantiense concilium celebraretur, anno Domini M. CCCC. XVII. quo tempore edidit suam disputationem, (in qua hæc historia inserta est) & alios tractatus. Hic Johannes XXIV. Pontifex Romanus, quum à Consilio Constantiensi propter enormia scelera remotus esset à pon-

pontificatu, retractus in dissimulato habitu ex fuga à Palatino Rheni in arce sua Manheimensi, ubi adhuc carcer ejus conspicitur, diu in custodia habitus fuit, in qua versus sequentes composuisse dicitur. Nam Platina & alii scribunt, cum doctum & acerrimi judicii fuisse:

Qui modo summus eram, gaudens & nomine præsul,
Tristis & abjectus nunc mea fata gemo.
Excelso solio nuper versabar in alto,
Cunctaq; gens pedibus oscula prona dabat.
Nunc ego pœnarum fundo devolvor in imo;
Vultum deformem quemq; videre piget.
Omnibus è terris aurum mihi sponte ferebant,
Sed nec Gaza juvat, nec quis amicus adest.
Sed varians fortuna vices adversa secundis
Subdit, & ambiguo nomine ludit atrox.
Papa fecit.

Cum autem in concilio illo, ei quadraginta articuli, quibus accusabatur, numero & pondere gravia facinora, & delicta continentes, objicerentur, numque ille se defendere posset, fertur, eum ad amicos dixisse, unum esse adhuc aliud peccatum, magnitudine cætera cuncta superans, cujus se vehementiss. pœniteret, percunctantibus vero quodnam id esset, respondisse: quod Alpes transivisset: significans quod sibi deterrime consuluisset, accedendo ad concilium, ubi jam quasi irretitus teneretur, neque amplius turbandi res communes haberet facultatem. Hic postea liberatus, quum pro suo legitimo successore Martinum V. agnosceret, ejusquè pedes mirantibus cunctis osculatus esset, motus is ejus humilitate, paulo post in Cardinalium numerum cum assumpsit, Tusculanumque episcopum creavit. Verum post aliquot menses animi dolore, uti creditum est, Florentiæ mortem obiit, Anno Domini M.CCCC.XIX. ubi à Cosmo Medice (qui ei familiaris, & ut fama est, ex deposita pecunia egregie ab eo ditatus fuit) honorificentiss. in D. Johannis Baptistæ templo, magna adhibita funeris pompa, sepultus est. Ejus Epitaphium tale refertur:

Baldasar inprimis vocitabar, & inde Iohannes: *Balæus de Rom. Pontif. lib. 6.*
Depositus rursum Baldasar ipse vocor:
Dives eram nuper, quo nullus major in orbe:
En mihi divitias abstulit hora brevis.
Dum cathedram Petri lustro, paucisque diebus
Possedi: plures procubuere mihi.

Posses

Peſtis avaritia me cæcum reddidit, aurum
Plus juſto ſitiens munera ſacra dedi.
Heu mihi! quam duxi, ſponſa CHRISTI ſine ruga,
Scandala magna nimis ſordida vita dedit.
Propter quæ ſcelera, excelſo ſynodus ſacra Petri,
Me velut indignum depulit è ſolio.
Pontifices igitur moniti ſine temporis hujus,
Exemplo noſtro ne ſacra dent precio.

Caput LXVIII.

De avium pugna & ſolertia earum, nec non & de ſerpentibus memoratu digna.

Lib. 10. c. 74. PLINIUS ſcriptum reliquit, omnibus annis advolare Ilium ex Æthiopia aves, & confligere ad Memnônis tumulum, quas ob id Memnonidas vocent. Hoc idem quinto quoque anno facere eas in Ægypto circa regiam Memnonis, exploratum ſibi Cremutius tradit. Simili modo pugnare Meleagrides, Africæ gallinarum genus in Bœotia. Verum hæc Pliniana tanquam obſoleta omittamus, & audiamus, quid Jovianus Pontanus gravis autor de conflictu avium ſcribat: *In fine lib. 1. de Ferd. 1. Alfon. F.* Anni, inquit, hujus (qui fuit à nato CHRISTO milleſimus, quadringenteſimus ſexageſimus primus) exitu in campis, qui Beneventũ inter Apiciumq; interjacent, fœdum certamen inter corvos milviosq; exortum eſt: ſive oſtentum illud fuerit, prognoſticumq; futuræ ad Trojam pugnæ: ſeu naturalis contentio, quod multitudine locuſtarum, iis in campis, eo autumno prognatarum, quibus alites ipſi veſcantur, pugnatum ſit ob paſtus cupiditatem. Primo igitur è certamine, (nam bis pugnatum eſt) quod milvii acrioribus magisque falcatis armati eſſent unguibus alisq; uterentur patentioribus majoresq; captarent auras, corvi cum diſceſſiſſent inferiores, paucis poſt diebus, ac ſi imploratis aliunde auxiliis, rediere denſiore agmine generis ſui volucrum. Quod idem factitatum à milviis. Cœpta igitur acri in aere pugna corvi ſenſim quaſi inito conſilio, arteque hac uſi, intra vineta ſubſidere, ſtanteſque aut ſuper vitibus jam defrondibus, aut ſuper editioribus ramis, truncove eminentioribus, roſtra ſubrigebant, ingruenteſque alis atque unguibus milvios ſuffodiebant roſtris quaſi pugionibus. Itaque cernere erat cadentes paſſim atq; exenteratós milvios, ſingulorumque

que ad casum conclamare corvos, crocitatuque significare victoriam, & tanquam cohortari aciem cantu, atque excire pugnantes. Quo pugnæ genere cum certatum esset diutius, plenis tandem cadentium milviorum campis, ipsi tanquam in insidias delatos se intelligentes, pugnam deseruere, confessi volatu fugam, atque alitis hostis, super stragem volitantis victoriam. Hic vero elatus victoria corvus atque in cædem versus, in stratos humi milvios sævire, iramque ad rabiem exercere, conficere rostro semineces, atque è mortuorum aut capitibus cerebrum eruere, aut hausta è visceribus intestina trahere unguibus, carpere præcordia, ac discindere armos rostris, demum nihil iræ reliquum facere, nihil non permittere rabiei. Atque ex hoc certamine victor plures dies perinde ac direptis hostium castris liber, lætusque passim ferebatur. Hanc pugnam volucrumque conatus tantos plurimi mortales spectatum quum venissent, quo stragem ipsi cernerent, per vineta camposque vagabantur. Itaque alii pugnæ genus acre cruentumque, stragem alii tantam mirabantur. Erant qui vulnerum vastitatem, & congestos quasi cæsorum acervos, suspicerent, nemo tamen qui non futurum brevi contendentium exercituum auguraretur certamen, partisque alterius calamitatem. Hæc Pontanus, cujus verba recensere libuit, cum propter elegantiam styli, tum propter luculentam narrationem hujus memorabilis & portentosi certaminis. Etsi autem fieri potuit, ut istæ aves prædam locustarum istis in campis, sicut utraque ad illam avida est, sectatæ sint, & ob eam causam inter se dimicarint, cum præsertim & Plinius tradat, Seleucides aves incolis Casii montis fruges à locustis tutas servare; tamen hoc certamen non fortuitum fuisse, exitus pugnæ sanguinolentæ, quæ illis in locis paulo post evenit, declaravit. Nicetas quoque de pugna cornicum & corvorum scribit, quæ accidit inter istas volucres ante atrocem Scytharum, Joanne Myso duce in Thraciam incursionem. Hæ, aliæ à Septentrione, aliæ ab Austro in unum locum congregatæ, inter sese velut acie quadam instructa acriter conflixere, Corvi qui à Septentrione venerant, meridionalium cornicum phalanges in fugam verterunt. Paulo post Scythæ cum Italis conflixerunt, & Itali magna clade accepta superati sunt. Eodem modo Sabellicus refert, pridie quam Veneti fœdissimam cladem ad Sapientiam insulam acciperent, corvorum vim ingentem supra classem conflixisse, atque alteram partem ita vexatam, ut plumæ cruorque fusus in Venetas triremes decideret. Huc addi potest, quod Ricardus Dinothus memoriæ tradidit: Quod circa tempora Alberti Cæsaris in Gallia ad Leodium corvi accipitresque adeo atrociter conflixerint, ut cruor & plumarum vis ingens in terram defluxerit; sed post acrem dimicationem accipitres superiores extitisse. Ubi quoque refert, quod in Italia ex pyro arbore duo formi-

Deca. 2. li. 5.

In adversariis de prodigiis.

carum examina, ex adverſo concurrentia, pugnam ediderint inſignem, eandemque utrinque teterrimam, multis ad id ſpectaculum accurrentibus. Paulo poſt acerrimum bellum ſecutum inter Inſubres & Venetos; & Leodicenſes cum Burgundis prælio cruentiſſimo decertaſſe; quo ad triginta hominum millia cecidere. Addit ibidem & hæc: Regnante apud Gallos Carolo VIII. in Britannia Armorica, in ſubjectis Sanctalbani campis, ex diverſis Galliæ partibus affluentes picarum & graculorum greges ſumma contentione decertarunt, & poſt variam utrinque cædem graculi victoria potiti ſunt: Sequenti anno Francorum & Britannorum acies infeſtis ſignis depugnarunt, & Franci de Britonibus inſignem victoriam, captis eorum ducibus, reportarunt. Nuper quoque, Anno nimirum 1587. menſe Decembr. in Croatinis finibus ad Wihizium, Caroli Archiducis Auſtriæ caſtrum, quaſi nubes quædam anatum & anſerum aliquot ſanè myriadum advolavit, ſeque proximum in ſtagnum demiſit: ubi noctu ſtrepitus ingens pugnantium inter ſe volucrum in tota vicinia ſeque mutuis conficientium vulneribus, auditus fuit. Egreſſi poſtridie milites, cives, agricolæ, tantam & anatum & anſerum copiam, ad fumum, ad aerem exſiccandorum congeſſerunt, ut diu tam opima ſint victitaturi commodè præda. Nam alii 100. alii 300. plures alii, pauciorésve collegerunt mactatas ab ſe invicem volucres. Tandem è prato quodam ſpacioſiſſimo ſublatis ſuperſtites alis avolarunt: Hæc ita refert Leunclavius noſter. Et paulo poſt addit: Sub finem anni Decembri menſe, Croatinis in finibus aliquot millia Turcorum à noſtris, numero longè imparibus fuiſſe cæſa, & inter eos Baſſæ Boſnenſis fratrem. Anno quoque ſequenti menſe Februario, noſtros Copanum, arcem non procul ſitam lacu Balatone, tunc temporis congelato, quo tres Turcorum Begi convenerant, ex inopinato adortos cepiſſe, in qua fuerint mille Turcorum plus minusve capita. Eodem anno menſis Auguſti die octavo, Georgium Serinum Comitem cum aliis Cis Danubiani limitis cuſtodibus, Turcos non abſque ingenti cæde recuperata præda; ſupra Catzerola cum ad unum à Caniſa milliare, viciſſe & profligaſſe, captis & cæſis hoſtibus circiter 5000. Similem pugnam noſtrorum patrum memoria in Caramania accidiſſe, inter terreſtres & fluviatiles ſerpentes, hiſtoriæ teſtantur, qui per triduum inter ſeſe magna contentione certarunt; quod certamen pluſculos poſt dies ſecutum eſt prælium atrociſſ. inter Turcos, ob inteſtinas ſimultates & regnandi cupiditatem. Obſervatumque eſt ex illa parte victoriam ſtetiſſe, in qua ſerpentes fuere ſuperiores. Eodem modo anno ſalutis M. LIX. non procul à Tornaco, multitudo colubrorum prælio concertantes non antea ceſſaverunt, quam induſtria populi circumſtructo igne comburerentur.

In ſuppl. annal. Turcicorum.

Chriſtianus Maſſæus lib. 6.

C

CAPUT LXIX.

De serpentibus peculiaria.

NON tantum in sacris literis legimus hominem nuper creatum in Paradiso, per serpentem subdola persuasione diabolica deceptum fuisse, sed passim multæ historiæ extant de serpentibus quod conspecti sint veluti irritamenta illecebrarum, & quasi coitum expetentes cum fœminis. Quis autem ludibria Sathanæ licet magis in illo, quam in hoc, non animadvertat; Cæterum He- *Bodin. lib. 2. de Mag. dæmon.*
bræi omnes consentiunt, Diabolum, Deo permittente, plurimum in genitalia & concupiscentiam posse, dicentes allegoricè Sathanam à serpente ferri. Serpente vero ἀκρασίαν voluptatem, quæ in ventrem incumbit, significari Philo & Hebræi tradunt. Alexandro Magno persuasum fuit, matrem suam Olympiadem à dracone, quem Jovis Genium superstitiosa antiquitas credidit, gravidam factam. Unde quum Alexander ita ad matrem scripsis- *Gyrald. hist. deorum*
set: Rex Alexander Jovis Ammonis filius, Olympiadi matri salutem dicit: *Varro in fragmentis.*
illa festivissimè ita rescripsit; Amabo quiescas, neque deferas me, neque criminere adversus Junonem. Magnum illa prorsus mihi malum dabit, quum tu me literis tuis pellicem illi esse confiteris. Hoc quoque de Scipione Africano traditum est. Famam enim sparsam esse refert C. Oppius, qui *Lib. 7.*
ejus vitam conscripsit, & Livius, nec non & Gellius, qui se hoc sumpsisse ex *Lib. 7. c. 1.*
Oppio, & Julio Higino fatetur, cum ex anguis immanis concubitu conceptum, & in cubiculo matris ejus persæpe visam prodigii ejus speciem, interventuque hominum evolutam repente, ex oculis elapsam. Hujus rei Valer. Max. & Plutarchus in ejus vita quoque mentionem faciunt. Idem de *Lib. 1. cap. 3.*
Augusti matre traditum est à Suetonio. Scribit enim Attiam, quod ad solenne sacrum media nocte venisset, posita in templo lectica, dum cæteræ matronæ dormirent, obdormiisse, draconemque repente irrepsisse ad eam pauloque post egressum, illamque expergefactam, quasi à concubitu mariti purificasse se; & statim in corpore ejus extitisse maculam, veluti depicti draconis, nec potuisse unquam eximi, adeo ut mox publicis balneis perpetuo abstinuerit. Augustum natum mense decimo, & ab hoc Apolli- *Sext. Aurel. in epitome.*
nis filium existimatum. Galerius quoque Imp. qui quod ortus parentibus agrariis, & pastor armentorum fuisset, armentarius dictus est, insolenter affirmare ausus est, matrem suam more Olympiadis Alexandri Magni genitricis compressam à dracone, semet concepisse. Etsi autem hæc revera accidisse historici testantur, ideoque ludibria diabolica fuisse negari non

Cap. 82. Lib. 1 de vita & geſtis ejus.

poteſt: tamen in ſomno ſerpens viſus nonnunquam futuræ felicitatis indicium fuit. De qua re habemus exemplum memorabile in matre Georgii Caſtrioti, qui à Turcis Iſchenderbeg, vulgo autem Scanderbegus dictus fuit, cujus infra mentio fit. Ferunt enim, ſicut Martinus Barletius ſcribit, quod quum concepiſſet eum mater, ſerpentem ſe enixam ejus magnitudinis ſomniarit, qui totam ferè operiens Epirum, caput inter Turcarum fines protenderet, & cruentis faucibus eos abſorberet, caudam vero teneret in mari inter Chriſtianos & Veneti maximè imperii terminos; Narratum id ſibi, Johannes Princeps Epiri ejus pater, quum non ejus generis res eſſet, quæ extis ullis ſcrutaretur, vel Apollinem exigeret interpretem, ingenti lætitia ſolatus uxorem, naſciturum ex ea virum ominatus facile eſt clarum bello factiſque, qui Turcarum ſimul hoſtis acerrimus, idemque dux feliciſſimus, & Chriſtianæ fidei propugnator, ac Veneti cultor imperii perpetuus exiſteret. Nihil feſellit ſe, vel alios ſolicitus parens, ſed aucta magis eſt vaticinio fides puero nato. Namque aliud pulchrius longe clariuſque bellici decoris ſignum in dextro infantis brachio viſum, forma enſis ita expreſſa ut manu facta videretur. Hæc Barletius. Sed ne diutius in ſomniis immoremur: Eodem modo hiſtorici ſcribunt, ſerpentes deprehenſos eſſe aliquando amaſios puellarum, omniaque & amoris & nequitiæ ſigna præbuiſſe. Extat memorabile exemplum apud Plutarchum de ſerpente, qui Ætolæ cujuſdam virginis amore captus, noctu eam adire ſuetus, puellæ corpori circumfuſus, hac atque illac illabens illam nunquam neque ultro neque invitus lædebat, opportuneque ſub diluculum recedebat. Quod quum ii, quibus puella curæ fuerat, intellexiſſent; eam alio migrare compulerunt. Serpens per triduum & quatriduum non adeſſe, ſed diligenter accurateque circuinire, illam quæritans; quam ubi mox invenit, caſu illi obviam factus, non uti ſolitus erat, mitis & blandus, ſed aſper & horridus in illam inſilit, manibuſque primum ſpira ad corpus aſtrictis; caudæ reſiduo femora flagellabat, levem quidem iram præ ſe ferens, ſed quæ licet indulgentia aliqua permixta eſſet, caſtigationem tamen apertè demonſtraret. Hæc Plutarchus, & ſit fides penes autorem. Ex hoc conſtat, non ſine cauſa ſerpentes veteribus ſymbolum fuiſſe ſalacitatis & procacitatis. Unde Araxam famoſæ libidinis fœminam, cujus Diodorus meminit, fingebant fuiſſe ſemiviperam, humana videlicet forma umbilicotenus, reliqua viperina. Dicunt, inquit, Scythæ per modum fabulæ natam apud ſe virginem ex terra ſcilicet Veſta, umbilicotenus hominis forma, reliqua viperæ, eamque genuiſſe puerum, cujus nomen Scytha, à quo dicti ſunt Scythæ, id eſt, primus & ante alios, quod præceſſerit antecedens claritate. Hoc quoque Galli de Meluſina; more Araxæ certis diebus inter lavandum muta-

ri ſo-

tisfolita, fabulantur. Quin immo locus adhuc hujus monstrosæ metamorphoseos in arce quadam monstratur. Non mirum est igitur, quod de Lamia quadam, quæ libidinis appetitu percita, Menippi admodum juvenis sanguinem deglutire cupiebat, multa scribuntur, unde postea adagium ortum est, ut memorat Philostratus, ἐᾶν θηλῶσαι καὶ σὺ ὄφις, Anguem concupiscis, teque anguis, quod Menippus scilicet mulieres appeteret, & ab eisdem expeteretur. De Menippeis autem amoribus sequens caput plura docebit. Et ut ad recentiora veniamus: Sane nonnulli ex Lithuanis & Samogithis, retento gentilitio ritu à majoribus accepto in domibus sub fornace, vel in angulo vaporarii, ubi mensa stat, serpentes fovent, quos numinis instar colentes, certo suo tempore precibus sacrificuli evocant ad mensam. Hi vero exeuntes per mundum linteolum conscendunt, & super mensam assident, ubi postquam singula fercula delibarunt, rursus descendunt, seque abdunt in cavernis. Serpentibus digressis, homines læti fercula illa prægustata comedunt, ac sperant illo anno omnia prospicere sibi eventura. Quod si ad preces sacrificuli non exierint serpentes, aut fercula super mensam posita non delibaverint; tum credunt se anno illo subituros magnam calamitatem. Hæc ex epistola Joh. Meletii ad Georgium Sabinum describenda duxi: Huc adjicere visum fuit historiam sanè memorabilem, quam inter Anglos & Gallos accidisse, in annalibus se reperisse quidam ex amicis mihi recitavit. Quum uterq; Rex in Normandia magnum & instructum exercitum in aciem produxissent, jam jam prælium futuri; nonnulli ex ducibus Gallorum, timentes Anglorum fortitudinem & felicitatem (quam cum magna clade sæpius experti fuerant) nec non & dubiam incertamque aleam belli perpendentes, eo rem deduxerunt, ut ambo Reges prius ad colloquium, singuli cum paucis familiaribus, venirent, si fortasse absque prælio transigi inter ipsos posset, ita enim sperabant, quod olim oraculum Dodonæum Lacedæmoniis adversus Arcadas pugnaturis respondit ἀδάκρυτον μὴ ἔμεν ἔσεσθαι, bellum sine lacrymis futurum. Vel ut Tacitus dicit, Bellorum & dissidiorum egregii fines ubi ignoscendo transitur. Conventum itaque est, ut in eadem planicie, in qua acies instructæ erant, locus idoneus, & ab insidiis tutus eligeretur ad congressum familiarem duorum Regum. Explorata re, sacellum quoddam desertum, & propemodum dirutum, medium inter acies placuit. In quo quum Reges armati, remotis arbitris placidè colloquerentur, & ipsorum familiares, quos pari numero secum armatos assumpserant, ante ostium interea excubias agerent, non difficulter inter eos mitigatis animis convenit, ut utriusque exercitus in castra reduceretur, & induciis factis, de conditionibus pacis altero die frequentiori consilio deliberaretur. Dum iis aliisque familiaribus sermonibus, duo illi Reges essent occupati, & ex hostibus amici facti esse viderentur,

De religione & sacrificio veterum Borussorum.

ſeque ad ſuos recipere vellent: ecce ibi anguis immanis, vel tumultu hominum, vel diabolicis artibus, permittente Deo latebris velut altera Erynnis excitata, ex angulo quodam ſacelli præter opinionem emergit, & quaſi petitura Reges ſibilis ſuis eos perterrefacit. Illi videntes hanc minacem & venenoſam beſtiam, ad ſe tortuoſis flexibus accelerantem, colloquium mox abrumpunt, & ut ſe ab ea defenderent, gladios ſtringunt, repenteque mutatis animis neuter alteri gladium exſertum habenti fidens, ſeſe foras raptim proripiunt. Familiares ipſorum inſcii quid accidiſſet, & ipſi inopinata re confuſi, rati ſimultatem inter Reges jam dudum hoſtes in ſacello ex colloquio ortam itidem faciunt; & unuſquiſque ſuo Regi expeditis armis aſſiſtit, veluti confliéturi. Hoc quum uterque exercitus, qui in acie non procul ſtabat, conſpiceret, nulla mora, quaſi ſigno dato prælium ineunt, & nequicquam prohibentibus Regibus, erroremque demonſtrantibus, tanto furore manus conſerunt, ut multa millia cæſa ſint, duravitque prælium donec nox eos ſegregaret.

Caput LXX.

De Menippeis amoribus & aliis præſtigiis memorabilibus.

De ſtudio literarum rectè inſtituendo.

PHILOSTRATUS, ut Budæus refert, hanc hiſtoriam in vita Apollonii (ſive hiſtoria eſt illa ſive mythiſtoria, ut magna pars eius operis merito exiſtimari poteſt) recenſet. Menippus, inquit, erat Lycius, annos quinque & viginti natus ingenio mediocri præditus, & corpore rectè conſtituto, ſimiliſque erat faciε pugili bono & ingenuo. Hunc Menippum amari à peregrina muliercula vulgus opinabatur, quæ & formoſa ipſa videbatur eſſe, & delicata valde; tum divitem ſeſe muliercula dictabat, quorum revera nihil erat, etiam ſi ita videbatur. Ac Menippo quidem ſoli in via aliquando iter facienti, quæ Cenchreas ferebat, phantaſma occurrit ſpecie muliebri, apprehenſaque manu ejus mulier, jam diu amore ejus captam ſe eſſe dixit. Phœniſſam autem ſeſe origine eſſe ajebat, ſed in ſuburbio habitare Corinthi, quoddam ſuburbiorum nuncupans. Quo Menippe, inquit illa, ſi venire conſtitueris, cantilenam me cantitante mire oblectabere, vinumque illic bibes, quale ante hunc diem nunquam, nec vero ibidem tibi ab æmulo metus erit, tecum enim una victura ſum, formoſa cum formoſo. Quibus verbis juvenis pellectus, (erat autem inter cætera ille quidem firmus viriliſque Philoſophus, ſed impar amoribus) ad mulierem ſe contulit ſub veſperam,

deinde

deinde cum ea eo modo conſuevit, ut aſſolent, qui amant, nec dum enim ſuſpicabatur viſum eſſe, qui cum ipſe verſabatur: Apollonius autem quum eo veniſſet, in morem ſtatuarii intuens in Menippum, hominem veluti pictor oculis perluſtrabat: dein ubi percognitum hominem jam habuit: Heus tu ô formoſe, inquit, quem fœminæ decoræ captant, ſcito te ſerpentem ſinu fovere, vicisſimque foveri à ſerpente. Quod verbum Menippo admiranti. Nam tibi, inquit, Menippe, mulier eſt non uxor, ecquid autem amari te ab ea cenſes? Sanè quidem, Menippus inquit, vehementer mulier amore mei capta eſt. Nempe atte igitur, inquit Apollonius, eam ducturus uxorem es? elegantius enim erit, opinor, eam nuptam habere amantiſſimam tui. Verum age, quam mox Menippe futuræ ſunt nuptiæ? Quam primum, ait ille, cras etiam fortaſſe. Nuptiarum deinde die ſtato, atque ab ipſo Apollonio notato & obſervato; commodum advenerant convivæ, epularique jam cœperant, quum Apollonius ad diem ipſum, ad horamque affuit, tumque ad epulantes converſus: Ubinam, inquit, illa eſt bella & delicata, quam propter nunc potaris? En tibi illam, Menippus inquit, & ſimul rubore perfuſus aſſurgit. Tum ille, aurum autem & argentum, inquit, reliquaque vaſa quibus hoc conclave exornatum cernimus, veſtra ſunt Menippe, nec deſunt? Mulieris ſunt, inquit Menippus, hoc enim eſt tantulum omnium, meum quod dicere jure poſſim, pallium oſtendens ſuum philoſophicum. Nonne igitur vos tandem Tantali hortos quoſdam ſcitis eſſe, qui nulli ſunt? inquit Apollonius. Nos vero, ajunt illi, eos demum apud Homerum ſcimus eſſe, ut quibus ad inferos deſcendere non contigerit. At vos, inquit ille, iſta quæ cernitis, hoc omne ornamentum, eoſdem ipſos hortos exiſtimatote eſſe, non enim hæc materia, ſed materiæ eſt opinio potius. Quo autem ipſi vera eſſe cognoſcatis, ea quæ ego dico, iſthæc bona ſponſa Empuſarum eſt una, quas quidem lamias eſſe, quidam larvas arbitrantur. Amant autem Empuſæ, ac rebus Venereis gaudent, tum carnibus præcipuè humanis delectantur: & quos homines quidem comeſſe ſtatuerint, eos ante ſolicitant amoribus Venereis. Tum mulier ipſa ſponſa, Heus tu inquit, homo, melius ominare; & apageſis ajens, execrari ſimulabat, ea, quæ dicentem audiebat Apollonium: deinde Philoſophos cavillari mulier-cula ut plerunque delirantes. Verum aurea ipſa pocula, argenteaque cuncta ſupellex, ut quidem eſſe videbantur, inania & evanida interim abierunt, ipſa refellente Apollonio. Servi etiam vinum miſcentes, & concinnatores obſoniorum atque omne illud famulitium atque miniſterium repentè non comparuerunt, cum Apollonius præſtigiã refutaſſet, ſimul illud phantaſma lacrymabundum orare Apollonium inſtitit, ne ſe torquendo cogeret fateri, quid ipſum eſſet. Urgente autem Apollonio, nihilque indulgente Empuſam

Lib.6.c.21. hist.Eccles. *In historia deorum syntag.12.*

plane falsa est esse, eamque ob causam Menippum epulis saginare, ut ejus corpore vesceretur. Hactenus ille. Empusæ autem Evagrius meminit, d[illegible] bit Mauritii Imp. matrem narrare solitam, sæpe larvam, quam Græci [illegible] vocant, infantem de loco in locum movisse, tanquam illum voratur[illegible] nime tamen ei nocere potuisse. Et scribit Lilius Gyraldus, quod aud[illegible] ex iis, quibus nostro hoc tempore Empusæ vel phantasmata mulieb[illegible] paruerint, seque legisse; qui putarent, illud Regis Davidis meridian[illegible] monium hujuscemodi terriculamentum significare. In Suidæ histori[illegible] gimus, Empusam seu Onocolen esse spectrum diabolicum ab Hecate [illegible] sum, calamitosis apparens, inde dictum quod uno pede incedat, [illegible] vero habeat æneum aut asininum. Putabatur, inquit, etiam in me[illegible] parere, cum defuncti inferiæ ferrentur. Sanè Russi adhuc dæmon[illegible] ridianum metuunt & colunt. Ille enim, cum jam maturæ resecantur fruges, habitu viduæ lugentis ruri obambulat, operariisque, uni vel pluribus, nisi protinus viso spectro in terram proni concidant, brachia frangit & crura.

Cap.19. Empusas autem à Veteribus lamias & Marmolycias quoque nuncupatas esse, scribit una cum Philostrato Cœlius Rhodiginus. Cæterum si Menippea illa excogitata esse censemus, ut eodem modo, quemadmodum supra diximus, homines à libidinosis cogitationibus & actionibus deterreantur; audiamus porro veram narrationem de iis, quæ Alex. de Alexandro, neutiqu[illegible] vano testi, ut ipse refert, contigerunt. Sed quod ego, inquit, certum [illegible] beo, & satis certa probatione tradiderim profecto, haud minus est. C[illegible] Romæ ægra valetudine oppressus forem, jacereinque in lectulo, sp[illegible] mulieris eleganti forma mihi planè vigilanti observatam fuisse, quam [illegible] inspicerem, diu cogitabundus & tacitus fui, reputans nunquid ego fal[illegible] gine captus aliter atque res esset, aspicerem. Quumque meos sensus erigere, & figuram illam nusquam à me dilabi viderem, quænam illa esset, interrogavi; quæ tum subridens, & ea quæ acceperat verba respondens, qua[illegible] planè derideret, cum diu me fuisset intuita, discessit.

Lib.1.cap.9. genial. dier.

Tale spectrum sub Ma[illegible] I. Imper. prope Augustam circa annum Dom. M. D. III. apparuisse in [illegible] Margarethæ à Roth, Abbatissæ Eistetensis, quod non tantum vi[illegible] palpari, verum etiam loqui significantissimè potuit, testatur Th. Erastus vir doctiss. Et memorabilem historiam de Magdalena Cruceia Abbatissa, cujus vices, dum ipsa cum incubo sese spurcissimè oblectaret, spectrum in templo & alibi gessit, refert Wierus. Cujus quoque Benzo in histor. novi or[illegible] meminit. Circumfertur etiam libellus in nostra vernacula lingua editus, in qua de Lamia vel Empusa quadam mira narrantur, quomodo instar formosissimæ fœminæ, Baroni cuidam ex nobilissimo genere, quod in Germania, ut opinor, adhuc floret oriundo, diu cohabitaverit, eique perp[illegible]m

In disputatione de Lamiis lib.6.c.6. de præstig. dæmon. Lib.3.c.16.

[illegible] promiserit, si contentus suo illicito amore animum ad conju[illegible] adjiceret: sin secus faceret, cum mox post nuptias infelicissimum, [illegible] superstitem fore. Illum autem, cum hujus empusæ vel phasmatis [illegible] annos, aversans legitimi conjugij vinculum, suavissima conjun[illegible] opinabatur, usus fuisset, omniaque ei tam in seriis, quam in ludi[illegible] ere & ex animi sententia successissent, tandem persuasum ab ami[illegible] ditus, uxorem illustri sanguine duxisse, verum paulo post vix [illegible] perterrefactum ab illa Lamia, in flore ætatis suæ subito expi[illegible]. [illegible]um præterea, & neutiquam fabulosum est, viro cuidam nobili & [illegible] aliquot annos, cum vicinum montem, non procul à rupe ce[illegible], in qua natura & arte longe munitissima arx Wilia ditionis Wir[illegible], sita est, equo ascenderet, simile spectrum instar formosissimi [illegible] quadam sese exhibuisse, quod multis lascivis gestibus ad Vener[illegible] tam diu illum allexit, quoad equo relicto libidinosis [illegible]eret. Verum cum his impuris rebus occuparetur: ecce spe[illegible]ud sub eo evanescit, & aviculæ picæ instar, diu de ar[illegible] volitando, mirifico garritu, quasi stoliditatem & lubricita[illegible] homine Christiano subsannaret, cum prosecutum est. A[illegible] nox a quidem, tunc temporis quod sane mirum est, hanc nefariam [illegible] hom[illegible] fuisse ferunt, ita ut ipse quoq; vicissim picam illam ne[illegible] salacibus & impudicis jocis irriserit. Hoc etiam nuper alij nobili [illegible] quædam contigisse, ab amicis ipsius audire memini. Horren[illegible] hæc. Nam si Deus præcipit, ut cum bruto coeuntes con[illegible] una cum illo: an non gravius delinquit, qui spurciss. spiritus a[illegible] hoste Dei & hominum in amplexus libidinosos admittit? Qua[illegible] nulla excusatione vel venia digni sunt, qui scientes fœdam & execrab[illegible] exercent cum cacodæmone libidinem, cumque alliciunt, ac fo[illegible], ut nostro tempore adhuc multæ sagæ & veneficæ reperiuntur. Ne[illegible] autem nequit, dæmones varia corpora sibi circundare, & oculis falsas [illegible] posse, licet vera carne destituantur. Sicut late & ingeniose [illegible] Valesius de sacra philosophia. Ideo nihil novi contingit, [illegible] homin[illegible] petulantiorum, vel ægrorum sensus variis & [illegible] deceptis[illegible], ut ea putarint videre, quæ nil nisi præstigiæ [illegible] fuere. Sicut non ita pridem, & nostro quoque sæculo se[illegible]git. Nam ut unum atque alterum exemplum modo referam, mira [illegible] in historia Bohemica Dubravii Episcopi Olmucensis legimus. *Lib. 23.*
[illegible]ta enim scribit de Wenceslao, filio Caroli IV. Quum filiam Ducis Bava[illegible] Sophiam uxorem duxisset novus socer, ubi generum ludicris spectacu[illegible], & magicis præstigiis, delectari cognovit, plenum præstigiatorum plau-

 strum

ſtrum ſecum Pragam advexit. Ibi dum præſtantiſſimus artificum lud[illegible]
artis ad permulcendos oculos explicat, adeſt inter ſpectatores Zy[illegible]
ceslai magus, ore usque ad aures dehiſcente, accedensque propius, art[illegible]
illum Palatini cum omni apparatu ſubito devorat, ſolos duntaxat ca[illegible]
quia luto obliti videbantur, expuens, ſeceſſumque inde petens [illegible]
ſolita eſca gravem, in ſolium aqua plenum exonerat, præſtigiato[illegible] eumq[illegible]
huc madidum ſpectatoribus reſtituit, paſſim deridendum, adeo [illegible]
quoque ejus ſocij à ludo deſiſterent. Et paulo poſt, ubi alias multas [illegible]
tiones & præſtigias ejus recenſuit, ita concludit. Cæterum Zyro im[illegible]
extremum à cacodæmone ſuperſtes, cum corpore & anima de me[illegible]
num ſublatus fuit, injecitq; Wenceslao curam, de religioſis deince[illegible]
gis ſerijs rebus cogitandi. Apud nos adhuc (ut Scyminum Tarenti[illegible]
Athenæum lib. 12. c. 18. dipnosoph. liſtidem Syracuſium, Heraclitum Mitylenæum, quos præſtigiato[illegible]
ſtantiſſ. & elegantiſſ. tempore Alexandri Magni fuiſſe legimus pr[illegible]
mus) notum eſt, inter præſtigiatores & magos, qui patrum noſtro[illegible]
moria innotuerunt, celebre nomen, propter mirificas impoſturas, & faſc[illegible]
tiones diabolicas, adeptum fuiſſe Johannem Fauſtum Cundlin[illegible]
Cracoviæ magiam, ubi ea olim publice docebatur, didicerat, [illegible] pl[illegible]
be propemodum nullus reperiatur, qui non aliquod documentum [illegible] ar[illegible]
commemorare poſſit, illique eadem ludibria, quæ modo de M[illegible] Bo[illegible]
diximus, aſcribantur. Quemadmodum autem horum præſtigi[illegible]
ſimilis fuit, ita uterque horrendo modo in vivis eſſe deſiit. Fauſt[illegible]
Lib. 2. c. 1. fertur, & à Wiero recenſetur, in pago ducatus Wirtenbergici [illegible]
juxta lectum mortuus, inverſa facie, & domo præcedenti nocte [illegible]
ſata. Alter autem, ut paulo ante diximus, vivus à ſuo Magiſtro rap[illegible]
ſunt præmia digna curioſitatis impiæ & ſceleratæ. Sed ad Fauſt[illegible]
mus. Equidem ex ijs, qui hunc impoſtorem probe noverunt, m[illegible]
quæ declarant ipſum artificem Magicæ artis (ſi modo ars eſt, non [illegible]
jusque ludibrium) fuiſſe. Inter alia autem ejus facta, unum præ[illegible]
ridiculum videatur, tamen vere diabolicum narratur. Etenim [illegible]
quam ſubdole & ſerio, etiam in rebus, quæ ludicræ nobis vi[illegible]
artifex ille ſaluti & incolumitati hominum inſidietur. Merito [illegible]
ferenda eſt eorum levitas, vel potius perverſa impietas, qui [illegible] aliq[illegible]
delectatiunculam, ut ipſi putant, innocuam quærunt, interea [illegible]
dunt, quod immemores ſacri fœderis, cum hoſte acerrimo, qui [illegible]
leonis rugientis circumambulando, ut ſacræ literæ nos monent, [illegible]
feles, quæ magno ſilentio, & levibus veſtigijs aviculis obrepunt, in[illegible]
Homil. 34. do, prædam indefeſſus ſectatur. Unde Chryſoſt. dicit: Si gentes [illegible] habe[illegible]
quæ te perſequantur, habes principem gentium diabolum, qui homin[illegible]
ger[illegible]

p[illegible] nunquam cessat) cum hoc, inquam, hoste acerrimo salutis suæ [illegible]dant, & ex castris CHRISTI, ut perfugæ ad Sathanam, velut in[illegible]s transeant. Voluit enim DEUS, qui homines ad hanc militiam [illegible] peditos in acie stare, & intentis acriter animis ad unius hostis [illegible] el apertos impetus vigilare; qui nos sicut periti & exercitati duces [illegible] artibus captat, pro cujusque moribus & natura sæviens. Fau[illegible]tur deceptionem ferunt ejusmodi fuisse. Quum aliquando is [illegible]uosdam diverteret, qui de ipsius præstigiatricibus actionibus [illegible]ant, ij petierunt ab eo, ut aliquod specimen suæ magiæ exhi[illegible] Hoc quum diu recusasset, tandem importunitate sodalitij, ebr[illegible]brij victus, promisit, se illis exhibiturum quodcunque expete[illegible] [illegible]nimi igitur consensu petierunt, ut exhiberet illis vitem plenam [illegible] Putabant autem propter alienum anni tempus (erat enim circa [illegible]rumam) hoc illum præstare nullo modo posse. Assensit Faustus & promisit, [illegible] in mensa conspectum iri, id quod expeterent: sed hac conditione, ut omnes magno silentio immoti præstolarentur, donec illos juberet [illegible]perere, si secus facerent, instare illis periculum capitis. Hoc quum se fa[illegible]uros recepissent, mox ludibrijs suis huic ebriæ turbæ ita oculos & [illegible] præ[illegible], ut illis tot uvæ miræ magnitudinis, & succi plenæ, in vi[illegible]errima apparerent, quot ipsorum adessent. Rei itaque novitate c[illegible] [illegible]ex crapula sitibundi, sumtis suis cultellis expectabant, ut illos ju[illegible] rescindere uvas. Tandem quum istos leviculos aliquandiu suspensos [illegible]um vanissimo errore tenuisset Faustus; subito in fumum abeunte vi[illegible], conspecti sunt singuli tenentes loco uvæ, quam unus[illegible] [illegible]pp[illegible]e videbantur, suum nasum, apposito superne cultello, ita [illegible] præcepti dati, injussus uvas secare voluisset, se ipsum naso [illegible]ulasset. Et recte quidem illis accidisset, dignique fuissent alia mu[illegible]atione, qui non ferenda curiositate spectatores & participes esse satage[illegible]t illusio[illegible] diabolicarum, quibus sine gravissimo periculo, vel potius [illegible] Christiano homini non licet. Merito igitur reprehen[illegible] [illegible] ipsi perniciem accersiverunt ij, de quibus Bodinus scribit: Quum magi captivis[illegible]em non haberent, ipsis placuit experiri, & se uni [illegible] duce[illegible] permittere. Itaque abducti quum seorsim in locum ali[illegible]starent, res quidem abominandas prospectabant; fidem dari diabo[illegible], coiri: sed tandem diabolus; qui eos à se non videri finxerat, tam [illegible] verberavit eos, ut post dies quindecim morerentur. Alij renunciarunt DEO vero, seque periculi faciundi gratia Sathanæ devoverunt, sed [illegible] perinde evenit, ac illis bestijs, quæ speluncam leonis ingressæ non revertebantur. Plura exempla eaque memorabilia recenset Bodinus ibidem.

Lactantius lib. 6. c. 4. de vero cultu.

In præfatione librorum de dæmonomagia.

Lib. 3. c. 2. & 3.

Eodem modo audiendæ eorum excuſationes non ſunt, qui præſtig[illegible] opera Magorum, majores ſuos, & neſcio quos heroes priſcos vi[illegible] runt, quod in morbos fere lethales inciderint. Siquidem ſpiritus [illegible] bricoſus, & impoſtor, quem ſcimus eſſe ab origine rerum mendac[illegible] homicidam, non poteſt odium atrociſſimum ſuum erga genus hum[illegible] licet ſe ſimulet eſſe interdum ſimplicem, placatum, manſuetu[illegible] quam etiam angelum lucis, prorſus celare, quin ungues ſuos [illegible] & [illegible] modo nocendo ſeſe prodat. Docent enim nos ſacræ literæ, quo [illegible] natio exciderit veritate & gratia, ſitque immobilis ad bonum. U[illegible] mus in modo citato loco colligit axioma indubitatum: Nunquam [illegible] bene facere, niſi ut gravius ex eo redundet malum: adeo naturæ D[illegible]

De praenot. adverſatur, qui nullum malum permittit fieri, niſi ut majus conſeq[illegible]

ſuperſtit. num. Documentum præterea eſſe deberent horrenda exempla, q[illegible]

Lib. 1. c. 9. ante de Magis Bohemo, & Fauſto relata ſunt. Et Johannes Franc[illegible]

Lib. 3. c. 4. De praeſtig. cus Mirandulanus, ſicut à Wiero introducitur, memoriæ tradit, M[illegible] quendam ut ipſe à ſocijs ejus adhuc vivis audierit, à dæmone vis [illegible] nuſquam comparuiſſe, dum curioſo cuidam, & male ſano pr[illegible] jæ oppugnationem repræſentare quaſi in ſcena pollicitus eſſet, A[illegible] que & Hectorem introducere præliantes: De Zoroaſtre quoqu[illegible] bris ἀναγνωρισμῶν, id eſt, recognitionum Clementis Romani legim[illegible] mi Chami filius, & primus fuit qui magicæ artis diſciplinam tradi[illegible] bunt, quod aſtris multum & frequenter intentus, cupiens apud [illegible] Deus haberi, velut ſcintillas quaſdam ex ſtellis producere, & ho[illegible] ſtentare cœperit: quo rudes in miraculi ſtuporem traherentur, de ſ[illegible] hanc de ſe augere opinionem ſæpius iſta molitus ſit, uſq; adeo, done[illegible] dæmone, quem importunius frequentabat, ſuccenſus igni cremare[illegible] Leopoldo hujus nominis Duce Auſtriæ, fratre Friderici (qui a n[illegible] III. Imperator hujus nominis dicitur) narrant hiſtorici, quod qu[illegible] monis opera fratrem ex cuſtodia Ludovici Bavari liberare [illegible] ita à ſpectro perculſus fuerit, ut paulo poſt diem ſuum obierit. H[illegible]

Lib. 11. miſerabilis exitus cujuſdam juvenis Friburgenſis, ſicut in Siſt[illegible] teri Epitome refertur, qui opera Magi cujuſdam adamatæ puell[illegible] fieri ſperabat. Quum enim Diabolus illi in forma puellæ, quam [illegible] apparuiſſet; & is manum, ut in complexus illius veniret, extra ci[illegible] gicum extuliſſet; ſtatim ab eo arreptus, & parieti alliſus, in fruſta co[illegible] tus, deinde in magnum cadaver conjectum eſſe mutilatum, qui ſeſe [illegible] ex-

Lib. 9. c. 22. plicare non potuit, donec à multitudine ad ejulatus concurrente [illegible] ani-

De civ. Dei nis extraheretur. Recte itaq; Auguſtinus monet, dæmones eſſe [illegible] cendi cupidiſſimos, à juſtitia penitus alienos, ſuperbia tumidos, in[illegible]

lev[illegible]

[illegible], fallacia [illegible]. Hoc etiam conqueritur noſtras quidam, qui ſupe-[illegible], in expeditione quadam Italica, imprudens à commilito-[illegible] [illegible]corum ludibriorum ſtudioſo, aſſumptus fuerat in circulum, [illegible] [illegible]teribus firmiſſime, ut ei vaniſſima ſpe perſuaſum erat, contra [illegible] [illegible]munierat, ſuiſque horrendis & ſtupendis incantationi-bus [illegible], ut ſæpius vocatus inſtante minacibus verbis Mago tandem [illegible] & pa[illegible] ſimilis ſpiritus malignus pileo attrito cum pen-[illegible], laceroque linteo involutus, inſtar cadaveris adulti & [illegible] conſumpti vermibus, illis terribili ſpecie, ſed ambiguis pedi-bus [illegible], à quo extorquere Magus voluit, an Guleta à Turcis capta [illegible] ſpectrum negans, ſe id modo, licet pridie adhuc fortiter defenſa c[illegible] cumque Mago, quod nimis durus erga ſe & ſuos ſocios plerun-que [illegible] agentes ſuis diris & intempeſtivis incantationibus eſſet, & neſcio [illegible] expoſtulans, ſumpto ſpatio ad deliberandum evanuit, tan-to horrore, [illegible] & fœtore poſt ſe relicto, ut parum abfuerit, quin cu-rioſi indagatores illi animo deficerent. Non diſſimilis fuit ille dæmon, cum quo E[illegible] athleta (ſi vera ſunt, quæ Pauſan. ſcribit) dimicavit, puellam[illegible] ne [illegible] deſtinatam liberavit. Eum enim hac effigie ab eodem E[illegible] ſcribit, colore vehementer atro, cætera ſpecie [illegible]: amictus lupi pellis erat. Sed ad propoſitum. Sane [illegible] adhuc [illegible], ſe non ſine ingenti metu de illo horribili ſpe-[illegible] ejus [illegible], interrupta & veluti ſtrangulata voce cogitare poſſe. [illegible] p[illegible] dæmones licet celerrimos motus habeant, ut infra dicemus, [illegible] tamen [illegible]tionem habere eorum, quæ in remotioribus locis aguntur, p[illegible]rum quæ ex abrupto interrogentur. Quamvis non ignorem eos [illegible] indi[illegible] ſe eo ipſo tempore, quod diverſa in parte orbis agere-tur. De qua re habemus exemplum apud Plutarchum in vita Cimonis. [illegible] enim is ex Cypro legatos ad Ammonem miſiſſet, qui occulta qua-[illegible] oraculum peterent, eos ſtatim abire Ammon juſſit, quod jam [illegible] Cimonem ſecum eſſe diceret. Illi his auditis, ut pervenerunt ad [illegible], Cimonem [illegible] defunctum perceperunt, numeroque [illegible] ſupputato, ad id tempus quo ipſi oraculum conſuluerant, deprehen-derunt [illegible] Cimonis mortem fuiſſe indicatam. Nec minus eſt me-morabile quod a Græcis traditur, de Apollonio Tyaneo Pythagorico Phi-loſopho, magicæ artis peritiſſimo. Quum enim Domitianus Cæſar Romæ a S[illegible]o Domitiæ liberto alijsque conjuratis interficeretur, & Apollo-nius [illegible] Epheſi in frequentiſſ. auditorio diſſereret, mox per aliquod tem-poris [illegible], velut attonitum ſiluiſſe, deinde exclamaſſe eum tradunt: [illegible] Stephane, pulchre Stephane, percute ſceleſtum, percuſſiſti, vulnera-

Lib 6 c 2 de cad. poster. rob. Siculis.

ſti, interfeciſti. Similis hiſtoria legitur apud Fazellum. Quum enim Syracuſæ in Sicilia à Sarracenis captæ miſereque direptæ & vaſtatæ eſſent; [illegible] die paſtores Adriano præfecto claſſis Imper. Baſilij in Peloponeſo h[illegible] id indicarunt. Quos quum Adrianus, unde id reſciſſent, interrogaſſet, [illegible] à dæmonibus, in palude quadam vicina portui habitantibus, ſe c[illegible] reſpondiſſent; cum paſtoribus ipſe ad paludem acceſſit, coramq[illegible], qui relationi non crediderat, proprijs auribus per paſtores rurſus p[illegible] ex dæmonum reſponſo accepit. Nec diu poſt Græcorum nonnu[illegible], qui fuga cladem evaſerant, navigio Peloponeſum appulſi rem omnem di[illegible] cum prodito à dæmonibus indicio confirmaverunt. Sane facile [illegible] & in mea vicinia dum hæc ſcriberem, monſtrari poſſet (ne exempla [illegible] ge petamus) quidam non ita pridem in ſerijs & ludicris celebris & [illegible] tatus vir, qui in cuſtodia conſeneſcit, eo quod interdum cer[illegible] lis mirifico & inquieto ſpiritu exagitetur, non enim ſolum pleroſ[illegible], qui ſedatiori animo eſt, ſe accedentes, licet ignotos & nunquam ante [illegible] viſos, ſuo proprio nomine compellat, illiſque de parentibus, & [illegible] neis, nec non & gentilitijs inſignijs ac ſi familiariter cum illis [illegible] fuiſſet, (quod & mihi accidit) facunde refert, commotiore vero a[illegible] & obſcœna intermiſcet: ſed etiam interdum alia profert, & facit, [illegible] ſita & mira ſunt. Inprimis obſervatum eſt, eum ante aliquot a[illegible] ipſum tempus, quo Caſpar Caſtilioneus Galliæ Amiralius, cum [illegible] multis proceribus, ſecum in religione conjunctis, ex improviſo Lu[illegible] lecto trucidatus eſt, mirificas viſiones habuiſſe, ex quibus col[illegible] quod funeſtum facinus alibi tractari & peragi. Inter alia [illegible] cte, qua immanis laniena iſta Lutetiana facta eſt, ſæpius excla[illegible] ſanguine & cruore ſcatent. Et paulo poſt: ecce, ecce, quanta [illegible] dæmonum velut ex diſſitis ac diverſis locis advenientium, & [illegible] gratulantium, gaudioque geſtientium, ac ſi aliquam cruentam & [illegible] diuque expetitam rem ex arbitrio perfecerint, hinc inde circ[illegible] aëre conſpicio? Verum addidit exclamando. Ea omnia extra G[illegible] actitata & geſta ſunt. Eſt ſane Sathan ille ſui ſemper ſimilis [illegible] & ſunt ipſius injuriæ quidem novæ, captiones autem veteres. [illegible] aliud agendo, aliud ſimulet. Etenim quemadmodum Deus co[illegible] ſervator eſt omnium creaturarum ſuarum & maxime genus hu[illegible] ſervatum vult; ita Abaddon ille ſicut in ſacra ſcriptura nominat[illegible] bolus, ut a Cypriano dicitur, perditam & deſtructam omnem [illegible] pit, atque hujus ſtudij ſui plurimos miniſtros & ſocios habere [illegible] Præcipue autem invidit & inſidiatur piorum fidei, & mutuæ [illegible] tati & concordiæ, ſingularique eorum delectatur perſecutione, atq[illegible]

[illegible] ei[illegible]

ut [illegible] monet. Vel ut idem Cyprianus eleganti similitu- *In libell. de natura Sa-*
[illegible] nodum, inquit, Latrones non struunt insidias pau- *garum.*
[illegible] vacuam crumenam habentibus: sed iis, qui multa pecunia onusti
[illegible] olus eos quærit dejicere quos videt stare.

C A P U T LXXI.

De Satyris & Sphingibus.

VETERES in suo reprobo sensu Satyros (qui teste Pausania, quum essent seniores, Sileni dicebantur) quemadmodum Faunos Sylvanosque pro semideis, sive pro silvestribus numinibus coluerunt, ideoque non solum eis lucos consecrarunt, sed etiam scenas in ludis eisdem destinatis, ut autor est Vitruvius, frondibus, speluncis, montibus, gramine, reliquisque agrestibus rebus in topiarii speciem (quod hodie adhuc in Italia usitatum est) peculiari [illegible] construxere, artificesque in eorum statuis singularem diligentiam adhibuere, [illegible] & Romæ videre licet, & testis est hac de re Plinius, ubi inter [illegible] opera celebrat Satyros quatuor, ex quibus unus Liberum [illegible] vela[illegible] humeris præfert: alterum Liberum patrem, similiter [illegible] potantem [illegible]antis cohibet: quartus cratere alterius sitim sedat. E- jusdem artific[illegible] Romæ spectabatur in porticu, quam Augustus in [illegible] condidit. In qua raptus Proserpinæ, Bacchus & Satyri fuere, ut [illegible]nus notavit. Crediti sunt fuisse mortales Sileni, vel, ut dixi, [illegible] Satyrorum. Eorum enim sepulchra apud Hebræos & Pergamenos ostendebantur, ut Pausanias refert. At Strabo, Satyros, Silenos, Tityros dæmonas fuisse scribit, qui perhibentur deorum ministri, de quibus plura reperiet studiosus lector in mythologia Natalis Comitis. [illegible] ad minus fabulosa, superstitione gentilium posthabita. Ani- [illegible] Satyri esse perhibentur in intimis Libyæ recessibus: vel secundum [illegible]. S[illegible] in subsolanis Indorum montibus, vel Cartadulorum regio- [illegible], humana effigie animalia perniciss ima: tum quadrupedes, [illegible] currentes, ut propter velocitatem nisi senes aut ægri capi nequeant. Solinus satyros inter simias collocat. Sunt, inquit, & quas vocant [illegible], facie admodum grata, gesticularis motibus inquietæ. Hæ simiæ Tityri [illegible]nnullis vocantur, inter quos est Ælianus. Pierius autem citat Pausaniam, qui audiverit ab Euphemo quodam, probatæ fidei viro, quum in Hispaniam navigaret, adversa tempestate se in exteriorem Oceanum esse delatum, postque multorum dierum navigationem ad insulas quasdam deser-

Lib. 37. c. 5.

Lib. 6. c. 2. Topographiæ ant. Romæ.

In posterior. Eliacis.

Lib. 10.

Lib. 5. c. 8. & seqq.

Lib. 7. c. 2.

Cap. 30.

In Hieroglyphicis Lib. 6.

tas.

ſertas perveniſſe, quas homines ferino trucique aſpectu ſylveſtres inhabitabant corporibus hirtis, pilonem colore ſubrufo caudis, equinis [illegible] majoribus præditi. Qui poſteaquam nautas illuc advectos in[illegible] ocyus omnes ad extremum littus accurrere, vocem quidem [illegible], [illegible] ſtridorem quendam informem & inarticulatum emittentes: [illegible] autem quæ navi illa caſu vectabantur, eos adeo furioſos invaſiſſe, [illegible] ab injuria etiam cæſi flagris abigi ſummoverique potuerint. [illegible] ro nautas, ne quid indignum paterentur, inhibita nave procul [illegible] ſtetiſſe, barbaram vero quandam mulierem, quam ſecum habeban[t] [illegible] tus expoſuiſſe, in quam omnes poſtea petulantiſſ. debacchantes, per [illegible] corporis cava libidinem exercuerint, easque Satyrorum inſulas a na[illegible] tibus appellari, &c. Quæ ſi vera ſunt (non enim ignoro, multos [illegible] hanc narrationem Pauſaniæ de inſulis Satyrorum fabuloſam eſſe, h[illegible] milem, quæ Lucianus venuſte quidem & eleganter confinxerit) [illegible] Grammatici hæc ſalaciſſima monſtra à virili membro, quod Gr[illegible] dicunt, nomen habere volunt, cum præſertim omnes autores in hoc [illegible] veniant, Satyros in libidinem & procacitatem eſſe maxime pro[illegible] que poſſe eos hac in re ſatiari. Ideoque videmus eos paſſim [illegible] ſolum comites Veneris, ſed curru ejus velut jumenta juncto[s]. Hi[nc] quoque Satyriaſmus vel σατυρίασις morbi genus, quod à Latinis [illegible] ſecundum Juvenalem, veretri intenſio nominatur, à Satyrorum [illegible] qui ſemper propter libidinem genitalibus intentis pinguntur, app[ellatio]nem habet. *Lib. 1. c. 8. Saturnal.* Quod etiam Macrobius confirmat, ubi dicit Satyro[s] [illegible] thunos, quod ſint in libidinem proni, nuncupatos. Unde acceſſit, ut [illegible] carminum genus propter petulantiam & laſciviam Satyra nomi[illegible] Duo namque Satyrarum genera fuiſſe conſtat, alterum antiquum [illegible] carminum varietate conſtabat: alterum recentius, apertam homin[illegible] henſionem, interdum non inutiliter, non raro autem petulanter co[illegible] & acrem vitiorum objurgationem. *In Pericle.* Ideoque Plutarchus veteris Com[œdiæ] ſcriptores σατυρικοὺς τοῖς βίοις appellat, qui genus vitæ id ſectarent [illegible] in acerbe exagitandis hominibus verſaretur. Inter cæteros autem S[illegible] carmine delectatum fuiſſe Ennium Pacuviumque tradunt. Sa[illegible] o-que M. Varro Romanorum eruditiſſimus, compoſuit, quas alii [illegible], ipſe Menippeas appellavit, ut quæ inſcribitur Neſcis quid [v]eſpe vehat, [illegible]e officio mariti, & Teſtamentum, & illæ, quæ Græcos habent titulos, [illegible] [illegible], aliæ [illegible] multæ. Horatius autem & Perſius in hoc genere terſi & puri ſunt. [illegible] ſecutus eſt Juvenalis, longiusque aliquanto quam cæteri prog[illegible] *Prælectione in Perſeum.* Charactere uſi ſunt Satyrici, ut Angelus Politianus erudite obſerva[vit], [illegible]

d[illegible]

dem ferme quo veteres Comici. Summa illis inæqualitas, inquit ibidem, modo exiles ac tenues, modo exultantes & velut ampulloſi, nunc ſtricti & [illegible] nunc vagi atque effuſi. Plerunque autem obſcuri, operoſi implicati, [illegible]uque quodam florentes acquiſito atque affectato. Idiotiſmum præcipue amant, rem quæ inter oratorias ac poeticas virtutes raro procedit ma[illegible]que indiget temperamento. Nuda ſunt verba illis, propria ſignificantia energiæ plena: non græca tamen, non alioqui peregrina, non trita, non obſcœna & ſcurrilia reformidant. Multa aſpere, multa ſevere, multa blande, multa item ambigue dicunt, & ſubdole. Toti urbanitate & ſalibus, toti ſca[illegible]iculis, atque acuminibus, nunc omnia obliniunt felle: nunc aceto conſpergunt, nunc jocis & laſcivia condiunt, nunc mundi, nitidi, candidi, nunc horridi, agreſtes, ſqualidi, nunc leviculi, improbi, petulantes, nunc vehementes, incitati, minaces. Reprehendunt acriter, inſultant impotenter, vafre cavillantur, aſtute obrepunt, effluunt lubrice, tergiverſantur, illudunt, diſſimulant, ardent, verſant, ſuſpendunt, feriunt, pungunt, provocant, titillant, ſtomachantur, attonant ceu fulmine omnia, & concutiunt. Sed redeamus ad Satyros noſtros. Plutarchus captum eſſe Satyrum, quum Sylla Dyrachio mille & quingentis navibus Brunduſium trajicere conſtituiſſet, memoriæ tradidit. Prope eſt, inquit Apollonia, & apud eam Nymphæum, locus ſacer, qui ex viridi herba & pratis fontes ignis perennis ſparſim emittit. Ibi ferunt Satyrum dormientem, ea forma, qua fingi & pingi eos videmus, captum, & ad Syllam adductum fuiſſe: hunc interrogatum per multos interpretes, quinam eſſet, ægre vocem edidiſſe, non quæ intelligi poſſet, ſed aſperam & mixtam equino ex hinnitu & hirci [illegible]alatu, eaque territum Syllam abominatum a ſe dimiſiſſe. Unde Plinius Satyris præter figuram nihil moris humani eſſe dicit. Et Diodorus Siculus ſcribit, Satyros in Æthiopia Dionyſio oblatos comas umbilicotenus habentes. Legimus quoq; in vitis patrum, Sancto cuidam viro, in quadam eremo habitanti, aliquando Satyrum obviam factum faſſumque fuiſſe, mortalem eſſe, & unum ex accolis eremi, quos vario deluſa errore gentilitas Faunos, Satyrosque & incubos vocaret, & coleret, & cum illo de pœnitentia collocutum. An autem revera id acciderit, vel ludibria diaboli fuerint, multi dubitant. Eodem modo legimus, eundem ſanctum virum Hippocentaurum conſpexiſſe, qui ab illo compellatus, neſcio quid infrendens, & frangens potius verba, quam proloquens, patentes campos volucri tranſmittens fuga, ex oculis mirantis, evanuerit. Miras quoque & impias nugas de Satyris Rabbi Abraham finxit. Is n. aſſerere auſus fuit, Faunos, Satyros, incubos & ſimiles, eſſe creaturas, ſed imperfectas, quod Deus veſpera Sabbathi præventus illos non perfecerit. Et ob hanc cauſſam eos fugere Sabbathi ſanctitatem, quærentes

In vita Sylla

Lib. 5. cap. 8. natural. hiſt.

montes & tenebrarum latibula, in quibus deliteſcant usq; ad finem Sabbathi, & tunc revertentes infeſtare homines, quibus nocere conantur. Sed hæc delira ſomnia Rabinorum mittamus. Notum præterea eſt adagium, quod plerunq; contra bilingues, & qui eundem modo laudant, modo vituperant usurpamus; ἐκ τοῦ αὐτοῦ στόματος τὸ θερμὸν καὶ τὸ ψυχρὸν ἐξάγειν, eodem ex ore calidum, & frigidum proferre, ex apologo quodam Aniani fabulatoris, de Satyri & ruſtici cujusdam colloquio originem ſuam habere. Non omittendum eſt præterea, quod Plutarchus & alii nonnulli Alexandro contigiſſe ſcribunt. Quum enim Tyrum obſideret, & Tyrii fortiter reſiſterent, impetusque ejus diu eluderent, ob hanc rem ſolicito Alexandro, quod hæc diuturna obſidio illi quaſi à curſu victoriæ deſtinatæ contra Orientem, veremoram injiceret: viſus eſt Satyrus ei in quiete eminus alludere, deinde volenti eum capere, fuga elabi, tandem multa orantis & circumcurſitantis in manus venire. Conjectores nomen Satyri dividentes haud abſurde pronunciarunt: Σὰ Τύρος, id eſt, tua erit Tyrus. Quod etiam evenit, ideoque oſtendi fontem idem autor ſcribit, apud quem in ſomniis cernere Satyrum imaginatus fuerat. Simile propemodum ſomnium, futurarum rerum eventum demonſtrans, ut pauliſper à propoſito divertam, habuit Conſtans Imp. quum eſſet prælium initurus cum Saracenis, ut Cedrenus refert. Etenim in quiete ratus fuit, ſe venire Theſſalonicam. Quod quidam ex conjectoribus ita interpretatus eſt: θὲς ἄλλῳ νίκην, id eſt, cede alteri victoriam. Atque ita evenit. Non ſolum autem veteribus ethnicis ſomniantibus & vigilantibus ejusmodi ludibria aſtu Sathanæ objecta fuere, ſicut Plinius quoque notavit, ubi dicit, montem Atlantem noctibus micare crebris ignibus, Ægypanum, Satyrorum laſcivia impleri, tibiarum ac fiſtulæ cantu, tympanorumque & cymbalorum ſonitu ſtrepere: ſed noſtro quoque tempore non raro phaſmata veluti Satyri & Fauni quibusdam in locis laſcive ſaltantes, ut ſimpliciores, vel ad ſuperſtitionem, vel ad impiam petulantiam, præſertim fœminæ ſalaciores, pertrahantur, conſpecta ſunt. De hac autem re Malleus Maleficarum, Matth. Grylandus, & inprimis Olaus Magnus de Septent. locis, aliiq; libri obſcuriores, multas hiſtorias, interdum etiam meras fabellas aniles continent, ſed ſinamus Satyros; & ad alteram partem hujus meditationis, videlicet ad Sphinges, veniamus. De Sphingibus multa paſſim apud autores leguntur. Tritum enim eſt, an autem verum ſit ignoro, Sphinga monſtrum Thebanum fuiſſe, facie virginea, alas & ungues habens, velut Harpyæ, quod inſidens ſcopulo viæ imminenti, inſolubilia ænigmata tranſeuntibus proponebat, quæ quum ſolvere non poſſent, ex improviſo, veniens aliis unguibus ad ſe in rupem trahebat & præcipites dabat. Oedipum autem ſolviſſe ænigma: Apollodorus ait, Sphingem ex Echidna & Typhone

Lib. 5. c. 11. & 12.

phone parentibus ortam, Thebanis ab Junone immissam hanc muliebri facie ac pectore, pedibus ac cauda leoninis, & avis pennis præditam fuisse, quæ quum à Musis ænigmata didicisset, in Phyceo monte consederit, deque iis unum Thebanis proposuerit hujusmodi: Quodnam esset animal quadrupes, bipes, ac demum tripes. Porro Thebanis oraculum renunciatum fuerat, tum Sphingis incommodo ac detrimento liberos fore, quum id ænigma solvissent. Interea universos, quid illud esset, rogabat: quod quum minime reperirent, abreptum ex omnibus unum devorabat, eaque de causa plerique subinde peribant. Ac postremo ad eum modum Æmone Creontis filio perempto, Creon ænigma hujusmodi soluturo, & regnum & Laii uxorem se traditurum, præconis voce renunciari jubet. Quod ubi ad Oedipi aures pervenit, ipse ita solvit: Quod à Sphinge propositum esset ænigma, esse hominem. Nascitur enim quadrupes infans, quod quatuor gradiatur membris: grandior autem effectus homo bipes esse incipit: senescens vero ac demum tertio assumpto pede, id est, scipione, tripes dici potest. Ipsa igitur Sphinx ex arce sese præcipitem dedit. Hanc historiam, vel potius fabellam integram ascribere volui ut rectius cognoscatur origo adagii, quod Terentius allegat: Davus sum non Oedipus, id est, servili officio, non quæstionibus solvendis aptus. Palæphatus autem, qui à Lilio Gyraldo allegatur historiam de Sphinge ita exponit: Cadmus uxorem Sphinga habens Amazonida, Thebas profectus est, ubi interfecto Dracone regno potitus est, ducta uxore Harmonie, Draconis sorore. Id Sphinx iniquo animo tulit. Quare seductis nonnullis civibus & cane, quam à velocitate pedū Græci πόδωκευ vocant, Sphicium seu Sphincium (utroque enim modo legimus) occupavit, incursionibusque ac insidiis, quæ à Thebanis indigeno sermone ænigmata dicuntur, Cadmum ipsum, & qui illum sequebantur, infestavit. Tandem proposito præmio ab Oedipo superatam fuisse. Dictum esse putant Sphingem à σφίγγειν, id est, constringere vel vincire, quod transeuntes suis quæstionibus ita stringeret, ut se expedire non possent. Unde Ausonius:

Li 3 de deor. origine. — *In Ænigmatibus.* — *In Gripho ternario.*

Illa etiam thalamo per trina ænigmata quærens,
Qui bipes & quadrupes foret, & tripes, omnia solus,
Terruit Ausoniam, volucris, leo, virgo triformis
Sphinx, volucris pennis pedibus fera, fronte puella.

De Sphingibus autem Diodor. Sicul. & Plinius plura tradunt, & Natalis Comes caput peculiare habet, ubi in fine ita dicit: Per Sphingis fabulam id significatum fuisse ab antiquis sapientibus crediderim: Suam fortunam æquo animo cuiq; esse ferendam, quam tamē, si quis ægerrime ferat, omnino ferre necesse sit. Nam quid significant alæ: an non fortunæ inconstantiam? At cur ungues in prædam flexæ illi tribuuntur? nonne quod undecunque libuerit

Lib. 4. — *Lib. 3. c 22.* — *In Mythologia.* — *Lib. 6. c. 8.*

omnia potest auferre? Cur humana est facies? quia humanum est subjici calamitatibus & vicissitudinibus fortunæ. Leonina pars forti animo esse ferenda adversa significat, quæ vel vi omnino sunt ferenda. Si quis enim miserias prudenter sustinere nequiverit, aut nisi se sapienter inter adversa custodierit, ille ab ipsa Sphinge crudelissime torquetur, & laniatur. Atque ut summatim dicam, nos monere per hanc fabulam sapientes voluerunt, prudentia & Minervæ consilio fortunæ iniquitatem esse superandam: aut si minus istud fecerimus; nos ab illa superari oportere. Nam quid agitur in ænigmate Sphingis? an non de humana imbecillitate, cum nihil nascatur homine debilius aut calamitosius. Hanc ingeniosam & eruditam, & quæ alibi, ut puto, non reperitur, explicationem ascribere ex Natali operæ pretium duxi, ut cognoscatur, sicut sæpius in his meditationibus monui, quæ salutares doctrinæ sub fabulis lateant. Sane Romæ aliquot Sphinges marmoreæ, quæ ex Ægypto allatæ dicuntur, in Capitolio & alibi hodie adhuc conspiciuntur. Ægyptii enim ideo Sphinges ante templum posuerunt, quod mystica dogmata, præcepta & institutiones sacras, per ænigmatum nodos à profana procul multitudine inviolata, custodita, & in arcanis tantum tractari voluere. Ideo putant Octavium Augustum ob taciturnitatem Sphinge, *loco signi* aliquantisper usum fuisse, quæ etiam adhuc ante ostium ponti Euxini, quo in Bosphorum sese exonerat, in altera Symplegadum insula, in columna veteri ex albo marmore conspicitur, cum hac inscriptione: DIVO CÆSARI AUGUSTO L. CLANNIDIUS L. F. CLA. PONTO. sicut *Leunclavius* noster, tanquam αὐτόπτης notavit. Hanc tamen, quum Augustus dicteriis lacesseretur (teste Plinio) propter difficultatem ænigmatum, quibus sua Sphinx interdum erat instructa, nato subinde proverbio & calumnia; Mirum non videri; si renata Sphinx adferret ænigmata, postea repudiavit, deinde Alexandri, postremo corroborato imperio, sua genuina imagine assumpta. Quo genere deinceps Tiberius, Caligula, Claudius, Domitianus & alii Cæsares usi sunt. Synesius autem aliam affert rationem, Mercurii inquit numinis duplicem speciem effingunt Ægyptii, juvenem statuentes propter senem: quod hoc sibi vult, eum qui aliis cum laude præfuturus sit esse & mente & robore præditum oportere. Eamq; ob causam ab iisdem & Sphingis effigies in vestibulis lucorum consecratur; nota illa quadam divinæ duarum virtutum copulę significante robore bestiam, prudentia hominum. Nam robur expers ductus prudentiæ attonitum fertur, res omnes miscens ac turbans, & mens destituta manuum ministerio, ad actiones est inutilis. Pierius recenset ex autoribus Panes, Satyros, Sphingas, simias & Cynocephalos idem propemodum genus fuisse, diversis tamē inter se distinctum speciebus. Sumsit autē hoc fortasse ex Solino, ubi ita dicit. Inter simias habentur & Sphinges, villosæ comis,

In pandectis Turcicis.

In oratione ad Arcadiū de Regno.

In Hieroglyphic. lib. 6.

Cap. 30.

mis, mammis prominulis ac profundis, dociles ad feritatis oblivionem. Et dicit Pierius, se tale monstrum vidisse. Nascuntur Sphinges inquit, apud Troglodytas Æthiopes, forma haud ei dissimili, qua pinguntur, fusco pilo, mammis in pectore geminis: monstro similes: sunt etiam paulo pinguiores, naturam habent in cicurationem admodum proclivem, pluribus exercitiis disciplinisque aptam. Albertus quoque inter simiarum genera Sphingem agnoscit, insignem duabus maculis maxilla nigricantibus, cauda coloris itidem subnigri & oblonga. Harum ego unam, Veronæ quum essem, vidi, mammis illis & glabris & candidis à pectore propendentibus. Circumducebat eam circulator quidam Gallus, ex ignotis antea insulis recens advectam. Ostentabat idem cuniculos nostris quadruplo majores, mira quippe corporis obesitate distentos, & quod nisi quis viderit, credere vix queat, præditos quaternis singulos genitalibus humanorum digitorum instar, & similitudine cohærentibus. Ipsa vero Sphinx toto erat pectore glabello, facie & auribus humanis propioribus, dorso hispido supra modum fusco & oblongo admodum pilo, eoque densissimo. Rector lævum brachium, quo catenam, cui erat alligata, regebat, ferrea manica obarmatum habebat; dextra baculum regebat, quem in faciem animalis identidem prætendens, bipedem secum ambulare, & loco etiam saltare, interdum & obgannire faciebat, multamque hinc à spectatoribus stipem aucupabatur. Hactenus Pierius. Non mirum autem est, ejusmodi bestiolas, vel potius monstra ex illis remotioribus Libyæ aliisve locis apportari, cum proverbium inde ortum sit: Semper Libya vel Africa aliquid novi apportat: Vel potius, ut aliud adagium habemus, ἀεὶ φέρει τι Λιβύη κακόν (quod etiam de Septentrionali plaga dicitur. Ab Aquilone inquit Hieremias propheta, pandetur omne malum super habitatores terræ.) Constat enim ob aquæ inopiam egestatemque, siticulosis in regionibus, è longinquo bibendi gratia diversi generis animalia in unum congregari, vi aut voluptate ad commiscendum cogente, & inibi è varia feminum mixtura varias subinde animalium nasci formas. Nec tales fœtus illis in regionibus tam prodigiosi habentur, cum familiaris sit incolis eorum partus. Ex lupo enim, ut fertur, & cane generatur fera, quæ Crocuta dici solet, producendique ejus modum docet Aristoteles. Leæna cum pardis coit, unde ignobiles generantur leones non jubati & maculosi fœtus, ut refert Philostratus. Cum pantheris coeunt lupi: sic animal gignitur bigenere, quod Thoes dicitur: maculosa pelle pantheram refert, facie autem patrem, quod tradidit Oppianus. Sic & aliis animalibus coëuntibus accidere solet, ut refert Johann. Baptist. Porta. Immo non raro compertum est, ut pastores & incolæ belluina libidine impulsi, cum capellis (unde Satyri facile provenire possent) aliisque jumentis

Cap. 15.

In Magia naturali lib. 2. c. 14.

mentis se se commiscuerit, sicut apud Ælianum de Crathi pastore Sybarita legitur, nam ex illo concubitu nefario natum fuerunt infantem, qui cruribus matrem, facie autem patrem referebat. Et recentiora exempla si sine maxima offensione honestarum aurium fieri possent, de quibusdam brutescentib. ut Jurisconsultorum verbo utar, adduci possent. Thevetus quoque tale monstrum humano capite & pedibus, corpore leonino, sed maculoso, & depingit & describit, quod suo tempore hinc inde à circumforaneis lucri causa in Africa circumductum sit. Verum ut ad materiam nostræ meditationis revertar, miror sane, quod neque Lusitani, neque Hispani, aliive qui non solum in remotiores & ante incognitas Indiæ & Lybiæ partes atque insulas penetraverunt, sed etiam propemodum immensi oceani angulos omnes suis navigationibus perscrutati sunt, de insulis Satyrorum, aut de Sphingibus (quod ego sciam) mentionem faciant. Si n. totæ insulæ, secundum quorundam opinionem, ab ejusmodi monstris occuparentur, vix eorum exactam indagationem effugere potuissent. Non omittendum postremo fuit, olim quasdam meretrices ex Megara Sphinges appellatas fuisse, quod humano capite mansuetudinem præ se ferrent: cæterum corpore reliquo leonino rapacitatem & imperium, quod in amatores exercent, indicarent, de quibus versiculus veteris cujuspiam dici potest:

In Cosmographia.

Ἶσον λεαίνης καὶ γυναικὸς ὠμότης,
Pars est leana & fœmina crudelitas.

Hinc etiam triti isti versus rithmici fluxerunt:

Omnis revera meretrix est dicta chimera,
Parte leo prima, media capra, anguis in ima.
Si careas donis, pars prima dicta leonis.
Non te delectet media capra, quia fœtet,
Anguis est extremum, quia porrigit omne venenum.

Cæterum Megarensium improbi mores fictique in proverbium abierunt, ut ejusmodi homines lascivi & molles, populari convicio: Megaricæ Sphinges, notati fuerint, de quibus apud Erasmum plura inveniuntur. Hinc quoque referri potest, quod supra de monstris circa Syrtes, quorum in Hieroglyphicis mentio fit, dictum est.

In Adagiis.

Cap. 19.

Cap.

Caput LXXII.

De mirificis illusionibus diabolicis, & Λυκανθρώποις.

EVANTHES inter autores Græciæ (sicut Plinius refert) non spretus tradit Arcadas scribere, ex gente Antæi ejusdem sorte familiæ lectum, ad stagnum quoddam regionis ejus duci, vestituque in quercu suspenso tranare, atque abire in deserta, transfigurarique in lupum, & cum cæteris ejusdem generis congregari per annos novem. Quo in tempore si homine se abstinuerit, reverti ad idem stagnum, & quum tranaverit, effigiem recipere ad pristinum habitum, addito novem annorum senio. Etsi autem Plinius illud tanquam fabulam Græcam recenset, addit enim: Nullum tam impudens mendacium est, ut teste careat: tamen certos homines effici quotannis lupos, & rursus ad pristinum habitum redire, in hodiernum diem multis persuasum est, eosque Germani Weerwolff/ Galli autem *Loupe garoux* vocant. Utrum autem ea metamorphosis semper revera fiat, an vero nonnunquam imaginative, declarat nobis memorabilis historia, quam recenset doctiss. vir Georgius Sabinus, super his versibus: *Lib. 8. c. 22.* *In interpret. lib. 7. Metamorph. Ovidii.*

Inque virum soliti vultus mutare ferinos,
Ambigui profecto lupi.

Tales (inquit) refert Herodotus esse apud Neurios Scythiæ populos. Et hic apud Borussos fama est, tales inveniri, à quibus nuper unus fuit captus, & Duci Prussiæ adductus à rusticis, quorum jumenta dilaniasse credebatur. Erat homo deformis, nec multum absimilis feræ, habebatque vulnera in facie, quæ dicebatur accepisse morsus à canibus, ubi fuisset mutatus in lupum. Is à quibusdam, quibus Princeps id negotii dederat interrogatus, ajebat se quotannis bis ita mutari solitum, primo circa natalem CHRISTI, deinde circa festum Johannis Baptistæ: illisque temporibus se efferari & cogi impetu quodam naturæ, versari in sylvis inter lupos. Maximo autem horrore & languore corporis se affici, antequam pili erumperent, & forma mutaretur. Hæc affirmanti credita sunt. Sed quum ad explorandam rei veritatem diu captus in arce detineretur, ac diligenter observaretur à custodibus carceris, an aliquando efficeretur lupus, retinuit semper eandem formam quam habuit: Is fuit exitus fabulæ. Unde constat ea quæ de ambiguis lupis narrantur, esse falsa, utpote quæ homines mente capti sibi imaginantur.

Hacte-

De ſagarum natura. Hactenus Sabinus. Idipſum Johannes Ewichius alio illuſtri exemplo confirmat. Petro Pomponatio, inquit, celebri olim in Italia Medico, oblatus eſt æger lycanthropia laborans, quẽ ruſtici forte ſub fœno repertum, captumque, quia ſe lupum eſſe clamabat & fugere illos jubebat, ne ab ipſo devorarentur, excoriare cœperant, ut explorarent an verſipellis eſſet, id eſt, inverſos pilos haberet (ſic enim erant perſuaſi errore populari.) Sed Pomponatii interceſſione dimiſſus, & per idonea medicamenta curatus fuit. Similes imaginationes vere diabolicas, quibus miſeri homines faſcinantur, refert quoque Wierus, ubi dicit: Si qui obvagari in Livonia & locis finitimis videantur lupi noxii, quos lamias putant, Germanis Weerwolff/ii certe vel veri ſunt lupi, in ejusmodi tragœdiam exagitati à dæmone, qui interim horum vagis erroribus & actionibus delirorum λυκανθρώπων phantaſiæ organa imbuit, vitiatque, ut ii ſe eſſe excurſionum erronearum & actionum autores corrupta imaginatione arbitrentur, fateanturque, quod quidem diabolo non eſſe difficile ex deſcripto λυκανθρωπίας morbo cuilibet conſtat, dum humores & ſpiritus in hæc ludibria idoneos commovet, potiſſimum quibus atræ bilis nebulæ cerebrum vitiare ſolent, cujusmodi exiſtit fatuum monſtroſumque id genus hominum: Vel certe dæmones cenſendi ſunt ejusmodi lupi, qui eam aſſumſere formam, ut male credulum hoc hominum genus magis irretirent ſuis vaframéntis, inſontes gravarent, & ſanguinis innocentis reum redderent Magiſtratum. Interea ii, qui ſe in lupos credunt transformatos, alto immerſi ſomno diaboli ſtudio, alicubi jacere comperiuntur, quorum ſomnia iis confundit imaginibus, quas hominum oculis perſtigioſe in pueris vel inſectandis vel vorandis, ſive armento lædendo, aut longe lateque hincinde vagando objicit veterator ille. Ut certe non leviter mirari oporteat, inveniri viros cordatos, qui deluſorum horum hominum confeſſioni tanquam veraci innixi, mortis ſententiam contra eos pronunciare non graventur. Hæc Wierus, licet Olaus Magnus de metamorphoſi hominum in lupos diverſa recenſeat, ſi modo vera ſunt quæ ibi narrantur. Quæ tamen Bodinus vera eſſe credere videtur. Olaus inquit, ſæpe incredibilia narrat. Sunt tamen nonnulla, quæ ſcriptorum ac teſtium multitudine & conſenſu quodammodo perſuaderi poſſunt. Nam quæ de Nerviorum (hi nunc Livones appellantur) in lupos configuratione & μεταμορφώσει ab Herodoto, Pomponio Mela, & aliis hiſtoricis olim pervulgata ſunt, ea juniores comprobarunt. Hoc enim Caſpar Peucerus, vir magnæ eruditionis, & minime vanus; tum etiam Languetus, non minus doctrina quam diuturna totius Europæ peragratione clarus, ſe ab incolis accepiſſe mihi confirmavit. Quod utrum fiat occulta quadam vi naturæ potentis, ut de Parthaſio traditur, vel ultione divina, ut de Nabuchodonoſore, nondum

De præſtig. dæmon. lib. 3. cap. 10.

Lib. 4. c. 22. ejusdem operis.

Lib. 18. de animal ſylveſtribus c. 45. 46. 47.

In methodo hiſtorica. cap. 14.

mihi

nihil compertum eſt. In ſua autem Dæmonomania Magorum apertius hanc ſuam ſententiam declarat, multiſque exemplis confirmat. Verum enimvero licet incolis hanc λυκανθρωπίαν ſicut alia multa ſuperſtitioſa, revera contingere perſuaſum ſit, tamen apud prudentiores non facilè fidem habebit: ſed potius ſpeciem melancholiæ eam eſſe credendum eſt, ſi hominibus contingit: ſi vero opera diabolorum, permittente Deo, ejuſmodi lupi nocent, hominem tranſmutatione in beſtias opus non eſt. Etſi enim, ut Ewichii verbis utar, Scriptura loquitur de Nebuchadnezare, quaſi in feram mutatus fuerit, tamen id non juxta τὸ ῥητὸν oportet intelligi, alioqui non reſtitutus, ſed novus omnino homo creatus diceretur. Huic ſententiæ quoque aſtipulatur diligens Britanniæ deſcriptor Gulielmus Camdenus, ubi dicit: *In altera parte Hiberniæ.* Quod nonnulli Hibernici, & qui fide digni videri volunt, homines quoſdam in hoc tractu quotannis in lupos converti affirmant, fabuloſum ſanè exiſtimo, niſi forte illa exuberantis atræ bilis malitia, quæ λυκανθρωπία medicis dicitur, corripiantur, quæ ejuſmodi phantaſmata ciet, ut ſeſe in lupos transformatos imaginentur. Nec ego aliud de Lycaonibus illis in Livonia transmutatis opinari auſim, &c. Quomodocunque autem ſeſe res habeat, conſtat certè olim ethnicis cordatioribus, præceptiſque philoſophicis ſolidioribus imbutis, firmiter perſuaſum fuiſſe, viris bonis & fortibus ſimulacra & nocturnas apparitiones nunquam apparuiſſe: ſed pueris, mulierculis, vecordibus, atque ægrotis, qui per animi imbecillitatem, aſſidua formidine exagitantur. Ii enim putant videre per hallucinationis ſpeciem phantaſmata, ad quæ rapiuntur phantaſtico & inani attractu, quæ revera non vident, quæque etiam nuſquam ſunt. Hoc Tragico Oreſti contigit, ubi inquit: O mater ſupplex oro te: ne incute mihi ſanguinarias coruſcaſque pupillas. Ipſæ enim ipſæ propter aſſilium me: Dicit hæc quidem ille ut furibundus, nihil vero videt, etſi videre videtur. Propter quod illum Electra ita compellat: Sta miſerande tuis immote in ſtragulis, cernis horum nihil, quæ coram cernere reris. Eodem modo iis accidit, qui atra bile perciti ita inſanierunt, ut ſe vaccas putarent. Hoc enim de filiabus Præti memoriæ traditum eſt, de quibus Poeta:

Prœtides implerunt falſis mugitibus agros.

Et hoc non mirum videri debet, nam melancholiæ vis tanta eſt, ut non raro rationem turbet, nonnunquam planè evertat. Quare Galenus & Avicennas teſtantur, repertos eſſe, qui putarent, ſe eſſe vaſa fictilia, & ideo hominum tactum, ne colliderentur, reformidarent. Eodem modo fuerunt, qui ſe aves eſſe arbitrati ſunt, ita ut ſe non moverint, niſi quum motis brachiis ad alarum ſimilitudinem volare crederent. Pleroſque etiam atra bile vitiatos, ſe leones eſſe, vel dæmonas imaginari, idem Avicennas autor eſt.

De affectis melanch. lib. 4. cap. 23. Et allegat Wierus Plinium & Edovardum, qui ſcribunt, cerebrum urſi devoratum gignere imaginationes, quaſi in urſum quis transmutatus ſit. Et hoc nobili Hiſpano cuidam noſtro ſeculo contigiſſe, qui per deſerta & montes vagari ſit ſolitus, ſe in urſum eſſe converſum phantaſia vitiata ratus. Inſanorum enim numerus eſt penè infinitus. Qui igitur, ut de ſpectris pergamus, immunes ab hujuſcemodi imaginationibus eſſe volunt, iis curandum eſt, ut animus intenſiſſimè cogitationibus honeſtis aliiſque rebus, piis præſertim occupetur, neve perturbationibus locus relinquatur. Unde traditur, quod Democrito Abdera oriundo tam firmiter perſuaſum fuerit, ejuſmodi nihil eſſe in rerum natura poſſe, ut quum ſe in monumento extra portas clauſiſſet, ibique degeret, dies noctéſque ſcribens atque componens, juveneſque eum quidam illudere cupientes, ac perterrefacere, nigra veſte in modum cadaveris ornati, ac perſonis in capita affictis illum circumſilirent, hic neque eorum commenta pertimuerit, neque eos omnino reſpexerit, ſed inter ſcribendum, Deſiſtite tandem, dixerit, ineptire. Prudentior ſanè ille fuit, & animoſior, quam olim Ægyptiorum ſacerdotes, qui *In Hieroglyphicis.* ut Orus depingit, præſidium ac remedium contra dæmones firmiſſimum eſſe ſibi & aliis perſuaſerunt, picturam, duorum hominum capita, unum maris intro aſpiciens, alterum fœminæ foras. In Democritea opinione etiam fuit Caſſius imbutus placitis Epicuri, unus ex interfectoribus C. Cæſaris. Is enim quum metum conceptum ob ſpectrum quoddam Bruto adimere cuperet, ita eum, ut Plutarchus refert, compellavit: *In vita Bruti.* Non ita exiſtimamus Brute, non affici nos revera ſemper iis, aut videre ea, quibus affici nos, aut quæ cernere nobis videmur. Nam & ſenſus mobiles ſunt, ac facilè decipiuntur: & mens multo celerius ſeipſam nulla impellente cauſa concutit, & quaſvis ſpecies concipit: quippe hæc imaginum formatio ceræ quandam habet ſimilitudinem, & animo hominis, in quo & effingendi & effigiem concipiendi ineſt vis, id quoque ſuapte natura adeſt, ut quam facilimè variet idem atque formet. Demonſtrans hoc inſomniorum tam variæ vices, quibus vis imaginandi ex levi initio ita convertitur, ut omnis generis viſa & affectationes exiſtant. Etenim animi natura ea eſt, ſemper ut moveatur: motio autem illa imago aliqua aut intellectio eſt. Porro tibi corpus natura afflictum, mentem exagitat, atque minus ſui compotem reddit. Neque vero probabile eſt, genios vel eſſe, vel hominum formam habere, vocemve aut vim quandam ad nos pertinentem. Omnino autem velim nos, non armorum modo, equorum, naviumque tantis copiis, ſed & deorum ductu fretos eſſe, atque confidere, qui ſanctiſſimi atque pulcherrimi facinoris autores ducesque ſumus, &c. *De rebus Indicis.* Huc referri poſſunt ea, quæ Arrianus de Nearcho præfecto claſſis Alexandri Magni memoriæ prodidit. Quum enim ad

ad insulam Nosalem Soli sacram appulisset, illique indicatum fuisset, eam à nullo mortalium adiri: si autem quis eo deferretur, cum non amplius cerni, ideoque omnes nautæ persuasi hac opinione illam adire nollent: ipsummet eo navigisse scribit, ac nautas compulisse, vel invitos navem appellere, itaque in insulam descendisse; & vanam atque inanem fabulam comperisse, quæ de insula spargebatur. Similem historiam sanè memorabilem, refert Ruffinus de Serapis simulacro, (quem alii Jovem fuisse putant, cujus capiti modius superpositus fuit, vel quia cum mensura modoque cuncta indicet moderari; vel vitam mortalibus frugum largitate, præberi: alii virtutem Nili fluminis, cujus Ægyptus opibus & fœcunditate pascatur: quidam in honorem Josephi filii Patriarchæ Jacobi formatum perhibent simulacrum ob divisionem frumenti, qua famis tempore subvenit Ægyptiis: alii Apin Regem Ægypti, eo quod famis tempore affatim civibus Alexandrinis alimenta suppeditasset, ideoque eo mortuo in honorem ejus institutum apud Memphos templum, in quo bos, quasi indicium optimi agricolæ nutriebatur, & Apis appellabatur; σορὸς vero id est, sepulchrum, in quo corpus ejus inerat, Alexandriam deductum, & Soron Apis primo, ex compositione Sorapin, post vero per corruptionem Serapin nominatum) Simulachrum, inquit Ruffinus, Serapis Alexandriæ ita erat vastum, ut dextra unum parietem, alterum læva pertingeret, quod monstrum ex omnibus generibus metallorum lignorumque compositum ferebatur. Quum igitur Christiani parati essent ad subvertendum erroris autorem, diu obstitit persuasio quædam à gentilibus sparsa: Quod si humana manus simulachrum illud contigisset, terra dehiscens ilico solveretur in chaos, cœlumque repentè rueret in præceps. Verum unus ex militibus, fide quam armis magis munitus, correptam bipennem insurgens omni nisu maxillæ veteratoris illidit. Clamor attollitur utrorumque populorum, neque tamen aut cœlum ruit, aut terra descendit. Inde iterum atque iterum repetens, putris ligni fumosum genu cædit, quo dejecto, igni adhibito tam facilè, quam lignum aridum conflagravit. Post hoc revulsum cervicibus, & depresso modio trahitur caput, tunc pedes aliaque membra cæsa securibus & rapta funibus detrahuntur, ac per singula loca membratim in conspectu cultricis Alexandriæ senex veternosus exuritur. Ad ultimum truncus, qui superfuerat, in amphitheatro concrematur, vanæque superstitionis & erroris antiqui Serapis hic finis fuit. Sed ad propositum revertamur, hæc à me non ideo referuntur, quod ignorem potentiam cacodæmonum, qui permittente Deo, non solum mirificas imagines & formas hominibus præsentare eosque terrere solent, sicut Turcæ in hodiernum diem, suis incantationibus fugitiva mancipia retrahere perhibentur. Nomen enim servi in schedula scri-

Lib. 2. c. 23. hist. Eccles.

ptum ſuſpendunt in ejus cubiculo: mox diris verbis & devotionibus illius caput impetunt, deinde fit vi dæmoniaca, ut fugiens putet ſibi in itinere vel leones, vel dracones occurrere, vel mare, vel flumina contra ſe exundare, vel omnia tenebris nigreſcere, iſque terriculis repulſus in ſervitutem priſtinam morte duriorem redit. Simili magica incantatione olim, teſte Plinio, Veſtales Romanæ, nondum egreſſa Urbe, mancipia fugitiva retinere ſolebant. Et memorabile exemplum recenſet Rob. Gaguinus. Immo cum ſint ſpiritus tenues, & incomprehenſibiles, inſinuant ſe nonnunquam corporibus hominum & occultè in viſceribus operti valetudinem vitiant, morbos citant, ſomniis animos terrent, mentes furoribus quatiunt, ut homines his malis cogat ad eorum auxilia decurrere, ut Lactantius rectè monet: Sed etiam concedendum eſt, eos nonnunquam homines & corporeas res de loco in locum transferre. Etſi enim experientia docuit, ſagas quaſdam & veneficas, ut ſpiritus iſtos immundos ad ſe alliciant, nonnunquam ſeſe perungere ſolere unguento aliquo ſoporifero, deinde ſe conjicere in lectum, ubi ita profundè dormiunt, ut nec aciculis, nec ignibus poſſint expergefieri. Interim diabolus illis ita dormientibus multa proponit ludicra, convivia, choreas, & omne genus voluptatum. Ita ut illis accidat, ſicut Galenus de inſanis & atra bile percitis, & de his qui mortis vicinitate alienatæ mentis ſunt, ait, quod res, quas extra ſe videre arbitrantur, intra ipſorum ſint oculos. Hoc patet ex eo, quod ſibi contigiſſe ſcribit Johan. Bapt. Porta. Incidit, inquit, mihi in manus vetula quædam earum, quas à ſtrigis avis nocturnæ ſimilitudine ſtriges vocant, quæque noctu puerulorum ſanguinem è cunis abſorbent, ſponte pollicita brevis mihi temporis ſpacio allaturam reſponſa. Jubet omnes foras egredi, qui mecum erant: acciti teſtes ſpoliis nudata tota ſe unguento quodam valdè perfricavit, nobis è portæ rimulis conſpicua, ſic ſoporiferorum vi ſuccorum cecidit, profundoque occubuit ſomno, fores ipſi patefecimus, multum fabulabat, tantaque vis ſoporis fuit, ut ſenſum eriperet: ad locum foras redimus jam medelæ vires fatiſcunt, flaceſcuntque: à ſomno revocata multa incipit fari deliria, ſe maria monteſque tranſineaſſe, falſaque depromens reſponſa, negamus; inſtat, livorem oſtendimus, pertinaciter reſiſtit magis. Hactenus Magus iſte naturalis. Etſi, inquam, experientia docuit, quod multi manentes uno in loco, opinati ſunt, ſeſe hinc inde vagari: tamen non raro accidit, ut permittente Deo, dæmones homines auferant in nemora aliaque loca, ibique illis hujuſmodi ſpectacula proponant. Nam Simon Samaritanus magus (qui ſub Claudio Cæſare ſtatua donatus eſt, cum hac inſcriptione: SIMONI MAGO DEO, vel SIMONI SANCTO DEO, ut Tertullianus, Juſtinus Martyr, & Euſebius ſcribunt) per aerem dæmonibus vectus vagari potuit.

Lib. 7. cap. 1. hiſt. Franc.

De origine errorum lib. 2. c. 14.

L. Prognoſti.

Lib. 2. c. 26. in mag. nat.

In Apolog. Decad. prior lib. 4. c. 1.

potuit: ſed ad preces divi Petri repentè ex alto corruit, miſereque periit. Ob hanc rem cum à Nerone, qui hunc Magum magnifaciebat, ſupplicio affectum eſſe tradit Cedrenus. Eodem modo Diodorus, vel Lyodorus, ut vulgo appellatur, Siculus, quemadmodum Thomas Fazelli refert, magica arte imbutus, miranda præſtigiarum machinatione olim Catanæ floruit. Is namque potenti carminum ſuorum vi, homines in bruta animantia convertere, omniumque fermè rerum formas in novas metamorphoſes transfundere, longiſſimiſque à ſe ſpaciis diſſitos repentè ad ſe attrahere poſſe videbatur. Catanenſes præterea adeo crebris laceſſebat injuriis, & contumeliis dehoneſtabat, ut vaniſſimæ crudelitatis laqueis circumventi ad cultus ei pendendi ſtudium concitarentur. Qui quum capitis reus cruci tradendus eſſet, eliciorum carminum præſentiſſ. arte è Catana Byzantium, cujus imperio eo tempore Sicilia ſuberat, & rurſus Byzantio Catanam, lictorum manibus dilapſus, parvo temporum interſtitio, per aera ſe devehi juſſit. Quibus veneficiis adeo populo factus eſt admirabilis, & eo tandem perſuaſit, ut in ipſo quandam numinis potentiam eſſe rati, errore ſacrilego cultum ſacrum ei exhiberent. Sed tandem à Leone Catanenſi Epiſcopo divina virtute ex improviſo captus, frequenti in mediæ urbe populo, in fornacem igneam injectus; incendio conſumtus eſt. Huc commodè referri poſſunt, quæ ſupra de Davide Mago ex Tutelenſi retulimus. Similia exempla reperiuntur apud Paulum Grillandum. Sic aliquando accidit, ut quidam qui harum rerum ſtudio tenebatur, repentè ablatus domo, ſiſteretur in loco amœniſſimo, ubi quum illa omnia diſparuiſſent, vidit ſe hærere in ſpinis inter denſiſſimos vepres, & quamvis ſibi viſus fuiſſet comedere, tamen fame ferè conficiebatur. Unde Magi, qui hac arte utuntur, rectè præſtigiatores dicuntur. Solent enim magnifica convivia inſtruere, menſaſque epulis reficere & miniſtrantium frequentia perornare, ut de Inacho à Mendoza famam fuiſſe, ſcribit Dominicus Soto, quæ tamen tandem derepentè in carbones, inque alia id genus futilia evaneſcunt. Sic Bodinus refert, Comitem Aſpremontenſem non ita pridem vixiſſe, qui domum ad ſe venientes tractare magnifice, excipereque ſit ſolitus, adeo ut accurati cibi, officia, omniumque rerum copia ſummopere turmis eo divertentibus ſatisfacerent: ſed homines illos & equos, quum primum ab eo exibant, fame & ſiti oppreſſos eſſe. Tale convivium fuit, ni fallor, Menippeum, de quo ſupra diximus. Verum enim eſt, ut Lactantius dicit, præſtigias Magicas nihil veri ac ſolidi oſtentare, & ejus artis peritiam nihil aliud, quam ad circumſcribendos oculos valere. Velut Jamblici Platonici opinio fuit, quod ea, quæ faſcinati imaginantur, præter imaginamenta nullam habeant actionis & eſſentiæ veritatem. Faſcina-

Cap. 41.

De ſortilegiis quæſt. VII.

De iuſtit. & iur. lib. 3. q. 3. art. 2.

Lib 2. cap. 4. De dæmon.

Cap 70.

Lib. 4. 15. divin. inſtit.

ſcinationis autem nomen antiquum eſſe, atque ſecundum antiquam ſignifi-
cationem, nullum naturalem morbum ſignificare, ſed ſuperſtitionem eſſe
vanam ex vulgari natam opinione, atque ideo neque Hippocratem, neque
De ſacra philoſophia cap. 69. Galenum, neque veterum Medicorum quiſque mentionem ejus facere no-
tat Valeſius. Etſi autem à Plutarcho memoriæ traditum eſt, Periclem vi-
rum fortiſſ. & eloquentiſſ. muliebres quaſdam incantationes, dum ægrota-
ret, ſcriptas gutturi ſuo ſuſpenſas habuiſſe, idque amuletum collo circumli
gatum ægrotantem inviſenti cuidam amico oſtendiſſe, ideoque rectè dicit,
eum peſſimè affectum fuiſſe, qui hanc ſtultitiam in ſe admiſerit, nec non & hi-
Lib. 30. ſtorici tradunt, Ulyſſi, quem Homerus ſapientiſſimum Græcorum omnium
inducit, graviter in femore vulnerato, ſanguinis profluvium carmine ſtitiſſe:
Li. Vecllo ſemoth. vol. tamen ea omnia nihil aliud, quam vaniſſimas perſuaſiones fuiſſe, experientia
docuit. Quare verè Plinius ait, Neronem magicam artem, cui fuerat initia-
Exo. Cap. V. tus, univerſam vanam falſamque comperiſſe. Hoc confirmatur exemplo
In vita Adriani. memorabili (ut miſceamus ſacra profanis) dum Magi ſuis impoſturis divina
miracula Moiſis imitari conantur, ipſius enim baculus converſus in ſerpen-
tem eorum omnes devoravit. Adrianus etiam Imp. ſicut Dio teſtatur, illud
In compendio hiſt. Roman. expertus eſt: Magicis enim artibus & incantamentis quibuſdam aquam in-
tercutem omnem eduxit, qua tamen rurſus & celeriter repletus eſt. Idipſum
Canones confirmant, ubi dicunt incantationes infirmitatibus hominum ni-
hil remedii præſtare. Rectè itaque Pomponius Lætus Maxentium Magi-
cis artibus, quam imperio aptiorem fuiſſe ſentit, & ibi pergit: Quicunque
Magos conſulunt, & vaticinia, aut auſpicia rebus gerendis quærunt, ſemper
ſunt anxii, & nunquam inter metum & ſpem avidi futurorum, quieſcunt. Si
26 q. 7. illi proſpera nuntiant, inani & vana ſpe jam tum lætari incipiunt: ſin contra,
repentè triſtitia affecti torpeſcunt. De hac autem re una cum eis, quos antea
In parerg. jur. l. 8 c. 22. citavi, plura eruditè & piè ſcripſit Alciatus. Ubi inter alia, autoritate ſacræ
ſcripturæ, & Origenis, ſanctique Hieronymi, confutat opinionem quorun-
dam veterum & recentiorum Theologorum, aſſerentium, Chriſtum diaboli
opera ſuper pinnaculum templi conſtitutum, ibique tentatum eſſe, cum Ser-
vator noſter ſponte & quidem Spiritu ſancto ducente eo aſcenderit. Nuſ-
De ſortilegiis quæſt. 7. quam enim uno verbo innuitur, vel legitur, in ſacris literis, Chriſtum à dia-
bolo raptum, aut vectura traductum eſſe per aerem. Licet non fugiat me
Paulum Grillandum, & alios nonnullos contrariam opinionem magno
conatu, multiſque adductis autoritatibus & rationibus
affirmare.

Caput LXXIII.

De nonnullis mirandis rebus, de quibus vera ratio reddi nequit, Et de fraudibus diabolicis.



IN Solino polyhist. legimus, Democritum Abderiten ad probandam occultam naturæ potentiam, in certaminibus contra magos, usum fuisse lapide, qui alibiquam in Corsica non invenitur, & Catochites appellatur: hunc impositas manus detinere ait, ita se junctis corporibus annectentem, ut cum ipsis hæreat, à quibus tangitur. Ideo non absque caussa mirum nonnullis videtur, quod multa passim occurrant, de quibus quantumvis naturalia habeantur, solida ratio reddi nequeat. Sic non absque ratione quæri potest, quare à solis Corylorum furculis bifidis, & nō idem ab aliis arboribus, vel fruticibus, quæ in iisdem proveniunt locis, venæ auri argentive feraces detegantur, inclinante sese eo virgula, qua sub terra venæ feruntur atque latent. Quis præterea unquam absque hæsitatione veras & solidas rationes afferre potuit, cur sanguis ex interfecti cadavere, vel membris inde abscissis præsente homicida, etiam diu post perpetratam cædem fluat, quamvis hoc satis verisimiliter post Aristotelem, Galenum, nec non Hier. Maggius & Marsilius Ficinus præstari conati fuerint quod etiam Bodin. notavit. Quis obsecro explicare poterit, quare tam subito turbines & procellæ oriantur ventorum, quum seipsum desperabundus aliquis infelici reste suspenderit? Quis porro rectè perscrutatus est (licet Joh. Porta, & Jul. Scal. eruditè hac de re disputent) quare Magnes ab uno latere interdum ferrum attrahat, ab altero repellat, qui tunc Theamedes dicitur: verum si allio illinatur, aut fimo tegatur, vires suas attrahendi vel repellendi tam diu amittat, donec vino abluatur, seseq; in singulis aut versus meridionalem, aut versus septentrionalem plagam obvertat? Hic lapis, quem Euripides Magnetem vocat, multi vero Heraclium, annulos ferreos, teste Plat. attrahit, ut longissima quidē ferreorum annul. series continuo quodam contextu aptetur: ad quos omnes ex illo lapide vis ea omnino pertinet. Quare qui primum magnetis virtutem trahentis ferrum agnoverit & viderit, non potest non illico in admirationem rapi, quod ipse D. Aug. sibi id usu venisse fatetur. Quis crederet absq; superstitione, si non id experientia testaretur, in alveariis

In problematibus de palato. *De doctrina promiscua cap. XXII.* *Lib. 5. miscellan. c. 5.* *Lib. 16. c. 5. de animar. immortal.* *Lib. 2 c. 1. de Magor. dæmonoman.* *Lib. 2. c. 21. de mag. natural.* *De subtil. ad Card. exercita. 131.* *In Ione.* *Lib. 21. De Civit. Dei cap. 4. & 5.*

mor

mortuo patre aut matrefamilias, si non comperta morte eorum, statim in alium locum transferantur, plerunque apes omnes emori? Hoc enim iis accidere memini, quos compertum habeo, neutiquam superstitiosos fuisse. Eodem modo scimus quasdam illustres & nobiles familias esse, quæ habent certa indicia, ea præcedunt, si unus ex iis (sive domi suæ, sive procul etiamsi apud antipodas esset) gravi morbo, aliave calamitate affectus est, *De spectr. part. 1. c. 16.* vel diem suum obiit, de qua re etiam nonnulla exempla recenset Ludovicus Lavaterus. Inprimis autem id Marchiones Estenses, nunc principes Ferrariæ, longo tempore Gemmulæ, in quo monasterio Beatrix, Athestina ex eorum familia sepulta fuit, observarunt. Etenim quoties aliquid novi Estensi familiæ imminebat, toties multis ante diebus in sacello ejus exaudiebatur strepitus prægrandis, & corpus ejus, quod de more supinum in sepulchro *Li. 2. class. 6.* jacebat, in alterum revolutum latus reperiebatur. Ea autem obiit Anno *De antiq. urb. Patavi.* Domini M. CCXXVI. VI. ID. MAII, sicut Bernardin. Scardeonius refert, & *Lib. 5. de Roman. Pontif.* ejus corpus vel cineres, ni fallor, Ferrariam translati sunt, in quoddam monasterium, in quo futuros casus non minus, quam antea ostendit. Memorabile præterea est, quod Balæus de Sylvestro refert. Sylvestri, inquit, sepulchrum ossium collisione, & sudore emisso, ab eo tempore dicitur semper pontificum mortem prænunciasse. Obiit autem is Anno M III. Hic ante fuit nominatus Gerebertus, Floriacensis monachus, verum quibus artibus ad Pontificatum pervenit, deque ejus vita & morte, Nauclerus, Platina, & Augustinus Onophrius Papæ cubicularius, qui è Vaticano, actisque veteribus historiam Paparum composuit diligentissimè, mira scribunt. Obiit quo- *Lib. 8.* que similia indicia apud gentiles extitisse, Herodotus est autor. S[illegible] enim apud Pedasenses super Halicarnassum Antistitem Minervæ certa signa habuisse, quæ demonstrarint, quoties Amphictyensibus, qui circ[a] eam urbem habitarunt, aliquid adversi intra certum tempus eventurum esset. Habent etiam nonnulli Germaniæ Principes præsagia, & veluti notas quasdam peculiares, quæ ante, vel circa obitum ipsorum apparent & audiuntur, veluti rugitus leonum & canum latratus inconsueti, tumultus nocturni in arcibus intempestivi; sonitus in horologiis, & alia indicia præternaturalia. Sic Principem recensentem audivi, esse in sua ditione fontem alioquin perennem, sed quando scaturigo ejus decrescat, id certissimam portendere caritatem annonæ: sin omnino exarescat, famem, ideoque vulgo vocari Hungerbrunn. Sed qualis obsecro olim fons fuit post Glomutium, hodie Lumizium, oppidum Misniæ? De quo ita scribit Dietmarus, sicut refertur à Petro Albino in Chronico Misnensi. Glomuzi, inquit, est fons non plus ab Albi, quam duo milliaria positus, qui de se paludem generans mira, ut incolæ pro vero asserunt, oculisque approbatum est à multis,

sæpe

ſæpe operatur. Quum bona pax eſt indigenis profutura, ſuumque hæc terra non mentitur fructum; idem tritico, & avena, ac glande refertus, lætus vi[illegible]rum ad ſe crebro confluentium efficit animos. Quando autem ſæva belli tempeſtas ingruerit, ſanguine & cinere certum futuri exitij indicium p[illegible]ſtrat. Eadem ibidem ex Eraſino Stella, de hoc fonte recenſentur, ubi additur, felicitatem anni portendiſſe glandes, hordeum, & frumenta, unde innatantia: bella ſanguineum colorem aquæ: Peſtem, cineres. Hucque veniſſe agminatim Vandalos Sorabos quotannis, ibique idolis ſuis ſacrificaſſe, & exploraſſe fertilitatem futuri anni: hancque idololatriam duraſſe uſque ad tempora Henrici Imperat. qui Chriſtianam fidem in illas regiones primum introduxit. In monaſterijs quoque non raro accidit, ut ſpectra monachorum & monialium, quibus mors imminet, conſpiciantur in templis, ubi [illegible]ilia ſua peculiaria habent trunco capite. Novi quoque nobiles, qui habent indicia certiſſima mortis, ſi fons peculiaris, alioquin limpidiſſimus, abſque cauſa turbatur à vermi, alioquin incognito. Alia nobiliſſima familia, notas fatales habet, ſi terra prope ejus arcem, vel pars agri in voraginem ſubſidit, vulgo Erdfall vocatur. In Bohemia ſpectrum veſtitu fœmineo [illegible]bri, illuſtri familiæ in arce quadam apparere ſolet, antequam una ex conjugibus Dominorum illorum decedit è vita. Et quis ejuſmodi generis [illegible] enarrare poterit? Ut autem fatendum eſt, in natura innumera abſtr[illegible], & nobis incognita eſſe, (habet namque ea ſcientiarum theſauros innumerabiles, qui nullis ætatibus exhauriri poſſunt,) ex quibus non minus, quam [illegible], quæ conſpicua & manifeſta ſunt, conditoris omnium rerum im[illegible] quandoque elucet: is enim quando vult, poteſt facere quod [illegible] mutare quod eſt. Sicut quoque Johannes Baptiſta, Phariſæos & [illegible] increpando alloquitur, poſſe Deum ſuſcitare ex lapidibus filios Ab[illegible]; nam ſicut Deo, ut Auguſtin. ait, non fuit impoſſibile, quas voluit na[illegible]ſtituere; ſic ei non eſt impoſſibile, in quicquid voluerit, quas [illegible] mutare: Ita in nonnullis manifeſto apparent impoſturæ, & illuſi[illegible]abolicæ, quibus homines incautos decipere, & illis imponere ſolent. Hinc fit, ut vulgus plerunque opera quæcunque magna & inſolita ma[illegible] artibus adſcribere ſoleat, quorum cauſas non intelligit. Etenim in her[illegible], lapidibus, & aquis, ac reliquis naturalibus rebus mirificas ineſſe virtu[illegible]minibus quidem ignotas, quas tamen dæmones cognoſcentes, ci[illegible] quidem motu afferre poſſunt quocunque velint, ad inſolentiſſimos [illegible]ctus demonſtrandos, late & erudite tradit Dominicus Soto. Non ſine cauſa igitur ſpiritus illi contaminati, & perditi, dicuntur varijs & præſtigiatricibus artibus nocendi inſtructi, utpote qui mille, vel potius innumeris modis hominum ſenſus, non propria poteſtate, ſed permittente

Matth c.3. Luc. c.3.

Lib 21. De civit. Dei.

De juſtitia & jure l. 8. q. 3. art. 2. Utrũ liceat dæmonas adjurare.

Lib. 2. c. 14. de orig. erro. Deo depravare, & nonnunquam adjuti naturalibus rebus abſtruſioribus [illegible] lis quæ inania & vana ſunt, pro veris obtrudere ſolent. Vel, ut ait Lactan[illegible] viſus hominum præſtigijs obcœcantibus fallunt, ut non videant ea quæ ſunt *Epiſt. ad Philippenſ.* & videre ſe putent illa quæ non ſunt. Varius enim, ut Ignatius Martyr a[illegible], & multiformis eſt dux ille omnis mali, & falſis rationibus mentes fallens hu- *In hymno ante ſomnum.* manas ſibi ipſe contrarius, inconſtans, alia prætexens, alia faciens. Sapi[illegible] eſt ad malefaciendum, bonum vero quod ſit, ignorat. Adeo ut Aurelianus Prudentius rectiſſ. cum inter alia compellet:

Procul eſto pervicaci
Præſtigiator aſtu.
O tortuoſe ſerpens.
Qui mille per meandros
Fraudesque flexuoſas,
Agitas quieta corda.

Hæc mihi in mentem venerunt, & cogitandi materiam ſuppedita[illegible] audirem fide dignum virum narrantem, quam valide adhuc in remoti[illegible]bus Septentrionalibus regionibus, ſpiritus ille nequam, ſuas vires exerce[illegible], illosque homines ſuis illuſionibus & præſtigijs apertius quam alibi e[illegible]. Ajebat enim non ſolum dæmones inſtar famulorum domeſtico[illegible]dem familiares hominibus eſſe ſolere, quos ipſi Drullos vocant, ſed etiam interdum diligenter curare equos, aliaque jumenta, & in omnigen[illegible] offi- ciorum ſeſe abſque noxa (uti opinantur) ſolertes & induſt[illegible] ita ut quibusdam ipſorum converſatio lucroſa & pergrata ſit. [illegible] raro *De religione & ſacrificiis veterum Boruſſor.* etiam eos, quibus ij inſerviunt, morbos & pericula eorum m[illegible]tare, non ſecus ac Sarmatis quibusdam in hodiernum diem ac[illegible] enim teſte Johanne Meletio colunt ſpiritus quoſdam viſibiles, qui [illegible]a Ru[illegible]nica Cokkij, Græca Coboli, Germanica Cobaldi vocantur. Ho[illegible] ſpir[illegible] credunt habitare in occultis ædium locis, vel in congerie lignorum; nu[illegible]untque eos laute omni ciborum genere, eo quod afferre ſoleant n[illegible]bus ſuis frumentum ex alienis horreis furto ablatum, &c. Pol[illegible]ritus illi tenues & incomprehenſibiles ſingulari acumine, impot[illegible] ti longiſſimo uſu & experientia. Unde fit, ut ex naturalibus cauſ[illegible] *De natura dæmonum.* te aliquid & citius prævidere, & cognoſcere accuratius poſſint [illegible] quam ho- mines corporea mole gravari. Idipſum non latuit Auguſtinum [illegible] Ita enim dicit: Sciendum eſt, hanc naturam dæmonum, ut aerei corporis ſenſu t[illegible]norum corporum ſenſum facile præcedant, celeritate etiam propter a[illegible] corporis ſuperiorem mobilitatem, non ſolum curſus quorumlibet [illegible] ut hominum vel ferarum, verum etiam volatus avium incomparabi[illegible] vincant: quibus duabus rebus, quantum ad aereum corpus attinet, præd[illegible],

hoc

hoc eſt, acumine ſenſus, & celeritate motus, multo ante agnita nuncianto [illegible]nes pro ſenſus terreni tarditate mirentur. Et hoc effectu, forte [illegible] ab Hebræis Reſeph dicitur, quod interpretatur volucris, ſive [illegible], vel lampas vel ſagitta. Acceſſit etiam dæmonibus per tam longum [illegible]quo eorum vita protenditur, rerum longe major experientia, quam p[illegible]minibus propter brevitatem vitæ provenire. Hoc quoque ethni[illegible]arunt. Plato enim ex Heſiodi ſententia arbitratur, dæmones quaſi *In Cratylo.* [illegible] hoc eſt, prudentes & ſcientes, eodem modo Theophraſtus voce [illegible], & deos & dæmones complexus eſt, & quicquid divinitatis eſſe particeps male ſana putavit antiquitas. Idem ſentit Triſmegiſtus, ſicut à Lactantio citatur, & addit: Sciunt illi quidem futura multa, ſed non o- *Lib. 2. c. 14.* mnia, [illegible]ppe quibus penitus conſilium Dei ſcire non licet, & ideo ſolent *De orig. err.* reſpo[illegible] ambiguos exitus temperare. Sed ad propoſitum. Quin etiam aſſirma[illegible], eſſe peculiarem locum in quodam promontorio inter hor-rendo[illegible]os ſcopulos, ubi ſæpe priuſquam, interdum etiam eodem tempore, q[illegible] prælium aliquod diverſa in parte orbis terrarum committi-tur, [illegible] clades, in quibus multum humani ſanguinis effundi-tur, [illegible]cipiuntur, undæ marinæ ſanguineæ, & in ijs veluti ebullientia cada-vera [illegible] pleruṇque trunca tamen & mutilata, utpote abſque capite, ſi-n[illegible] pedibusve conſpiciantur. Hæc etiam Olaus Magnus affirma- *Lib. 2. c. 3.* re [illegible] Islandiæ deſcribens, ubi ex ſpectris incolæ præſagiunt fa- *de mira na-* ta pr[illegible]ve remotius in orbe peragatur. Etſi autem non ignoro, *tur. rer. Se-* qu[illegible] ali modo ſæpenumero colores mutantur, inter quos *ptent. Et l. 3.* [illegible], [illegible] de mari rubro dicitur, apparet ſanguineus; ſicut apud A- *c. 22. de ſu-* [illegible] q[illegible]e Dipnoſophi de aquarum natura, & earum varietate pro- *perſtit. cult.* d[illegible] corum late diſſerunt. Aquarum, ajunt, talis color eſt, qualis *dæmon.* [illegible] Babylonis lacûs aqua rubet per aliquot dies: Boryſthe- *Lib. 2. c. 2.* n[illegible] temporibus cœrulea eſt, quamvis omnium tenuiſſima, [illegible] dicto, quod Hipany ſupernatat, ob ſummam aquarum levitatem, [illegible] Septentrionalibus locis fluunt: Tamen ſi reliqua, quæ modo [illegible]us ebullientibus diximus, quibuſdam fabuloſa & inania vi-[illegible]mus, ajebat noſter, porro quid alius vir fide dignus, velut o-[illegible] ſæpius dicere ſolitus ſit; fuit enim diu in Ægypto, & alijs Aſiæ [illegible]. Vidiſſe videlicet non ſemel haud procul à pyramidibus Ægypti, [illegible] loco, (ubi menſe Martio certo die convenire ſoleat magna [illegible]o hominum, ad videndam reſurrectionem carnis, ut ipſi vocant) e[illegible]ris apparentia, & velut paulatim emergentia cadavera defun-ctor[illegible] non quidem integra, ſed interdum manus, interdum pedes; non-nunquam majorem partem corporis conſpicuam eſſe, & rurſus ſub ter-

 ram

ram velut se abscondere. Hæc quum plerisque mira & insolita viderentur [illegible], & ego quoque certius scire cuperem, sciscitatus sum ab affine quodam & amico meo summo viro, genere, virtute, dignitate, & experientia multarum rerum præstanti (qui in illis locis una cum Alexandro Schulenburgio, viro nobiliss. & intima familiaritate mihi conjuncto, qui in Frisia superioribus tumultibus bellicis, dum consangineos & amicos in castris invisere vellet, exorto forte prælio crudeliter est occisus, dignus sane [illegible] rarissimas virtutes longiore vita, peregrinatus fuit) an ea quæ recens[illegible] vel sibi comperta haberet, vel ab alijs audivisset. Is mihi retulit, se qu[illegible] ea non vidisse, sed à multis audivisse, ita sese rem habere, adeo ut in [illegible] urbe, & alijs Ægypti locis neutiquam pro vanis, sed pro tritis & sol[illegible]bus haberentur. Cæterum, ut mihi dubitationem conceptam [illegible]ret, monstravit mihi librum Italicum ante multos annos Venetiis ed[illegible], in quo continebantur variæ descriptiones itinerum Legatorum Ve[illegible]torum in Asiaticos Scythas, Æthiopes, aliasque gentes, vix nomine [illegible] notas. Inter alia etiam erat inserta narratio Itinerarij, cujus titulus erat: *Viaggio di Messer Aluigi di Giouanni di Alessandria nelle indie*, ubi prope [illegible] ejus verba ita transtuli: Die xxv. Martij, Anno M.D.XI.. multi ex Christianis, assumtis custodiæ causa militibus aliquot, ex numero præto[illegible], quos Janizeros appellant, proficiscebantur Cairo, ad montem [illegible] distantem duobus milliaribus à Nilo, olim destinatum sepul[illegible]is [illegible]ctorum, sicut hodie apud nos de Campo sancto dici posset: [illegible] eo quotannis solet convenire immensa multitudo hominum, u[illegible] cadavera ibi humata, velut emergentia de sepulchris. Hoc incipit [illegible] Jovis, & durat usque ad diem Sabbathi, tunc omnia rursus evan[illegible]. [illegible] autem tempore videre poteris quædam cadavera fascijs involut[illegible], [illegible] lim humabantur defuncti. Non autem conspiciuntur, se erig[illegible] minus ambulantia. Sed modo videbis unum atque alterum, [illegible] ctabis ejus brachium, vel crus aliamve partem corporis; post ibis in [illegible]tiorem locum, sicque mox reversus fueris, invenies illud brachium, [illegible] aliudve membrum magis extans è sabulo quam antea, quod [illegible] hinc inde obambulaveris, manifesto apparebit discrimen, qu[illegible] modo sub terra fuerunt, magis eruta & conspicua appareant. Eod[illegible] tempore multa videbis tentoria circa montem. Nam persuasum est [illegible] & ægrotis, qui agminatim eo properant, quod qui ex palude quad[illegible]na, nocte illa, quæ præcedit diem Veneris, se laverit, ei mirifice prosi[illegible] conservandam, & recuperandam valetudinem. Verum ego hoc miraculum non vidi. Hactenus ille. Hujus rei quoque mentionem facit [illegible] Ulmensis Dominicanus, qui illis in locis fuit, & suam peregrinationem in

Palæ-

[illegible] & [illegible] ſua vernacula linguâ diligenter conſcriptam edi- [illegible] autem hæc miraculoſe, ut homines iſti ſtolidiſſimi (fuit enim o- [illegible] ous, & nunc eſt ſuperſtitionibus plena, mater Idololatriæ) reſurre- [illegible] turæ vitæ commonefiant, an impoſtura diabolica, accidant, ex phan[illegible], vel phantaſia, ſicut pleriq; autumant, ut neq; confirmare argu- men[illegible] in animo eſt refellere, ita ex ingenio ſuo quisq; demat, vel ad- dat fidei. Lambertus autem Danæus de bonis & malis Angelis hanc diſtin- ctionem inter phantaſma & phantaſiam facit, quod illa oriatur cum tale quid no[illegible] dæmone repræſentatur, quale nunquam antea vidimus, teſte Augu- ſtino; Hæc vero ſi ſe tale quidpiam offert, quale jam antea vidimus.

CAPUT LXXIV.

De cacodæmone Camontino & Schil- tacenſi.

AVENTINUS refert hiſtoriam, quæ in pago Camontino ad Lib. 4. Annal. Boior. R[illegible]enum accidit ſane memorabilem, de mirificis illuſio- [illegible] diaboli, quæ ut rectius cognoſcatur, ejus verba [illegible] volui. Ibidem, inquit, hiſce diebus deſertor ac [illegible] ſpiritus, multa miracula edidit, circulatorias præ- ſtig[illegible], [illegible] infeſtavit. Primo umbra feralis, à nemine quidem con- [illegible] homines jactare, pultare fores cœpit. Mox ſub humana [illegible] ac [illegible] unus ille genius deliteſcens, reſponſa reddidit, [illegible] quoſcunque nota infamiæ aſperſit: diſcordias, ſim[illegible]tavit. Paulatim horrea caſas omnes ſuccendit, atque exuſ- [illegible] moleſtior extitit, perpetuo ejus lateri, quocunque diverteret, [illegible] domum comburens: Et ut viciniam univerſam in necem [illegible]laret, ob ſcelera illius hunc locum infamem ac devotum [illegible] mendaciorum faber jactabat. Coactus eſt homo ſub dio ma- [illegible] mnibus enim, quaſi lemuribus nocturnis ſacer, tecto arcebatur. A[illegible] confinibus ſatisfaceret, candens ferrum manibus portavit, ac [illegible] violaretur, inſontem ſe comprobavit. Nihilominus tamen [illegible] umenta ejus in acervos compoſita, idem Lar contaminatus ac pe[illegible]buſſit. Et quum odioſus in dies magis atque magis eſſe perge- ret, [illegible] pagani rem ad Pontificem Moguntinum deferunt. Sacerdo- tes miſſi agros, villas, ſacris ac comprecationibus, luſtrali aqua, ſaleque

luſtrico expiant, atque colluſtrant. Prava ac conturbata mens primo quidem renitebatur, ac lapidibus quoſdam vulneravit. Verum divinis carminibus incantatus, efficacibusque ſupplicamentis adjuratus, tandem conticuit, nec uſquam gentium apparuit. Ubi diſceſſerunt Myſtæ, ſpiritus [illegible] atque peſtilens rurſus adeſt. Interim dum illi, inquit, calvaſtri ſacrificuli, neſcio quid immurmurarent, ſub lineo amiculo ſacerdotis (nominatim huncce notabat) qui meo ſuaſu filiam hoſpitis ſui ſuperiore nocte compreſſit, delitui. Hactenus Aventinus. Hujus rei vel ſimilis hiſtoriæ, ni fallor, ex Sige-

Lib. 2. c. 22. De præſtig. berto & Vincentio mentionem facit Wierus. Tale aliquid accidit & noſtro ſeculo, Anno videlicet M. D. XXXIII. Schildaci, in ducatus Wittebergenſis oppido. Quum enim cacodæmon oppidanos per aliquot [illegible] præſertim cauponem quendam cum ſua familia in foro, cujus diverſ[illegible] aurea ſtella, ſi recte memini, notabatur, clamoribus ac clangoribus [illegible] exagitaſſet, obſervatumque eſſet ancillam in iſtis ædibus hujus rei inſtig[illegible] eam incubo ſuo, conſciam eſſe, re deliberata ab ijs qui ſuſpicionem [illegible]vem de ea conceperant, juſſa eſt alio migrare. Quo facto pluſculis inte[illegible] diebus, illud diverſorium, & totum oppidum, diabolico plane furore, [illegible]dio intra duas horas, ita ut vicini in tanta celeritate neque accurrere [illegible]que ullum remedium ad reſtinguendam vim ignis invenire poſſent, [illegible] ſumtum eſt. Inprimis autem memorabile fuit, quod globi ignei volitantes hinc inde, veluti grandines in domos illapſi ſint, ita ut qui ad extin[illegible] incendium initio ortum accurrerent, mox proprias domos [illegible] ſpexerint. Tanta autem vis incendij diabolici fuit, ut arx quæ pro[illegible]ul in [illegible]to monte ibidem conſpicitur, & ex ſolido lapide conſtructa eſt [illegible] memini, Landsfrona / appellatur, vix ab igne ſervari & de[illegible]. Hanc deplorandam tragœdiam, audivi ante aliquot annos recitari a [illegible]cho, & alijs fide dignis hominibus, qui ejus ſpectatores fuerant, q[illegible] ſtenbergicis Legatis (ex quibus primus fuit ampliſſ. vir & celeberr. JC D. Ludovicus Grempius, qui me filij loco complectebatur, & ita nominare ſolebat, quem honoris & obſervãtiæ cauſa nomino) in illo oppido ad tra[illegible]gendas quaſdam graves controverſias; cum legatis Wirtebe[illegible]gicis [illegible]tus eſſem. Narrabat autem ſenex Parochus ille, & ſcripto nobis [illegible] miras artes diabolicas, & quomodo ſpiritus ille verſipellis, [illegible] voces & modulationes ſuaviſſimas imitari ſolitus fuiſſet; aſſe[illegible]rans albicantes & diverſicolores illos, quos mirantes intuebamur circ[illegible], coronæ inſtar, in canis ſuos capillos, eum colorem traxiſſe, ex inj[illegible] nequam illo ſpiritu quodam, quo dolia vinciri ſolent, circulo, joco [illegible] interroganti, an etiam corvi vocem noſſet; cumque mox tam horribi[illegible] crocitatum edidiſſe, ut plane inuſitato pavore conſternati, illum ſi d[illegible] duraſſet,

duraſſet, ferre nequiverint. Dixiſſe autem deinde eum (ſenex ille non abſque rubore affirmabat) ſibi imprimis, & ſingulis, ſua vitia, & quæ clam commiſiſſent, ut omnes confuſi diſceſſerint.

CAPUT LXXV.

De mira agilitate quorundam.

IN aula Principis Papebergenſis, ſæpius cum admiratione vidimus quendam hominem inter pecora in vicinis montanis locis, ut ajebat ipſe, educatum tanta agilitate & pernicitate corporis, ut ſtuporem magnum intuentibus injiceret. Multi itaque in ea fuerunt opinione, præſtigijs & faſcinationibus oculos hominum eum perſtringere, de qua tamen re mihi nihil certi compertum eſt, neque putem illud in ejus poteſtate, ſi voluiſſet, fuiſſe. Mirum autem præ cæteris in eo erat, quod non erecto corpore, ſed quadrupedis inſtar agilitatem ſuā oſtendebat. Habebat idem princeps in aula nanum quendam Martinettum; qui illum agilem hominem veluti equum conſcendebat, quem deinde in gyrum ducebat, & hinc inde concurſitationibus varijs modis exercebat; verum quando volebat, uno ſaltu ſeſſorem ſuum, licet pertinaciter illius dorſo inhærentem, abſque omni difficultate excutiebat. Poſt quadrupes illerum moloſſis & generoſis canibus, inter quos erant ferociſſimi, quos Anglicas Dockas vocamus, certamen inibat, eosque ſuo latratu & fremitu canino pendulaque coma conſternatos è cubiculo exigebat. Mordicus interdum comprehenſis illis minoribus ex indagatorum genere exactis canibus & moloſſis, miris ſaltibus, ſurſum & deorſum, quadrupes tamen, fere omnes angulos ſubliniores cubiculi permeabat, ut ſimia vix hoc perficere poſſet, quod tam ruſticum & quadratum corpus, abſque omni difficultate, uti videbatur, faciebat. Vidi ſemel atq; iterum quum apud Principem in prandio eſſem, poſtquam ſuum ſeſſorem nanum excuſſerat, & canes ſuo ficto latratu ex cubiculo exegerat, eum ſalientem à tergo ſuper humeros unius ex convivis; inde in menſam, intactis poculis & vaſis appoſitis; mox in ſubliniora loca, tanta celeritate, ut inſtar ſciuri, vel felis Indici, de quibus Julius Cæſar Scaliger ſcribit, volare videretur. In tectis ædium, licet faſtigiatis, illi hinc inde diſcurrere, ſicut feles noſtrates ſolent; facilimum & conſuetum erat. Alias quoque ſua agilitate ineptias fecit, ut nunc paſſim de ipſo ſermo ſit, quaſi de re inſolita, & inaudita. Etſi autem hæc narratio quibuſdam præter fidem videri poteſt, quam reticere maluiſſem, ſi non & ipſe ocula-

De ſubtilit. exercitat. 217. num. 9.

tus

tus testis essem, & alij multi hujus rei spectatores adhuc superstites essent. Quin etiam ille ipse agilis homo, adhuc dum hæc scriberem, ducta uxore in vivis fuit: tamen legimus fere similem pernicitatem habuisse Habidem

Lib. 44. filium Gargoris Regis Curetum. Ita enim de eo scribit Justinus historicus celebris. Saltus Carthesiorum, in quibus Titanas bellum adversus deos gessisse proditur, incoluere Curetes, quorum Rex vetustiss. Gargoris, mellis colligendi usum primus invenit. Huic quum ex filiæ stupro nepos provenisset, pudore flagitij varijs generibus extingui parvulum voluit: sed per omnes casus fortuna quadam servatus, ad postremum ad regnum tot periculorum miseratione pervenit. Primum omnium quum eum exponi jussisset, inventus est vario ferarum lacte nutritus. Deinde relatum domum, tramite angusto, per quem armenta commeare consueverant, projici jubet, crudelis prorsus, qui proculcari nepotem, quam simplici morte interfici maluit. Ibi quoque quum inviolatus esset, nec alimentis egeret, canibus primo jejunis, & multorum dierum abstinentia cruciatis mox etiam suibus objici jubet. Itaque quum non solum non nocerent, verum etiam quarundam uberibus aleretur, ad ultimum in Oceanum abjici jussit. Tum plane manifesto quodam numine inter furentes æstus, ac reciprocantes undas, velut nave non fluctu veheretur, leni salo in littore exponitur, nec multo post cerva affuit, quæ ubera parvulo offerret. Inde denique conversatione nutricis eximia puero pernicitas fuit, interque cervorum greges diu montes saltusque haud inferior velocitate peragravit. Ad postremum laqueo captus, Regi datus dono est. Tunc ad lineamentorum similitudinem, & ex notis corporis, quæ inustæ parvulo fuerant, nepos agnitus, admiratione deinde tot casuum periculorumque ab eodem successor regni destinatur. Huc referri possunt ea, quæ Solinus, si modo vera sunt, memoriæ tradidit de Lada quodam, qui tanta agilitate & velocitate præditus fuit, ut supra cavum pulverem cursitaret, & arenis pendentibus nulla indicia relinqueret vestigiorum. Item de Polymnestore Milesio puero, qui pastor ludicro leporem consecutus est. Eodem modo, ut misceamus sacra profanis, legimus in sacris

Regum lib. 2. c. 2. literis, Azaelem fratrem Joabi principis militiæ Regis Davidis tanta velocitare currendo valuisse, ut capreis æquipararetur. In Suidæ quoque historicis mira de quodam velocissimo homine legimus. Indacus, inquit, sub Leone Marciani successore floruit homo audacissimus, & pedibus valentissimus, læva manu robustior, celeritate præstans. Fuit enim Euchide & A[illegible], & Chrysomazo & Echione, & si quis alius celeritate pedum celebratur, velocior. In eundo conspiciebatur, & rursus evanescebat, fulguris instar, per præcipitia, non currenti magis quam volanti similis. Quam enim viam homo equis mutatis uno die conficere non poterat, eam hunc suis pedibus

absque

absq; dolore percurrere asserebant. Nam à castello Chereô uno die Antiochum perveniebat, & postridie in idem castellum revertebatur, ex eoque denuo, quietem non considerans, uno die Neapolim Isauriæ proficiscebatur. Sic recentiores peregrinatores memoriæ tradiderunt, in nuper repertis insulis, Americanos plerosque velocissimos esse, ita ut cervos aliasque feras in venatione non raro cursus celeritate assequantur. Inprimis autem Petrus *Oceana decad. 3. lib. 8.* Martyr Mediolanensis hac de re ita scribit: In ultima ad occidentem regione Guaccaiarima in regiuncula Zavana homines vivere ajunt, montium cavernis & sylvestribus fructibus contentos, qui nunquam mansueverint, neq; aliorum unquam commercio usi sint: sine certis sedibus, sine sationibus aut cultura ulla, ut legitur de aurea ætate. Hos certo ajunt idiomate carere. Cernuntur aliquando. Habuerunt ad manus neminem. Si quando venientes ad conspectum hominum quemquam ad se moveri cognoverint, cervo celerius aufugiunt: Canibus ajunt Gallicis agiliores esse. Recenset autem ibi historiam, quomodo ex hoc genere hominum quidam puerum rapuerit, quem tamen in bivio incolumem reliquerit. Postremo mirum, si verum est, quod in additionibus ad Lamberti Schafnaburgensis de rebus gestis Germanorum librum, de puero quodam ita legitur: Anno M.D.XLIV. quidam puer in partibus Hassiæ est deprehensus: hic sicut postea cognitum est, & ipse retulit, quum trium esset annorum, à lupis est raptus; & mirabiliter educatus. Nam [illegible] usque prædam lupi pro cibo rapuerant, semper meliorem partem sumentes, & arbori circumjacentes ipsi ad vorandum tribuebant: tempore vero hyemis & frigoris foveam facientes, folia arborum & alias herbas imponentes puerum superponebant, & se circumponentes sic eum a frigore defendebant: ipsum etiam manibus & pedibus repere cogebant, & secum currere tam diu, quoad ex usu eorum velocitatem imitabatur, & [illegible] os faciebat. Hic deprehensus, lignis circumligatus erectus ire ad [illegible] in similitudinem cogebatur. Idem vero puer sæpius dicebat, se [illegible]o carius cum lupis, si in se esset, quam cum hominibus diligere con[illegible]. Puer iste in curiam Henrici principis Hassiæ pro spectaculo est al[illegible]. Hic etiam eodem anno contigit in Wederavia, in villa Echzel / ibi [illegible] puer XII. annorum, cum lupis erat in silva, quæ vulgo dicitur die [illegible] in venatione à nobilibus in hyberno tempore captus fuit. Hæc ex [illegible] incerti additionibus ascribere volui. Quis hanc disparem naturæ [illegible]onem non admirabitur? quam tamen diuturna consuetudo ita gratam effecit, ut infestissimis hominum generi belluis puer iste cohabitare maluerit, quam hominibus, qui ab humanitate dicuntur, & naturali instinctu congregari solent. Unde apparet vere dictum esse: Consuetudinem esse alteram naturam, interdum potiorem natura. Ejus enim tanta vis est, ut

nos ſæpe cogat res aliquas ſua ſponte duras & aſperas amare, atque in illis tractandis jucunde verſari. Cæterum homines à brutis nutritos eſſe rarum in hiſtoriis non eſt. Ferunt enim Cyrum Mandanæ filium, à cane enutritum fuiſſe: Telephum Aganes & Herculis filium ab equa: Sed & Alopes Priamique filium Alexandrum ſcribunt, ab urſa educatum eſſe: Ægiſthum vero Thieſtæ & Pelopiæ filium à capra, ſicut Ælianus hæc congeſſit.

Caput LXXVI.

Gladium non ſolum indicem juſtitiæ, & olim fuiſſe, & nunc eſſe, ſed etiam veram fortitudinem in prœliis eo demonſtrari.

Lib. 12. c. 42.



N proximis Imperii comitiis Spirenſibus Anno [illegible] illuſtrem, generoſum, & heroem inſignē D. Lazarum [illegible] recenſentem audivi: Non ita pridem ortam eſſe [illegible] inter dedititios Chriſtianos, qui ſub jugo Turcico in provincia illa quæ Daciæ, vel ut hodie vocatur Tranſſil[illegible] ſide Themiſuarenſi (quem vulgo Baſſam vel Vaſſum nomin[illegible] Caroli Magni temporibus, ut in ejus conſtitutionibus videre l[illegible] contermina eſt, vivere coguntur, de ſtatuis & imaginibus in [illegible] enim illi Chriſtiani, partim pontificiæ, partim reformatæ relig[illegible] Unde ut illi, præſertim vulgus, imaginibus & ſtatuis divinum nom[illegible] cultum attribuunt: ita hi eas, velut res idololatricas, manda[illegible] hibitas, in templis abominantur: Quum igitur in uno eodemq; [illegible]tis anguſto ad preces & ſacra ſua illis convenire conceſſum à præſid[illegible]cico eſſet, & una pars propter retinendas, altera propter abji[illegible] nes ex templo, in conventibus & privatim acriter inter ſe contenderent, ut parum abfuerit, quin à jurgiis, ad manus & arma deventum eſſ[illegible] vel Baſſa iſte Themiſuarenſis audita re, utroſque ad ſe vocari juſſit, & diſceptatione eorum cognita, mox è templo omnes imagines & ſtatuas, [illegible] utrorumq; eſſet conditio (licet alioquin Turcæ ſtatuas mirifice abominentur, ſicut in ipſorum delubris, quæ ab eis Moſchea vocantur, apparet, & ob eam rem Chriſtianos velut idololatras derideant, quemadmodum Busbequius teſtatur) ejici juſſit: poſtea utriq; parti certum locū in vacuo deſignavit, in quo

In itinerario Conſtātinopolitano & Amaſeno.

in quo ſua ſacra ſeorſum & pacate, certis limitibus incluſa peragere poſ-
ſent. Ut autem ſcirent qualis pœna illos maneret, ſi ſecus facerent, ante o-
ſtium templi juſſit appendi Acinacem, vel gladium incurvum Turcicum
evaginatum, quo ſignificare voluit, ultorem gladium ſtrictum & pœnam
capitis, in turbatores pacis, & tranquillitatis conſtitutam eſſe. Hac ratione
metu pœnæ ita illos compeſcuit, ut deinceps neutra pars, neque ſeſe com-
movere, neque alteram verbis factove ob ſtatuas offendere auſa fuerit. Etſi
autem hoc factum quibusdam nimis rigoroſum, & barbarum videri po-
teſt: tamen à Romanis quoque olim gladius ad deterrendos ſeditioſos &
ſceleratos, publice propoſitus fuit. Ut enim ſecundum Feſtum, apud eos
inſigne imperii & armorum haſta fuit: (Proconſules enim de civilibus
provincialium cauſis cognoſcentes, pro tribunali haſtam erigebant) ita in
facinoroſos homines animadvertentibus illis gladius ſemper in conſpectu
erat, ſicut erudite admodum illud tradit Jacobus Revardi, ubi hoc ex Cy-
priano confirmat, is enim ita ſcribit: Sævit invicem diſcordantium rabies *De divers. regulis juris lib. 2.*
& inter togas, pace rupta, forum litibus mugit inſanum: haſta illic & gla-
dius, & carnifex præſto eſt. Huc pertinet quod Dio de Trajano ſcribit. Nam
quum præfectum prætorio, quem creaverat, circumdaturus eſſet enſe, nu-
dum cum illi porrexit. Cape hunc dixit, & ſiquidem bene imperavero,
pro me hoc utere: ſin male, adverſus me. Hoc etiam attigit Plinius, ubi
eum ita commendat. Nulla in audiendo difficultas, nulla in reſpondendo
mora: adeunt, ſtatimque dimittuntur. Trajano quoque attribuit Aurelius
Victor, tres inſignes virtutes; Sanctitatem domi: Fortitudinem in bellis & *In Paneg. vel Trajano.*
armis. Juſtitiam & prudentiam utrobique. Sic videmus gladium evagina-
tum, quod in ſolennitatibus Imperatori & Regibus præfertur, indicare
juſtitiam, ut terror ſontibus incutiatur, & inſontes ſciant, ſe ſub protectio- *Lib. 2. c. 6.*
ne [illegible] magiſtratus ab injuria & vi tutos eſſe. Hoc quoque olim apud
Maſſilienſes uſitatum fuiſſe, teſtatur Valerius Maxim. Cæterum, inquit, à
condita urbe gladius eſt ibi, quo noxii jugulantur, rubigine quidem exeſus,
& vix ſufficiens miniſterio, ſed index in minimis quoque rebus omnia an-
tiquæ conſuetudinis momenta ſervanda, &c. Moribus quoque noſtris re-
ceptum eſt, quando equites, qui Aurati vulgo vocantur, a Cæſare vel Regi-
bus creari ſolent, ut gladius evaginatus illis tradatur, eorumque humeri
leviter eo perſtringantur, cum commonefactione ut juſtitiam foveant, vi-
duas, pupillos aliasque miſerabiles perſonas à vi injuriave defendant. Recte
itaque Hartmannus Hartmanni ab Eppingen, in dedicatoria ſua epiſtola,
quam præfixit practicis Obſervat. Camerar. refert, priſcos Poetas, qui et-
iam Theologi ſunt habiti, quum principes officii admonere vellent, Jo-
vem medium inter Themin & Cratos, in ſtellato ſolio, miro ſplendore

 qua-

quaqua verſum coruſcante ſedentem, finxiſſe, cujus juſſu aquila, quæ Jovis armigera & geſtatrix fulminis dicitur, ſceptrum flammas undique evomens principibus in manus porrigat: Themi quæ juſtitiæ, legis & pacis mater habita eſt, enſem: τῷ κράτει quæ Latine potentia eſt, diadema aureum Regib. largiente: hoc in volucre ſignificare volentes, dum ſceptrum ab aquila Jovis juſſu tribuitur, imperium non niſi à Deo dari: & ideo à Themi gladium porrigi, ut princeps nihil agat præter id, quod fas & jura permittũt: a potentia vero coronam exhiberi, ne coronas, id eſt, civitates quæ turriũ ac mœnium figuram habent, vi atq; armis opprimat, ſed legibus & humanitate conſervet. Idipſum Poliphilus ſuis hieroglyphicis figuris demonſtrare voluit, ubi in circulo trutinam pingit, quæ à gladio, cujus mucronem corona circundat, dependet cum tali ſubſcriptione: JUSTITIA RECTA AMICITIA ET ODIO EVAGINATA ET NUDA ET PONDERATA LIBERALITAS REGNUM FIRMITER SERVAT. Eſt etiam ibi depicta arca, veluti repleta auro, quæ capulus gladii nititur, & ab una parte anguis, ab altera canis. Eodem modo patet olim noſtram gentem juſtitiæ obſervantiſſimam, ideoq; frequenter gladio erga ſontes uſam fuiſſe. Immo adhuc, ut fertur, in quadã Imperii urbe extat gladius rubigine propemodum, non ſecus ac Maſſilienſis, exeſus, quo olim coactus fuit is, qui poſtremo in Senatum eorum aſſumptus fuerat, ſupplicium de ſontib. ſumere. Neq; illi hoc ignominioſum, ſed potius honorificum, utpote factum ad tuendum juſtitiam, fuit. Huc referri poteſt, quod in quibusdam locis Franciæ Orientalis longiſſima conſuetudine receptum eſt, ſicut Ge[illegible]coſus Comes Conradus Caſtelli, locum in ſua ditione ex arce editiſſima [illegible]monſtrans, mihi retulit, ut is, qui in illo pago, ubi furtum commiſſum [illegible]perrime uxorem duxit, furi in flagranti crimine deprehenſo l[illegible]nnectat, poſt omnes ejus loci viri, quando novus ille maritus, ſignum [illegible] peculiare dat, inprimis autem quatuor Sculteti, qui propter diverſas ju[illegible]nes ibi jus dicunt, illi adjutores eſſe ſolent, ut fur de annoſa & [illegible] extantibus ramis quercu, ad hanc rem ſuperioribus ſæculis delecta, ſuſ[illegible]tur, & hoc ipſorum vernacula lingua Hutten / arbor autem Knüpffe[illegible] vulgo vocatur. Sic Maximilianum I. hujus nominis Cæſarem ferunt loca deſtinata ad ſupplicia ſontium, venerabundũ cum hac voce, SALVE JUST[illegible], præterire ſolitum. Legimus quoque in genealogiis Comitum Flandriæ, quæ nuper cum exquiſitis iconibus, opera Petri Bald. ſatis in lucem prodierunt: Balduinum XII. Comitem, tam ſeverum in puniendis criminibus fuiſſe, ut à ſecuri, qua de ſontibus ſupplicium tunc temporibus ſumebatur, cognominatus ſit, ideoque cum ſecuri, veluti peculiari nota, ibi depingitur. Hic undecim equeſtri dignitate viris, eo quod tres mercatores ſpoliaſſent, eosque interfeciſſent, in palatium ſuum vocatis, & in tabulam collocatis,

In Hypnerotomachia.

locatis, laqueos ſingulis injici juſſit: poſt propriis manibus ſubtracta tabula illis gulam fregit. Hinc apparet, quam tenaces, nonnunquam etiam rigidi absque legitimo juris ordine in puniendis delictis præter dignitatem quidã olim fuerint. Hac autem in re facile peccatur, ſi jus æquitate non temperatur. Ita enim dicit regula juris: In omnibus quidem, maxime tamen in jure æquitas ſpectanda eſt. Igitur quale obſecro jus, vel lex municipalis olim apud Moravos fuit? cujus mentionem facit Dubravius; ita ut recte dicatur à veteribus, SUMMUM IUS SUMMA CRUX. Ut autem res apertius cognoſcatur, verba Dubravii aſcribam. Uladislaus, inquit, in Hungariam revertens, aliquantum in Moravia ſubſtitit, Olomuciumque ingreſſus cognitioni novæ ac vix auditæ præſedit. Civis Uratislavienſis honeſto domi loco natus, copiiſque rei familiaris locuples, & ut exiſtimabatur, inter primos habitus, negotii ſui cujusdam gratia in Poloniam profectus, divertit in oppidum quoddam ad domum meritoriam. Ibi caupô quingentos hoſpiti aureos clam ſubducit, accuſatusque furti, crimen metu tormentorum fatetur, reddere ablatum paratus, nec aliud quicquam hoſpes petebat. Cæterum Judex & Decuriones oppidi inſtare, ut legibus illorum ſatisfiat, quæ ſanciant ut accuſator furti, ſuis manibus furem in furca ſuſpendat; aut ſi ad manus carnificem ſuum non habeat, ipſe à fure ſuſpendatur, ſi fur id exequi voluerit, quod ille promptiſſime ſe facturum recepit. His verbis exanimatus metu hoſpes, ignominiam, infamiamque ſupplex deprecatur, donatque gratuito Judicibus totam illam ſummam ſibi ereptam, modo abire incolumi inde liceat. Negant illi fas eſſe legum cuſtodibus, contra leges quicquam agere. Quid multa? quando nihil æqui impetrat, facere quam pati, quod neceſſitas jubebat, maluit, continuoque Cracoviam ad Regem Poloniæ perrexit, cui legis hujus barbaræ non ſolum teſtem ſe exhibuit, ſed literis præterea ſuis regiis ab omni infamia illum purgavit, quas Uladislaus quoque Rex ſuo diplomate confirmavit, addita mulcta, ſi quis factum illud illi opprobrare auderet. Hactenus ille. Rectiſſimo itaque & prudentiſſ. conſilio ejusmodi abſurdæ & iniquiſſimæ leges & ſtatuta vel correcta, vel penitus ſublata ſunt in Conſtit. Imperat. pœnalib. Ad quod fortaſſe præbuere occaſionem verba Juſtin. Imper. ubi dicit: Neque conſuetudines nominare liceat aut quærere, quas forſitan aliqui prædictorum in proprium lucrum injuſte adinvenerunt. Malæ enim adinventa, malæque conſuetudines neque ex longo tempore, neque ex longa conſuetudine confirmantur. Licet plerunque accidat, ut ea quæ noſtris majoribus fuere inconſueta, etſi honeſta ſunt, perinde odio habeamus, ac ſi prava eſſent, ſicut Cornelius Tacitus innuit. Sed meditationem noſtram abſolvamus. Sane, apud Alanos gladius tam religioſa res fuit, ut eam tanquam numen venerati ſint. Ita ſcribit Ammian.

In hiſt. Bohem. libr 32.

Cap. 218.

In Authent. ut nulli judicum l. ea.

Lib. 1. annal.

Justin. histo. lib. 43.
In hieroglyphic. lib. 42.
In historia deorum syntagmate. 1.
Cap. 81.
In Chronographia.
Cap. 82.

Marcellin. Nec templum apud eos visitur, aut delubrum; ne tugurium quidem culmo tectum cerni usquam potest: sed gladius barbarico ritu humi figitur nudus, eumque ut Martem regionum, quas circumeunt, præsulem verecundius colunt. Sic ab origine rerum veteres gentiles pro diis immortalibus hastas coluere, ob cujus religionis memoriam, adhuc deorum simulacris hastæ adduntur. Hujus rei quoque meminit Pierius. Fuerunt autem deæ, quibus hastæ dicarentur, affigerenturque, Materæ ab antiquis vocatæ. Nam Materes Gallorum tela fuere, ut Lilius Gyraldus notat. Memorabile & laudabile certe est: quemadmodum olim, ita & nostra ætate, viros militares & strenuos, gladiis inprimis contra hostes pugnando usos fuisse, parumque honestum & fortibus indignum putasse, aliis telis, exceptis hastis in primo concursu, uti. Ideoq; diligentissime curarunt, ut gladios egregios, & singulari arte & materia exquisite fabricatos haberent, quibus heroës, quemadmodum etiam suis equis generosioribus peculiaria nomina indiderunt. Sicut de Rolando duce fortissimo, Caroli Magni sororis filio (cujus infra prolixior mentio fiet) legimus, qui tam eximia temperatura gladium Durindanum, vel Durandalum, fortasse dictum à duritie, habuisse fertur, ut quum cæsis suis copiis, antequam ipse labore & siti conficeretur, in durissimis cautibus, ne hostes eo potirentur illum frangere magnis viribus conatus fuisset; nisi illæ potius ipsius aciei cesserint, quam gladius fractus sit, sicut Gyraldus refert, diciturque hunc gladium jussu Caroli Magni, in civitate Blaiensi ad Garronam, in monasterio S. Romani ad Rolandi sepulchrum una cum ejus cornu appensum fuisse. Arturus Britonum Rex, qui vixit Anno CCCCLXX. gladium habuit Caleburnum & lanceam Ronam, quo gladio uno prælio occidit quadringentos & septuaginta ex hostibus, si vera sunt, quæ Sigebertus Gemblacensis memoriæ tradidit. Sic ensis Alexandri Magni mira tinctura ac levitate, ex dono Regis Citieorum laudatur à Plutarcho in ejus vita, ubi dicit, solitum eum fuisse in pugna plerunque rem gladio gerere. Georgii quoque Castrioti Epirotæ viri fortissimi facta infra attingemus, cujus gladium, quo in præliis uteretur, Mahometes Turcorum Imper. & ipsius hostis acerrimus videre cupiit. Hunc quum Castriotus (qui à Turcis Ischenderbeg, id est dominus Alexander, vocatur; unde vulgo Schanderbegus appellatur) ad eum, accepta cautione Constantinopolim misisset; nemo tanti roboris in Turcica aula repertus fuisse dicitur, qui eo commode & perite uti potuerit, ita ut Mahometes remisso eo, veluti ad terrorem suppositio gladio hostili animo & arte delusum esse renunciare jusserit. Cui Schanderbegus rescripsit, se bona fide & absque fuco dolove misisse acinacem suum, quo in præliis valide strenueque uteretur: verum manum & brachium suum quo medios Turcos

pro-

proscindere, transversos dividere, integrosq; artus detruncare soleret, non misisse, sed sibi retinuisse. Idipsum se mox re ipsa ostensurum. Quod & perfecit. Laudatur itaque non sine caussa Turcicus miles, qui hodie gladium suum leviter incurvum (qui illis Kilitz, Arabibus vero Seife dicitur: hi acinaces nobis sunt, quos Xenophon & alii Græci historici Persis tribuunt, è quorum regione Turcos in Asiam venisse constat, eosdemque copides ἀπὸ τοῦ κόπτειν à cædendo, quod cæsim, non punctim feriant nominant, teste Leunclavio nostro) tam magni facit, maximo pretio eos comparare, diligentissimeque asservare, neque permittere, ut ii ad exteros venales exportentur, soleat. Nam gladiis vera fortitudo in præliis, non sagittis vel globulis ex tormentis missis, à viris magnanimis demonstratur. Recte itaque Monachus, qui primo Bombardarum usum invenit, ab Aristo in suo Orlando furioso, ingeniose & graviter exagitatur, quod autor fuerit, ut vera virtus bellica corrupta, & fere sublata sit. Hinc videmus Romanos in præliis semper majorem fiduciam in gladiis, quam aliis telis, posuisse, hocq; modo maximas victorias consecutos fuisse. Quo respexit Livius dicēs: Ventum est ad gladios, ubi Mars acerrime furit. Et apud eundem, nec non & Plutarchum, non uno in loco, Imperatorum, moræ impatientium, monitiones & increpationes ad milites suos factæ leguntur, ut omissis pilis, gladiis suis contra hostes in conflictibus rem gerere festinarent, & hac ratione victoriam citius adipiscerentur. Ob hanc rem Claudius Marcellus, ut idem Plutarchus refert, quum esset admodum in rebus gerendis strenuus & ferox vir, & *manu promptus* & talis natura, quales belli studiosos, & agerochos *sua lingua, hoc est*, gloriæ bellicæ nimis quam cupidos, Homerus nominat, *Gladii* nomen à Romanis sortitus est. Econtra Fabio Maximo, quod istius & lentis consiliis niteretur Annibalemque sensim, veluti amnis sine strepitu allabens, continenterque lambens, subrueret, atque absumeret, præliisque defatigaret, Scuti nomen tribuerunt, præstantius hoc quam illud censentes, prior enim sui tegendi, quam hostis lædendi cura habenda est. Quocirca conditores legum apud Græcos non eum qui gladium aut lanceam, sed qui clypeum amisisset, puniebant.

Caput. LXXVII.

Clamorem militarem in prælíis magnam efficaciam ad terrendos hoſtes habere.

SÆpius audivi ab iis, qui præſentes fuerunt in conflictu cum Turcis, eos non ſolum in præliis uti tympanis aliisque clangoribus ad animandos milites inventis, quos ſua lingua Neubet, vocant, verum etiam horribili & truci ululatu, utpote Alla egbir, Tegbir: Alla, Alla, allahu Brebreberi. Nec non & Tzaccatzuc, heia hui, Item, Gaur, gaur, vur, vur: vel etiã dabra, dabrahu, ingeminantes & hoc modo hoſtes, præſertim in velitationibus, adoriri ſolere, ita ut inſuetis facile terrorem incutiant. Etſi autem nonnullis audacioribus hic mos Turcicus inanis eſſe videtur, exiſtimantque iſtos clamores bellicos ex timiditate quadam proficiſci, ſiquidem teſte Solino polyhiſt. timor vocis eſt incitamentum, quam non ſolum acuit, ſed etiam ſi nunquam fuerit, extorquet, unde etiam proverbium, quod Bactrianis peculiare olim fuit, ortum eſſe opinor, Canes timidiuſculos plus latrare, quam mordere, cum præſertim vera fortitudo in animi magnitudine & dextris conſiſtat. Hoc etiam quidam Regulus Mauritanus, pugnaturus cum Luſitanis, animadvertit. Ita enim inſtructa acie compellat ſuos milites. Non clamoribus, ſed viribus eſt agendum: Non ſunt hi homines, qui vocibus exterreri ſoleant: In virtute, non in ululatibus eſt ſpes victoriæ collocanda, Cupio nunc non eos, qui voces inanes fundant, ſed qui hoſtem feriant, aſpicere. Conſtat tamen ex hiſtoriis clamorem militarem Romanis & aliis bellicoſis nationibus, ſicut Iſraelitis quoque; ut nos docent ſacræ literæ, ante prælium, & in ipſo conflictu fuiſſe olim, & nunc quoque eſſe uſitatum. Idque non ignorant Indi occidentales, qui intêr ſe continenter bella gerunt, captosque mactant & devorant. Sic enim Lerius (qui ſpectator fuit conflictus in Braſilia Tovoupinam baultiorum, confœderatorum Gallorum, cum Margaiatibus Luſitanorum amicis) de illis ſcribit: Quum primum illi hoſtes conſpexere, in tantos, tamque editos ululatus proruperunt, ut qui lupos hic venantur, cum illis ululatibus comparandos minime edant. Clamor vero aerem adeo feriebat, ut tonitru vix exaudiri tum potuiſſet. Accedentes vero propius clamores ingeminabant, cornu-

Q. Curt. l. 7. de reb. geſtis Alex. Magni Hieron. Oſorius lib. 8. de reb. Africis & Indicis. Ioſua. cap. 6.

bus

bus concrepabant, fistulis denique canebant, minas alii in alios intentabant, ossaque mortuorum hostium ostentabant, &c. Et paulo post. Hæc gens adeo fera est & truculenta, ut tantisper, dum virium vel tantillum restat, continuo dimicent, fugamque nunquam capessant, &c. Eodem modo silvestrium Hibernorum animos, sicut Camdenus recenset, ridicula opinio pervasit, & etiam persuasit, illum qui in militari illo barritu, sive clamore, quo in congressu magna vocis contentione utuntur, reliquorum clamori non respondeat, subitò à terra arripi & quasi volantem in desertas valles deferri, (hæc regio Kerri, ad Sinei ostium aviis & silvestribus montibus edita, quibus crebræ intersunt valles cavæ, nemoribus etiam condensæ) ibi gramine esci, aquam lambere, nec malè nec benè esse sibi sentire, rationis non orationis usum tenere, à venantibus demum ministerio canum capi, & domos suas deduci. Et paulo post de iisdem silvestribus Hibernis: in bello pro tuba tibia utricularis in usu est, ligaturas portant, preculas recitant, & in congressu PHARRHO quam acerrimè clamant (barritum illum militarem existimo, de quo Ammianus) cum hac persuasione, qui reliquorum clamori non respondeat, ei hoc accidere, ut arripiatur subito à terra, feratur quasi volans, semper postea hominum conspectum fugiens in vallem quandam Kerrie. Sed has barbarorum superstitiosas ineptias omittamus, & audiamus Tacitum de moribus Germanorum, qui paulò post principium ita de iis scribit: Ituri in prælia canunt. Sunt illis hæc quoque carmina, quorum relatu, quem Barditum (ita enim doctiores non barritum qui elephanti propriè attribuitur) vocant, accendunt animos, futuræque pugnæ fortunam ipso cantu augurantur. Terrent enim trepidantve, prout sonuit acies. Nec tam vocis ille, quam virtutis concentus videtur. Affectatur præcipuè asperitas soni & fractum murmur objectis ad os scutis, quo plenior & gravior vox repercussu intumescat. Cato sanè senior, quando docebat juvenes intrepidè pugnare, sæpe numero dicere solebat, Verba plus quam gladium, & voces plus quam manum hostes in fugam vertere, attonitosque reddere. Talem militem Catonianum fuisse M. Coriolanum Plutarchus scribit, videlicet non manu tantum promptum, ictuque timendum, sed & vocis sono & aspectu hosti terribilem. Quare idem Cato dicebat, sibi invisum esse militem qui ambulans moveret manus, pugnans moveret pedes, clariusque sterteret, quam inclamaret. Huc respexit Julius Cæsar in suis commentariis: Est, inquit, quædam animi incitatio, atque alacritas naturalis innata omnibus, quæ pugnæ studio incenditur, hanc non reprimere, sed augere Imperatores debent. Neque frustra antiquitus institutum est, ut signa undique concinerent, clamoremque universi tollerent, quibus & hostes terreri, & suos incitari existimaverunt. Macedones quoque & Per-

In Hiberniæ descriptione.

In vita Coriolani.

ſas clamoribus prælium inchoare ſolitos, patet ex iis, qui res geſtas Alexandri Magni memoriæ tradiderunt, inter quos Q. Curtius (quem doctiſ- *Lib. 3.* terſum & diligentem hiſtoricum nominare ſolent) ita ſcribit: Jam in conſpectu, ſed extra teli jactum, utraque acies erat, quum priores Perſæ inconditum & trucem ſuſtulere clamorem. Redditur & à Macedonibus major, exercitus impar numero, ſed jugis montium vaſtiſque ſaltibus repercuſſus, quippe ſemper circumjecta nemora petræque, quantumcunque accepere vocem multiplicato ſono referunt. Experientia igitur docuit, quemadmodum viſus, teſte Ariſtotele, longè celerior auditu eſt, ſiquidem, ut in libro de Mundo dicit, quod oculis percipitur, ei quod auribus objectum eſt, antevertere natura comparatum eſt: quippe illo longinquo aſpectabili, hoc tum demum exaudibili, quum auribus appulſum ſit: Unde M. Terent. Varro libr. 4. de lingua Latina dicit: Quinque ſenſuum maximus eſt in oculis: Nam cum ſenſus nullus quod abeſt mille paſſus ſentire poſſit, oculorum ſenſus viſuſque ad ſtellas pervenit. Ita conſtat ex omnibus ſenſibus auditum maximè conturbare animum, & circa eam paſſiones excitare, in primis autem intellectum terrere cogitandique facultatem excutere. *In hiſtoricis.* Hoc non ignorarunt Abari, qui teſte Suida ſtatuerant in belli motu ſonitum excitare confuſum & agreſtem, unaque cum fremitu bellico pulſare tympana, ut tantus tumultus exiſteret, quo percellerent & terrerent Romanos. Quod Dux præcognitum militibus indicavit, ne re ſubita conſternerentur: ſed id quod futurum erat, animis ſibi repræſentantes & opinione, aſſueſcerent per id quod nondum aderat ei quod futurum erat: eoſque juſſit pulſatione [illegible] rum audita viciſſim ſcuta concutere, & bellicum clamorem tollere, & Pæana canere, & ligneas ſitulas collidere. Secus autem accidit in memorabili illa expeditione & clade contra Parthos, in qua M. Craſſus cum filio Publico, optimo & Ciceronis amantiſſimo adoleſcente, atque cum univerſo ferè exercitu fraude hoſtium occubuit. *In vita M. Craſſi.* Nam Plutarchus ita ſcriptum reliquit: Poſtquam prope hoſtem perventum eſt, datumque à duce ſignum, illico gravi ſonitu, terribilique fremitu tota remigii phalanx cies. Non enim cornibus, aut tubis Parthi prælium accendunt, ſed pelles cavo aheno inductas malleis undequaque pulſant: hæc tympana ſic perculſa raucum murmur ſonumque terrificum edunt, quaſi fremitu feræ alicujus & tonitru permiſto. Eo tum ſonitu perturbatis Romanis, ſubitò Parthi, &c. Non diſſimilia inſtrumenta bellica apud Indos quoque uſitata fuiſſe legimus. Etenim ea in aere ſuſpenſa ſcuticis diverberabant, unde horrendus quidam ſonitus emittebatur. Conficiebant autem ea ex trunco abietis cavato, orichalci tintinnabulum in eo collocantes, & taurino corio circum-

circumagentes: hoc in pugnas elatum ferebant. Quum verò strepitum maximum excitare, aut signo aliquid significare volebant, convertentes ad os ligneum vas concutiebant: at quæ in eo erant tintinnabula multa & magna in arca resonantia, intus obscurum quendam sonitum faciebant, quem mugitu non dissimilem hujus rei ignari difficile poterant discernere instrumentum, an belluæ rugitus esset. Huc spectat Henrici Percii Comitis Northumbriæ limitis Orientalis Angliæ præfecti clades notabilis, sicut à Buchanano refertur: Is enim quum in Scotiam cum septem millibus hominum ex improviso irruisset, à rusticis & pastoribus crepitaculis, quibus [illegible] & pecora absterrere solent, fugatus est. Ejus crepitaculi, inquit Buchananus, hæc forma est. In summo hastili satis longo, infixis costis [illegible], in semicirculum curvatis, super eas pellem circumtendunt, ad eam maximè formam, qua sunt laternæ quas vulgus Lutetiæ Fallotas appellat. Hæc lapillos paucos, sed durissimos indunt, quibus agitatis, cum ingenti sonitu feras à segetibus absterrent. Hoc genere crepitaculorum ingenti strepitu in eminentibus castris collibus edito, equi Anglorum perterriti, vincula rumpunt, ac passim per agros palantes in prædam agricolis cedunt, &c. Sed ut redeat unde digressa est oratio. Paulo post idem Plutarchus de Crasso tradit: illè sermone suos ad meliorem spem erigere conatus, paucorum vidit animos incensos. Quin & clamorem militarem tollere quum jussisset, mœstitiam eorum culpavit, quòd imbecillam, exiguam & inæqualem vociferationem edidissent. At barbarorum aspera & sonora exclamatio aures perstrepebat, &c. Ex his apparet, quantam vim, tam ad excitandos, quam ad perterrefaciendos animos hominum vox & clamor habeat, quæ vis clam ore immensæ multitudinis excitata [illegible] unita, efficacissima esse, & latissimè sese extendere, velutique telum [illegible] quæque magno cum impetu penetrare solet. Sicut ex eodem Plutarcho videre licet. Scriptum enim reliquit, in vita Pompeji, plebem [illegible] natione motam ita acclamasse, ut supervolans corvus attonitus in [illegible] decideri: eodem modo legimus apud Livium volucres ad terram delapsas clamore militum, quum tanta multitudo naves conscenderet, ut nemo mortalium aut in Italia, aut in Sicilia relinqui videretur. Si[illegible] historia extat apud Paulum Æmilium, quæ etiam à Petro Justiniano recensetur. Quum Tyrus inquit Æmilius, ab exercitu Christianorum obsideretur, sunt autores, columbam advolasse. Eam quum nostri usu docti tabellariam esse cognoscerent, clamorem tantum à terrestribus navalibusque copiis sublatum, ut ales tanquam turbine moti cœli acta, in terram delaberetur, demtam epistolam Barbarorum literis ad Tyrios exaratam: brevi auxilia occursura: bono animo essent: paucos dies obsidionem tolerarent;

Lib. 9. rerum Scoticarum.

Li. 19 dec. 2.

De reb. gestis Francorum in vita Lud. Crassi. lib. 5. In historia Veneta li. 2.

rarent. Noſtros contra alteram epiſtolam curaſſe ſcribendam manu linguaque eorum barbarorum, quos in fide habebant, quibuſdam etiam Latinorum longinquitate temporis commercioque mu tui per intervalla bellorum uſus, Barbarorum ſermonis non ignaris, volucremque cum ſubdititiis fallacibuſque literis remiſſam ; Sibi ex uſu præſenti obſeſſis conſulerent: virtutem eorum fidemque ſatis perſpectam: fortunam deeſſe, ſpem propinquam auxilii nullam oſtendi poſſe, interclusis ab hoſtibus itineribus. Dolo ceſſere Tyrii, &c. Similium columbarum aſſuefactarum ad afferendum in aere literas ſub alis corpori alligatas, frequens uſus fuit, in bello illo diuturno Hiſpanorum cum Belgis, cujus nondum finis apparet. Iiſque inprimis uſi ſunt Harlemenſes, quum diu fortiter hoſtium obſidionem perferrent.

In vita T. Quinctii Flamminii.

Non rarò autem hæ volantes tabellariæ, clamore militum, & boatu tormentorum, ex alto collapſæ & interceptæ ſunt, Unde manifeſtè noſcitur, quum vox magna, ut idem Plutarchus teſtatur, atque multa effertur, ea divulſum aerem volantes non ſuſtinere, facereque ut aves ita atque ſi in vacuo ſint loco, delabantur, niſi potius ictu tum quodam aëris aves veluti ſagitta transfixæ, deturbantur atque decidunt. Poteſt & ad aëris vorticem ſeu procellam referri, cum maris ille inſtar ob clamoris magnitudinem involvatur rurſumque cum impetu ſe explicet. Poſtremo notandum eſt, licet, ut paulo ante diximus, viſus nonnunquam celerior ſit, præſertim ſi nihil obſtat, quam auditus, tamen hunc interdum quam longiſſimè ſeſe extendere. Unde ut de tonitruis taceam, ſæpè numero accidit, ut tormentorum majorum bombi, duodecim vel quindecim milliarium Germanicorum, vel longiori intervallo audiantur, ſicut noſtra memoria in obſidione Lipſenſi & Magdeburgenſi, & deinceps in oppugnatione urbis Mediomatricum accidit.

Lib. 3. cap. 2. De occult. nat mirac.

Quare à veritate non abhorret, quod Lemnius ſcribit: in conflictu quodam inter Flandros & Batavos, fragorem, ſtrepitum, clamorem, vociferationem, ululatum pugnantium, plus quam trium milliarium ſpacio exauditum fuiſſe. Immo magis mirandum eſt, quod in proxima obſidione Melitenſi, fragor tormentorum tantus fuerit, ut in ipſa Sicilia per tantum locorum ſpatium exaudiretur. Uſi enim ſunt Turci ad evertenda propugnacula & mœnia Morlachis: tormenti id genus eſt: ex quibus globos lapideos trecentorum pondo, ex baſiliſcis verò globos ferreos centum ſexaginta pondo, ex canonibus octoginta emittebant, ductaque inde ratione amplius ſeptuaginta millia emiſſionum pro certo fuiſſe creduntur, ſicut Ubertus Folieta teſtatur.

De obſidione Melitenſi.

Sed propemodum fidem excedit, tormentorum fragorem uti exiſtimatur in ſummis montibus Tirolenſibus Anagninis ab incolis exauditum eſſe, quum Chriſtiana & Turcica claſſis ad Naupactum die VII. Menſ. Octob. cæſis hoſtibus circiter 25000. captis 4000. libe-

liberatis mancipiis Chriſtianis 14000. Anno Chriſti 1572. acerrime confligeret, & hæc ferè univerſa ab illa ſubmergeretur & vinceretur. Auditus enim eſt, quam diu prælium illud in mari duraret, fragor horrendus in aëre non ſecus ac tonitrua, magno cum pavore hominum, neſcientium quid ſereno cœlo accideret, quumque præfecto iſtius loci in convalle habitanti ſequenti die hoc indicaſſent & tonitrua fuiſſe exiſtimaſſent: notatum deinceps eſt, circa illud ipſum tempus id accidiſſe, quo pugna celebris illa navalis commiſſa eſt. Hæc niſi fide dignus vir mihi recenſuiſſet, propter diſtantiam locorum immenſam ſilentio potius preſſiſſem, quam huic capiti inſeruiſſem. Rationem autem addycit Lemnius: Nam inquit, in mari editus ſonus, aut excitatus fremitus, incredibili diſtantia percipitur, præſertim taciti ſilentique nocte. Cum enim nihil obſtet, vel nemora, vel montes, aut in cœlum erecti ſcopuli, clangor per æquoris planiciem, velut patentem atque undique exporrectum campum, longe lateque ſe diffundit, ac per aëra volvitur.

Caput LXXVIII.

Gloriam rei militaris præferendam prædæ hoſtili.



Ex hiſtoriis liquet, quod fortes & egregii Imperatores & duces militum, plerunque gloriam & celebre nomen pluris fecerint, quam opes, ſpolia & prædas hoſtiles, dummodo tempeſtivè illas colligerent, illaque contenti militibus ſuis has reliquerint. Ferunt enim, ut poſt alios hiſtoricos Plinius ſcriptum reliquit; M. Curium Dentatum, quum interverſæ pecuniæ argueretur, cadum ligneum, quo uti ad ſacrificia conſueverat, in medium protuliſſe, juraſſeque; ſe nihil amplius de præda hoſtili in domum ſuam convertiſſe: quum tamen antea in ſenatu ita dixiſſet: Tantum agri cepi, ut ſolitudo futura fuerit: niſi tantum hominum cepiſſem: tantum porro hominum cepi, ut fame perituri fuerint, niſi tantum agri cepiſſem. Hunc imitatus eſt L. Paulus Æmilius. Is enim quum Perſeo potentiſſimo rege Macedoniæ devicto, Macedonicis opibus veterem ac hæreditariam urbis paupertatem ſatiaſſet, penates autem ſuos nulla ex parte locupletiores feciſſet, præclarè ſecum actum exiſtimavit, quod de illa victoria alii pecuniam, ipſe patriæ ſalutem & gloriam ſibi paraſſet. Eadem de Catone perhibentur. Is enim cum Hiſpaniam citeriorem,

De vir. illuſtrib. c. 33.

Valer. Max. lib. 4. cap. 3.

riorem, & in hac quadringentas urbes cepiſſet, de præda, quæ fuit ingens, ad ſe nihil rediiſſe affirmavit, niſi quæ ederit & biberit. Neque enim, inquit apud Plutarchum, culpo eos, qui bello rem facere ſtudent: ipſe cum optimis de virtute, quam de pecunia cum ditiſſimis, aut avaritia cum avariſſimis contendere malo. Sic ajunt Themiſtoclem, quum aliquando poſt victoriam, ad mare viſendi cadavera gratia acceſſiſſet, ac torques, armillaſque paſſim disjectas videret; ipſum quidem præteriiſſe, ſed amico qui ſequebatur dixiſſe: Collige tu tibi, nam tu Themiſtocles non es. Non ignoravit etenim prudentiſſimus vir, gloriam à parvis rebus, & vilibus partam ignobilem eſſe, & non magnifaciendam. Quin etiam ob hanc rem Ammianus Marcellinus Julianum Imp. celebrat. *Lib. 24.* Diviſa, inquit, perpenſis meritis, & laboribus præda, ipſe ut erat parvo contentus, mutum puerum oblatum ſibi ſuſcepit geſticularium, multa quæ callebat nutibus venuſtiſſime explicantem, & tribus aureis nummis partæ victoriæ præmium jucundum, exiſtimabat & gratum. Eodem modo, ut ad exempla recentiora perveniamus, apparet ex oratione Tamberlanis Tartarorum Principis potentiſſimi, quam ad captum Bajazetem Turcorum tyrannum habuit (ea autem eſt adjuncta Imperat. Manuelis præceptis ad Johannem filium, nuper opera Leunclavii noſtri editis) eum tam barbarum non fuiſſe, quin magis gloriam quam ſpolia ſectatus ſit, cum præſertim Juſtinus hiſtoricus de Scythis ſcribat, eos victores præter gloriam nihil concupiſcere. Ita enim captivum *Lib. 2.* ſuum muliebriter adverſam ſortem deplorantem, inter alia compellat. Valeat aurum, valeant univerſa ſpolia, magnæ divitiæ tuæ undecunque collectæ, quando abeſt gloria, quam equidem expetebam. Imitatus autem eſt *Plutarchus in vita Pauli Æmilii.* forſan Tamberlanes Paulum Æmilium; Quum enim Perſeus Rex captus coram eo in faciem concideret manibuſque genua Æmilii tangeret, voceſque & deprecationes homine ingenuo indignas proferret, eas ne audire quidem dignatus Æmilius triſti cum vultu in hæc verba compellavit: Quid o miſer, hæc agis, quibus crimine tuarum calamitatum fortunam liberas, & oſtendis non immerito tibi hæc accidiſſe, teque non præſenti, ſed priore conditione indignum fuiſſe? Quid victoriæ meæ laudem imminuis, demonſtrans te non alti animi virum, neque dignum fuiſſe, quem Romani adverſarium ſuum haberent? Virtus profecto hominis adverſa patientis etiam apud hoſtes magnam ſui verecundiam excitat: timiditatem, etiamſi fortunata ſit, Romani inhoneſtam cenſent, &c. Id etiam videre licet ex oratione Imp. Turcorum Solimani, quam capta Rhodo ad Philippum Valerium Magnum Magiſtrum habuit. Ita enim illum, poſtquam Babba, hoc eſt, patrem appellaſſet, licet ficte, allocutus eſt: MAGNA MIHI LÆTITIA EST, quod te Deus monuerit, ut aliquando pacem, quam bellum malles. Atque hoc utinam tibi

nobis à principio placuisset, profecto à summa potentissimaque majestate mea, ad hoc tempus, plura bona accepisses, quam mala perpessus es. Quæ quod nullo odio intulerim, sed sola dominandi libidine, vel hinc colligere potes, quod te tuosque inviolatis corporibus, intactis fortunis, hinc dimittam. Haud enim bella gero, ut divitias & opes comparem: sed ad gloriam, famam, immortalitatem, protelationem imperii tendo. Est enim Regis sanguine Regum orti proprium rapere atque invadere aliena, non quidem avaritia, sed gloriosa cupidine dominandi, cui quum obstat vicinus, armis & vi eum tollere satis habeo, &c. Verum omissis his & aliis historiis præ cæteris memorabilior illa visa est, quam M. Antonius Muretus in sua oratione, quam habuit ad Pium IV. Pontif. Roman. nomine Antonii Borbonii Regis Navarræ, recenset. Ea edita est Romæ, inter alias suas orationes, anno M.D.LXIV. ex qua hanc historiam propter orationis elegantiam, & alias res memorabiles, integram nostris meditationibus inserere, operæ precium existimavi, cum præsertim in manibus paucorum apud nos ea versetur. Memoriæ, inquit, proditum est Castellæ regnum in Hispania quondam à triginta barbarorum Regibus, duce atque Imperatore Smaragdo occupatum fuisse. Unde quum illi magnum Christianis terrorem injicerent, brevique se tota reliqua Hispania, quæ Christianorum erat, potituros esse confiderent: Sanctium Navarrorum Regem, collecto forti magis quam numeroso exercitu adversus eos profectum esse; quum prius pulcherrimum, clarissimumque jusjurandum jurasset, nunquam se ex eo bello, nisi parta victoria, reversurum. Excogitaverant barbari cum alia multa, ad prohibendas nostrorum incursiones aptissima, tum catenas quasdam ferreas, quibus ita vias omnes occluserant, ut equitatui, quo plurimum valebant nostri, omnis ademta spes faciendæ in hostem irruptionis videretur. Sed nihil virium habent adversus prudentiam subdola & astuta consilia: debiles sunt omnes adversus constantiam machinæ: imbecilla & inutilis adversus fortitudinem multitudo. Deo duce per medios hostes sibi & suis viam ferro faciens Sanctius, non prius destitit, quam barbaros fusos, fugatos, castris exutos, docuit, victoriam non in munitionibus, operibusque bellicis, sed in causæ bonitate positam esse: qui pro Christi nomine dimicarent, eorum impetum non posse, ne collatis quidem in unum aliorum omnium viribus, sustineri. Superatis igitur, & in potestatem redactis hostibus omnium nostrorum & imperatorum & militum incredibilis concursus ad Sanctium factus est: alius amplexari eum: alius ad genua accidere; alius fortem illam dextram barbarorum domitricem, Hispaniarum liberatricem, victoriæ confectricem exosculari: qui propter multitudinem propius accedere non poterant, vultu, oculis, manibus, corpore, quascunque poterant ani-

Iacobus Fontanus lib. 2. de bello Rhodio.

mi ſui ſignificationes dabant: una omnes voce, & bellatorem fortiſſimum & Imp. invictiſſimum conſalutabant. Inde quum de dividenda præda agi cœptum eſſet, quæ tanta erat, quantam triginta potentiſſ. Regum collatæ in unum locum opes coacervare potuerant, nemo erat in univerſo exercitu, qui non ita ſentiret, itaque prædicaret; Quantamcunque ſibi partem ex ea vel depoſceret, vel etiam ſuo jure ſumeret Sanctius, nunquam tantum ad eum perventurum eſſe, ut non multo plus ipſius virtuti præclariſque factis deberetur. Erat in caſtris barbarorum, auri, argenti, facti infectique permagna vis, gemmarum maximi precii admirabilis multitudo, multum tapetium, multum conchyliatæ veſtis, multum periſtromatum: ut eſt illa etiam in bellis luxurioſa gens, armorum omnis generis optimorum & exquiſitiſſimo artificio fabricatorum infinitus prope numerus: æqui præſtantes permulti, phalerarum, ephippiorum cæterorumque ornamentorum equeſtrium incredibilis copia, captivi longè plurimi, ex quibus ingens pecunia confici poſſet: quibus omnibus ex rebus Sanctium, & quantum vellet ſibi ipſi ſumeret ſummo omnes conſenſu obſecrabant. Ille alacri vultu, quum gratam ſibi illam eſſe exercitus voluntatem ſignificaſſet. Non me inquit, barbaricarum opum cupiditas, ut in hoc bellum ingrederer, aut in prima acie ſtans corpus meum telis hoſtium objicerem, induxit: Chriſtianæ mihi pietatis ardor, & hujus pulcherrimæ regionis ab injuſto immanium belluarum dominatu vindicandæ ſtudium, faces ad eam rem & ſtimulos ſubdiderunt. Nunc quum id quod volui, divino beneficio, & veſtra, milites, virtute conſecutus ſum, non committam, ut majori animo videar armatorum & ſtantium copias, quam inermium & jacentium ſpolia contempſiſſe. Ornamento iſta ſint primum immortalis Dei noſtri divorumque templis ac delubris, ut partim in ſacrariis repoſita, partim à tholis pendentia propagent in omne tempus memoriam noſtri, poſteroſque noſtros ad ſuſcipiendam ſemper magno animo religionis noſtræ defenſionem exſuſcitent: ditent cætera egenos & exhauſtos, pro ſuis quemque meritis, milites, ut quam juventutis ſuæ firmitatem in periculis & laboribus conſumſerint, habeant olim, quo ſenectutis infirmitatem in tranquillitate atque in ocio ſuſtentare poſſint. Ego quidem, quod ad me attinet, præter has catenas, quas ſpectantibus adjuvantibuſque vobis perfregi, atque perrupi, & præter illam gemmam, quam meis manibus dejectam illic jacentem videtis (hæc autem dicens, oſtendebat illis proſtratum, & in ſanguine ſuo involutum exanimem Smaragdum) nullam omninò mihi mercedem, nullum præmium aut poſtulo aut appeto. Ergo ad conſervandam tam nobilis victoriæ memoriam, ſimulque & incitandos ſucceſſorum ſuorum animos, & ipſe poſtea catenas pro inſignibus geſtavit, & inſtituit, ut iiſdem inſignibus cæteri poſt ſe Reges

ute-

[illegible]. Ac quoniam eo in prælio præcipuum, quem dixi, barbarorum doctorem Smaragdum ſua ipſe manu obtruncaverat, ejuſdem nominis gemmam medio illarum catenarum complexu voluit contineri. Quin etiam propter hanc aliasque ſimiles victorias, Regibus Navarræ honoris ergo tributum eſt, ut inungantur, coronentur, conſecrentur, &c. Recte itaque Bodinus ex ſententia Ariſtotelis Principem inſtituendum putat, ut ſolida veraque laude paſcatur, in eaque ſenſim adoleſcat, qui ſi gloria, inquit, non erit contentus, in tyrannum evadet. Quærens enim opes ac voluptates hinc ad rapinas & ſtupra convertetur. Id quod accidit Dionyſio juniori, quem pater in ocio ac delitijs ita educaverat, ut neque ex ergaſtulo in lucem prodiret, neque ullis omnino diſciplinis imbueretur, nec veræ laudis guſtum ullum haberet. Itaque cum adulatoribus pernicioſiſſimis tantiſper voluptatibus indulſit, dum ex [illegible] tyrannide, veluti ex carcere deturbaretur. Qui autem gloriæ cupidus erit, non modo infamiam ac vitæ turpitudinem fugiet, ſed etiam intelliget, verum decus in ſola virtutis actione verſari, qua quidem regat improbos, tueatur bonos, factaq; fortium & ſapientium laudibus ac præmijs, cum improborum ignominia ſempiterna, proſequatur. *In methodo hiſt. c. 6.*

CAPUT LXXIX.

De ſimplicitate & frugalitate veterum & noſtrorum militum.

Quemadmodum olim, quum militaris diſciplina & virtus apud Romanos (quæ tamen illis aliquanto antiquior fuit liberorum caritate, ut Paulus Juriſconſ. dicit) decreſceret, & degeneraret, quando ut Ammianus Marcellinus ait, non amplius ſaxum, ut ante hac armato cubile, ſed plumæ & flexiles lectuli & graviora gladijs pocula erant, etiam ipſorum imperium labefactatum, & externis hoſtibus prædæ fuit: ita quoque noſtro tempore accidit. Quum primum enim miles, ut idem Marcellinus refert, ferox in ſuos & rapax, ignavus vero in hoſtes & fractus eſſe cœpit, ut per ambitionem ociumque opibus partis auri & lapillorum varietates diſcerneret ſcientiſſime, contra quam recens memoria tradidit: tum priſtinus vigor & virtus evanuit, &c. Nam deeſt remedij locus, ubi quæ vitia fuerant, boni mores fiunt. Vel ut Taciti verbis utar, cum laſcivire miles cœpit, diſcordare, peſſimi cujusque ſermonibus præbere aures, deniq; luxum & ocium cupere, diſci- *L. poſtliminii, parag. filius. De captivis. Lib. 22.*

disciplinam & laborem aspernari. Eodem modo Juvenalis conqueritur:

Nullum crimen abest facinusque libidinis, ex quo
Paupertas Romana perit.

Recte itaque M. Cato apud Plutarchum laudatur, quod cum Quæstor Scipionis in bello Africano esset, cumque consueto luxu uti vidisset, pecuniamque in milites effuse largiri, id ferre nequiverit, non sumptibus factis potissimum se moveri dicens, sed quod abundantia rerum milites ad voluptatem & luxuriam converterentur, itaque frugalitas antiqua perderetur. Non potest enim studium salutare fieri, sine frugalitatis cura: frugalitas autem paupertas voluntaria est. Unde idem Scipio dicere solitus fuit: Jam pridem vera rerum vocabula amisimus, quia bona aliena largiri, liberalitas, malarum rerum audacia, fortitudo vocatur, eo respublica in extremo sita est, &c. At ubi miles contemptor opum & divitiarum, tantum virtuti suæ fidens, bella gereret, & adhuc disciplina (ut Charidemus apud Q. Curtium de exercitu Alexandri Magni dicit) paupertate magistra staret, fatigatis humus cubile esset; cibus, quem occuparant, satiaret; tempora somni arctiora quam noctis essent: nihil tunc impervium conspiciebatur. Hoc admonere voluit & Agesilaus, qui ut refertur ab Athenæo: quum ad Hellespontum barbaros bello premeret, & Asiaticos homines sumptuosis stolis excultos, sed imbelles & inutiles corporibus esse intueretur, captivos omnes jussit vestibus exutos ad præconem duci, qui venales prædicaret: indumenta vero seorsum vendi, ut socij & fœderati cognoscerent, præmiorum ampla spe adversus homines nihili bellum susceptum esse, ideoque animo promtiore & alacriore cum hostibus dimicarent. Hanc ob causam Pescennius Niger apud Spartianum jussit, ne in zonis miles ad bellum aureos vel argenteos nummos portaret, sed publice commendarent recepturi post prælia quod dederant, addens liberis eorum, & uxoribus, & hæredibus certe reddendum, qui venissent, ne ad hostes aliquid prædæ perveniret, si quid forte adversi fortuna fecisset. Hinc Vegetius divinitus institutum dicit, ut quum milites publica sustinerentur annona, ex donativo, quod consequebantur, pars dimidia ipsis servaretur, ne inutiliter sua absumerent, & depositi memores, signa non desererent. Domitianus tamen ultra mille nummos deponi noluit, quod L. Antonius, ut Sueto. dicit, apud duarum legionum hiberna res novas moliens, fiduciã cepisse etiam ex depositorum summa videbatur. Sic apud Lampridium Alexander Severus dicit: Miles non timet (vel ut quidam legunt, tumet) nisi vestitus, calceatus, armatus, & satur, & habens aliquid in zonula. Verissimum enim est, quod ad Ursinum Platina scriptum reliquit Romanam scilicet rempub. omnium florentiss. fuisse, quum

Lib. 4. cap. 4.

Lib. 2. cap.

De vera nobilitate.

[illegible]um cives paupertate gloriarentur. Siquidem eo tempore, teste Petrarcha, omnium gentium fuere victores: tum vero vinci cœpere dum divites facti sunt. Ita ad adventum divitiarum cessere victoriæ, ac virtutes, simulque opum comites delitiæ ac libidines subiere, ut non immerito scriptores quidam temporum illorum Romanæ paupertatis interitum questi sint. Etsi autem paupertas humanam vitam nonnunquam misere vexat, sæpeque pressos non audenda, audere cogit: tamen ejus commoda multiplicia late recensentur in Aristophanis comœdia, cui titulum fecit, Plutus. *Lib. 7.* Recte itaque Demaratus apud Herodot. ad Xerxem in expeditione contra Græcos ait: Græciam semper alumnam paupertatis fuisse, hospitem virtutis quam à sapientia asciverit, & à severa disciplina, quam usurpans & paupertatem tueatur & dominatum. Ejus etiam opinionis fuit Pertinax. Im. apud Julium Capitolinum, ubi inquit: Sanctius est inopem Remp. obtinere, quam ad divitiarum cumulum per discriminum atque dedecorum vestigia pervenire. Laudatur ergo non immerito M. Curius Dentatus. Is enim Samnitibus magnam vim auri offerentibus respondisse dicitur. Non egere se auro, quandiu cupiditatibus suis imperare posset. Hoc quoque Carolo Magno postquam Cæsar & Augustus appellatus fuit, curæ fuisse apparet ex ejus oratione, quam habuisse ad suos milites fertur, quum exercitum debellatis Saxonibus & Longobardis, cum quibus diuturnum bellum gesserat, dimitteret. Hanc autem quia memorabilis est integram inserere volui. Ite inquit, milites mei vos heroes vocabimini, socij Regum, judices criminum. Vivite, posthac laboris expertes, consulite regibus publico nomine, favete fœminis, juvate pupillos, consilio circundate principes, ab eis victum, vestitum, stipendium petite: Si quis negaverit, inglorius infamisque esto. Si quis injuriam vobis intulerit, reum se majestatis agnoscat. Vos autem cavete, ne tantum decus tantumque privilegium justo bellorum labore partum, aut ebrietatis, aut scurrilitatis, aut alio quovis vitio maculetis, ne quod largimur vobis ad gloriam, redundet ad pœnam, quam de vobis sumendam, si forsitan excesseritis, nobis & successoribus nostris Romanorum Regibus perpetuo reservamus. Hinc apparet, quod pulchrum quidem sit, vincere Reges, oppugnare regiones, castra & urbes: multo tamen pulchrius, proprijs affectibus imperare, omniumque admirabilissimum, quum is qui multos vicerit, seipsum demum vincat. Ea enim, ut Plato ait, omnium victoriarum est tum prima, tum optima, [illegible] *Lib. 1. de leg.* Hoc ipsum Juliani Flandri designare voluerunt, inscriptione sua in arcu triumphali, quum isthac transiret Philippus Rex Hispaniæ, sicut à Calveto in Itinerario suo describitur. Ea fuit talis, sub imagine Caroli V. Cæsaris:

Quis te victorem dicat, qui vinceris ipſe,
Invictus victo Cæſar ab hoſte tuo?
Si veniam victus petit hoſtis, protinus illi
Parcis, & erratite meminiſſe piget.
Non te hoſtis Cæſar, ſed te clementia vincit,
Et ratio cum ſit victor & ipſe tui.
Vincere laus ingens hoſtes, & parcere victis,
Gloria ſed ſeſe vincere major erit.

Ad hanc omnium pulcherrimam victoriam reſpexit Fridericus Cæſar, victis in Hungaria Guinzienſibus. Ita enim, teſte Ænea Sylvio, ſuos Germanos milites allocutus eſt Imp. Magnum actum eſt opus: nunc majus reſtat, ut vincamus nos ipſos atque avaritiæ & ulciſcendi cupiditati finem imponamus, &c. Hæc autem victoria ſuimetipſius abſq; frugalitate & contemptu opum obtineri nequit. De quo ſcribit Ammianus : Notum eſt ſub Maximiano Cæſare, vallo Regis Perſarum direpto, gregarium quendam poſt ſacculum Parthicum, in quo erant margaritæ, repertum, projectis imperitia gemmis abijſſe, pellis nitore ſolo contentum. Idem evenit noſtrorum patrum memoria; quum Carolus Dux Burgundiæ ad Granſonium ab Helvetijs magno prælio victus eſſet. Fugiente enim illo, ut refert Cominæus, victores ingentem prædam fecerunt: verum, quantas conſecuti eſſent opes, ignorabant. Tabernaculum inquit, quoddam illius longe pulcherrimum & exquiſitiſſimum partitum fuit ab eis in multa fruſta. Patinas argenteas nonnulli, quum ſtanneas eſſe putarent, viliſſimo precio vendebant. Adamantem ipſius toto orbe celeberrimum, cui erant appenſi aliquot uniones, quidam ubi reperiſſet, in pyxidem repoſuit : mox ſub currum abjecit : paulo poſt reverſus ſuſtulit, & ſacrifico cuidam vendidit aureo nummo. Is deinde à ſui oppidi magiſtratu, cui miſerat, accepit aureos duos. Breviter quicquid eximium habuit ille, in eorum manus totum pervenit, eaque primum occaſione quæ ſit vis auri, cœperunt cognoſcere, &c. Hæc gemma precioſiſſima, cum deinde à mangonibus gemmarum ejus præſtantia cognoſceretur, & propter immenſum precium diu nullum emtorem inveniret, tandem ad Turcos allata, & eorum Imperatori vendita eſſe dicitur, qui eam uti conſtans fama eſt in ornatum diadematis ſui tanquam peculiare monile tranſtulit, in eoque hodierno die in magnis feſtivitatibus oſtentatur. Idem Cominæus ſcribit, ſe vidiſſe torquem ejuſdem Caroli, illo ad Nanceium cruento prælio interfecto, valde precioſum & eleganter fabrefactum; quem collo geſtare & honorifice circumferre ſolitus fuerat, Mediolani, ubi duobus aureis venditus fuit : Tantam autem fuiſſe ante illud tempus tenuitatem & frugalitatem Helvetiorum legimus ibidem, ut qui ad Carolum Du-

Lib. 5. commentar.

cum Burgundiæ de pace missi legati & deprecatores, fuerant, (quod tamen mirum videtur) confessi sint, tantam esse ipsorum inopiam ut calcaria & equorum frena per ipsius exercitum pluris deberent æstimari, quam omnis ea pecunia, quæ ex ipsorum agris cogi posset. Recte itaque potuissent Helvetij Pausaniam imitari, & post victoriam de præda Burgundiaca parta sentire sicut ille, quem opes & luxum Persarum, victo Mardonio, irrisisse scribit Herodotus. Ferunt, inquit, Xerxem, dum è Græcia fugit omnem apparatum suum ex auro, argentoque & peripetasmatis Mardonio reliquisse, & Pausaniam, dum eum apparatum vidit jussisse pistores & coquos cœnam sibi uti Mardonio instruerent. Quod quum illi fecissent, tum Pausaniam lectos intuentem aureos argenteosque probe instratos, mensas etiam aureas, ac argenteas, magnificum cœnæ apparatum, propositis bonis stupefactum imperasse per jocum suis ministris, ut Laconicam instruerent cœnam, id quum illi fecissent, ibi eundem cachinnantem accersisse Græcorum duces eisque ubi convenerant, inter ostendendum utriusque cœnæ apparatum dixisse: Viri Græci, hac ego vos de caussa convocavi, quod volebam vobis amentiam Medorum ducis ostendere, qui dum talem vitam duceret, ad nos subigendos venit, qui tam misere victitamus. Huc referri potest id, quod apud eundem Herodotum, Tritantechines Artabani filius, præsente Xerxe dicit, quum audiret victores in ludis Olympijs oleagina corona donari, non pecunia. Papæ inquit, Mardoni, in quos viros induxisti nos ad pugnandum, qui non pecuniarum certamen agitent, sed virtutis. *In Calliope.*

CAPUT LXXX.

Levissimam occasionem sæpius ad maximas res perficiendas ducem se præbere.

NON frustra Porcius Latro L. Catilinam ita compellat: Num in gerendis negocijs ignoras sequendas temporum opportunitates, & in occasione rerum desidiam, ac tarditatem omnium, quam diligentissime fugiendam? Mutabilissimæ quidem sunt deorum voluntates, & fortunam; quum abire permiseris, frustra postmodum discedentem ac fugientem sis imploraturus, &c. Quod autem gentiles Fortunæ, veluti deæ, cujus arbitrio res mor- *In declaratione apud Sallustium.*

 talium

talium (sicut C. Julius Cæsar omnes credere volebat, Fortunam secum navigare, per campos comitari, sibi adesse in castris, in administrandis omnibus bellicis muneribus juvare) subjectæ essent, & fatis suis, inani superstitione excæcati tribuere, quemadmodum etiam poeta testatur:

——superat quonam fortuna sequamur:
Quoque vocat, teneamus iter.

Et alibi.

Fata viam invenient.

Hoc nos Christiani, patefacta veritatis luce, æternæ providentiæ & voluntati Dei omne, sive nobis adversa, sive prospera accidant, rectissime attribuimus. De qua re extat elegans Epigramma, nescio cujus autoris, tale:

Si vitam spectes hominum, si denique mores,
Artem, vim, fraudem, cuncta putes agere.
Si propius spectes, fortuna est arbitra rerum:
Nescio quam dicas, & tamen esse vides.
At penitus si introspicias atque ultima primis
Connectas, tantum est Rector in orbe DEUS.

Siquidem experientia testatur, quam levis occasio interdum [illegible] spem ad res maximas gerendas, veluti sese ducem præbeat, quum videlicet eo deventum est, ut ordinatione & permissione divina aliquid accidere necesse sit. Ita ut non frustra à nonnullis occasio anima actionum dicatur. Hac de re habemus memorabile exemplum, quod accidit, quum Borbonius patrum nostrorum memoria, ex improviso ad occupandam Romam Cæsareanum exercitum duceret. Quum enim tormentis aliisque rebus ad oppugnationem necessariis destitueretur, & veluti indagine inclu-
Li. 5. comm. sus ab hostibus esset mirificus & improvisus, ast peropportunus, ad expugnandam urbem casus & occasio (ut Bellaius refert) accidit. Etenim signifer quidam cui ruina muri ad Compitum Petrinum commissa erat, quum Borbonium aliquot militibus comitatum, vinetum perrumpentem, ad explorandum locum vidisset, tanto metu perterritus est, ut quum in Urbem profugere cogitaret, ipsa ruina signo elato egressus ad hostes contenderet. Borbonius hominem ad se venire conspicatus, alios subsequi & eruptionem in se fieri arbitratus, gradum subito sistit, eo consilio, ut suis collectis impetum tantisper sustineret, dum reliquus exercitus appropinquaret, qui confestim omnis in armis erat. Signifer extra urbem ad passus ferme trecentos progressus, audita ad arma capienda clangore & clamore, ad se redit, & instar ejus, qui è somno excitatus animum colligit, è vestigio urbem versus se proripit, eademque ruina qua exierat, ingreditur. Borbonius hominis

[illegible]ns geſtum admiratus, ſcalis arreptis ad murum accedit, ibique illo interfecto milites ſui in urbem irruperunt. Lib. 7. Simile quidpiam ſe in expugnatione Sanpauli vidiſſe idem Bellajus ſcribit, quum alius quidam ſignifer in propugnaculo ſtare e ſignum manu tenens, & hoſtes ad oppugnandum venire conſpiceret. Eum enim tanto repente terrore correptum, ut quum in oppidum fugere cogitaret, feneſtra tormentaria egreſſus ad hoſtes ſigno elato excurrerit, à quibus ibidem trucidatus ſit. Sic inopinatus caſus ex leviſſima occaſione accidit, quo Belgradum, munimentum natura & arte validiſſimum, abſente Præfecto amiſſum eſt. Lib. 29. Quum enim is (ut Dubravius in Hiſtor. Boiem. aliter quam Paulus Jovius, refert) per cauſam petendi ſtipendij Budam in aulam regiam relicta arce ſine capite, ſe contuliſſet, Quæſtore iſtum fruſtrante, & ad extremum nihil adnumerante, conſtat pleriſque, inquit Dubravius, nec enim adhuc omnes mortui ſunt, centum tantummodo aureis pro ſtipendio adnumeratis, Belgradum retineri potuiſſe, ne in poteſtatem Turcæ veniret: ſed dum præfectus abſque nummis regredi ad ſuos non audet, & illi ſine duce inter ſe diverſi ac diſcordes agunt, & mox circumfuſo pavore, quem eis Turca modico exercitu incuſſit, ita torpent, ut ad defenſionem nec animus, nec vires ſupereſſent, priuſquam illis ſuccurri potuit, deditionem fecerunt. Ad hunc modum Belgradum, aliorum quoque regnorum præter Hungariam, muniti ſſimum propugnaculum, ad confluentem Dravi, Savi, Danubij, inclytorum fluminum ſitum, turpiſſime eſt amiſſum. Hæc ille: Belgradum autem vel Beligradum, hoc eſt, oppidum Sirfiæ, vel Serviæ, notum eſt: Et Alba Græca vulgo vocatur: Nandor Alba, Hungaris: τα βελιγραδα Cedrino: priſcis Romanis, Taurunum fuit. Huc referendum eſt, ut ad vetuſtiores hiſtorias paulatim perveniamus, quod Urſpergenſis & alij hiſtorici de Hunnis memoriæ tradiderunt. Scribunt enim Hunnos citra Mæotidem paludem habitaſſe, tantumque venationibus operam dediſſe, neque de alijs regionibus ſolicitos fuiſſe, non enim putabant in altera ripa terram cultam, vel homines reperiri. Verum quum forte venatores quidam conſpicerent cervam lento greſſu paludes tranſeuntem, atque interdum, quaſi vadum exploraret, ſubſiſtentem, donec in alteram ripam evaderet, idque illis mirum & inſolitum videretur, ejus ſemitam procul ſubſecuti ſunt, quoad ipſi quoque continentem attingerent. Ibi videntes regionem amplam & à Scythis habitatam, remeantes eadem via ad ſuos, illis indicarunt, quid accidiſſet. Hi quum audirent, paludes vadoſas & permeabiles eſſe vix ſermonibus ipſorum fidem habuerunt: tandem perſuaſi, magno exercitu coacto, concluſerunt vadum illud à cerva illis divinitus indicatum eſſe, trajectoque lacu, Scythas & finitimos nihil tale opinantes oppreſſerunt;

Lib.1.c.21. de geſt. Franc.l.6. c.37.

runt eoque interjecto tempore mira felicitate progreſſi ſunt, ut toti orbi terrarum formid biles fuerint, eodem modo Clodovæo Francorum Regi, pugnaturo contra Gothos, cervam vadum in flumine Vigenna demonſtraſſe memoriæ tradidit Annonius vel Amonius, Sozomenus autem in hiſt. tripartita Eccleſ. ubi hanc hiſtoriam de cerva Hunnis vadum demonſtrante, recenſet, bovem œſtro percitum, lacum transmiſiſſe, ait, cumque ſecutum bubulcum; hunc quum terram incognitam ab altera parte vidiſſet, tribulibus ſuis id nunciaſſe. Primo igitur exigua manu militum de Gothorum viribus Hunnos feciſſe periculum: poſtea cum omnibus copiis illos aggreſſos prælio deviciſſe, & omnem eorum regionem occupaſſe. Gallis autem olim obſidentibus Capitolium non ita felix eventus reſpondit, vel ut ethnicorum more loquar fortuna, licet illis veluti viam ad occupandum Capitolium monſtrarit, attamen non, ſicut expetebant, arriſit. Quum enim (ut hanc hiſtoriam poſt Livium Plutarchus in libro ſuo peculiari, prope finem, De fortuna Romanorum, luculenter deſcribit) reliquiæ Senatus poſt acceptam cladem ad Alliam, in Capitolio à Gallis arctiſſ. obſiderentur, & in illis difficultatibus Furius Camillus (quem proſperis rebus populus elatus damnatum peculatus Urbe ejecerat) ab ijs, qui ex prælio & ſemicapta Urbe effugerant, & Veios convenerant, Dictator creatus eſſet, is ne temporum magis iniquitate quam è legum præſcripto magiſtratum accepiſſe videretur, neve tanquam, complorata repub. palantis convenæque exercitus armis ad imperium raptus cenſeretur, voluit Caſtrenſem imperij delationem Senatus autoritate confirmari, qui in Capitolio obſidebatur. Cajus igitur Pontius (libet enim Plutarchi verbis, interprete Guilielmo Budæo, Pariſienſi regio Secretario, uti) erat vir impiger, hic mandata ad Senatum quum ſe perlaturum recepiſſet; ingens adijt periculum; eunti vadendum per medios hoſtes erat, quum excubijs valloque circumdata arx undique eſſet. Is ut ad amnem pervenit, ſuberibus latis incubans, corpus vectabili levitati credens, ſecundo ſe flumini permiſit, à quo clementer placideque devectus alteram ad ripam nullo negocio pervenit. Unde digreſſus per hoſtium rariſſima vadebat, exiguum ipſa raritate ſilentioque captans. Ad collis inde prærupta quum veniſſet, qua molliorem cunq; aſcenſum compererat, arrepens, quaque aſpera ſupinitas enitendi præbebat adminicula, ad hæc in ſalebrarum anfractus ſeſe inſinuans omni ope omnibusque, ut ajunt, ungulis connixus, ad ſummum tandem evaſit, ibi à vigilibus admiſſus mandata obſeſſis expoſuit, acceptoque decreto, rurſus qua venerat ad Camillum regreſſus eſt. Cæterum poſtridie luce orta, Barbarus quidam locum temere oculis, ut fit, luſtrans, cum ſumma pedum veſtigia, fallendique ſe pedis lapſus, tum in obtrito flacceſcenteque gramine, qua terrena loca

ea erat, obliquos corporis tractus, & surreptantis vestigia animadvertens popularibus suis detulit. Hi viam interpretari se ab hostibus edoctos, tentandæ rei consilium capiunt, noctuque quam infrequentissima interdiu observaverant scandentes, canes quoq; excubitores, vigilumq; comites, nedum vigiles ipsos somno sopitos latuerunt. Nec ideo tamen Romana fortuna vocis indiga fuit, quæ tantum malum prodere indicareque posset. Anseres Junoni sacri ad Deæ templum alebantur. Hoc animal cum natura facile consternabile est, & ad omnem strepitum solicitum, tum id temporis premente cibariorum inopia neglectum, tenuis à fame somni erat, proinde illico senserunt hostes jugum superasse, turbidoque admodum id clamore prodidere advolitantes. Armorum deinde splendore consternati, clangore vehementi Romanos, ad omnia collis loca pertingente, excivere, qui re ut erat, animadversa, hostes celerrime deturbatos in præceps impulerunt. Miratur se nunc etiam fortuna commemorandis his casibus. Canis in crucem sublatus, anser in eleganti grabatulo gesta, oriolove quam decentissime sedens. Huc ex recentioribus exemplis non incommode referri potest, quid Fazellus de accipitre scribit. Quum enim Aragonii Casiblim munitum locum Claremontorum occupare conarentur, & noctu custodibus somno captis rupeo castro prominentem scalis inscendentes unam arcis turrim, effractis magna vi portis cepissent, erectoque ex ea Regis insigni aliam turrim eminentiorem essent aggressi; parvo eam negocio occupassent, nisi accipiter armatorum strepitu experrectus sublatis vocibus Præfectum & arcis custodes excitasset. Qui ubi hostes arcem ingressos vident, tribus facibus de more accensis, vicinos amicos ad ferendas suppetias invocant, atq; ita Aragonii ab incepto interturbantur. At Severiani, ut apud Herodianum legimus, feliciorem eventum rebus fere desperatis ex improvisa occasione habuerunt, quum munitionem Tauri montis, à Nigro magna diligentia ad prohibendum transitum constructam, oppugnarent, tristis utique ac citra spem victoriæ, quippe valida, inexpugnabilisque per se, & quæ monte ipso præcipitioque defendebatur. Igitur jam defatigatis, alta adversariorum securitate, ecce tibi noctu maximi repente ruere imbres, oppleri omnia nivibus, ut sunt difficiles in Cappadocia hyemes, maximeque ad Taurum montem. Quocirca subitus impetu magno erumpit torrens, cursuque impedito (quod munitio exitum prohibebat) major jam violentiorque factus, quando artem superante natura, tantum impetum sustinere munitio non poterat, laxatis paulatim coagmentis, ac fundamentis loco emotis, iter sibi torrens patefecit. Quo animadverso, qui in præsidio erant metu, ne ab hoste circumvenirentur, nullo mox futuro propugnaculo, simul unda resedisset, prodita custodia, cuncti fuga

De reb. Sic. poster. decad. lib. 9. c. 6.

dilabuntur. Itaq; læti Severiani, confirmatiq; animis veluti diis ipsis immortalibus manu ducentibus, cognito custodes aufugisse, facile scilicet nullis prohibentibus Taurum supergressi in Ciliciam mox impetum fecerunt. Eodem modo levissima occasio Mario obsidenti in Numidia castellum natura & operibus munitissimum, ut Salustius memoriæ tradidit, præter opinionem omnium curas suas & anxietates levavit. Quum enim inter spemque metumque anxius hæreret, omitteretne inceptum, quod frustra erat, an fortunam opperiretur, qua sæpe prospere usus fuerat, forte quidam Ligur miles gregarius, castris aquatum egressus, haud procul ab latere castelli, quod adversum prælantibus erat, animadvertit inter saxa repentes cochleas, quarum quum unam atque alteram, deinde plures peteret, studio legendi paulatim ad summum montis egressus est: ibi exploratis omnibus, quæ mox usui fore ducebat, eodem regreditur, & Marium edocet, quo in loco aditum inter præcipitia ad castellum notaverit. Explorata itaq; re, hac occasione usus Marius, tam à tergo quam à fronte oppugnationem urgens munitionem illam occupavit. Quare ita concludit hanc suam narrationem Salustius: Sic forte correcta Marii temeritas gloriam ex culpa invenit.

De bello Iugurth.

CAPUT LXXXI.

Conatus irriti.

Apud L. Annæum Senecam Tragœdum introducitur persona, inter alias querimonias ita loquens:

——————— divites
Regnoque fulti; plura quam fas est, petunt.
Quod non potest, vult posse, qui nimium potest.

In Hippolyto.

Hæc quum meditarer, venit mihi in mentem, Senecam vere & prudenter dixisse. Siquidem non raro olim & recentioribus temporibus Cæsares atq; Reges nimia sua potentia opibusque freti, magnas & insolitas res perficere aggressi sunt, idque eo consilio, vel ut potentiæ suæ documentum posteritati relinquerent, vel hostibus suis terrori essent, vel etiam publicæ utilitati inservirent. Priora duo in C. Caligulæ pomposo conatu, qui nihil tam efficere concupiscebat, quam quod posse effici negaretur, videre licet. Bajarum namque medium intervallum, teste C. Suetonio, & Puteolanas moles, trium millium & sexcentorum fere passuum ponte conjunxit, contractis undique onerariis navibus, & ordine duplici ad anchoras collocatis, super-

In vita Caii Caligul.

superjectoque aggere terreno ac directo in Appiæ viæ formam. Scio, inquit Suetonius, plerosque existimasse talem à Cajo pontem excogitatum æmulatione Xerxis, qui non sine admiratione aliquando angustiorem Hellespontum contabulaverit: Alios, ut Germaniam & Britanniam, quibus imminebat, alicujus immensi operis fama territaret. Adjicitur & tertia causa ibidem, quæ ab eo, licet alii aliter sentiant, verior habetur. De hoc ponte extant adhuc aliquot fornices ex lapide quadrato constructi, sicut exteris monstrantur, & vulgi opinio est, quos prope Puteolos vidi magna cum admiratione latissimi tractus, quem pons iste integer olim, admixtis onerariis occupavit ab uno latere ad aliud usque ad Bajanam arcem, quæ ulteriore litore, edita in rupe cum præsidio Hispanico conspicitur. Sic Claudius ejus successor, teste eodem Suetonio, Fucini lacus emissarium aggressus est, non minus compendii spe quam gloriæ, quum quidam privato sumptu emissuros se promitterent, si sibi siccati agri concederentur. Per tria autem passuum millia partim effosso monte, partim exciso, canalem absolvit ægre & post undecim annos, quamvis continuis xxx. millibus hominum sine intermissione operantibus. Extant & alia monumenta Romanæ potentiæ in viis publicis, pulcherrimo lapide vivo constratis, ex quibus meo judicio integrior adhuc, reliquis vetustate propemodum collapsis, est Via Appia, quæ Brundusium usque (licet incuria incolarum, & bellorum truculentia, ea quoque multis in locis ruinosa sit, mare quoque partem ejus disjecerit) excurrit, nec non loca subterranea, & aquæductus testes sunt hujus rei locupletissimi. Habuerunt autem Romani non solum opes maximas, ad tam sumptuosas structuras, siquidem tradunt autores, Ægypti fructus annuos fuisse Ptolomæo Aulete regnante, duodecim millia quingenta talenta, hanc summam nostri temporis viri docti redigunt ad septuagies & quinquies centena coronatorum aureorum millia, cum vero in populi Romani ditionem venisset, multo putant fuisse fructuosiorē, propter Indiæ & Æthiopæ commercia, & ut de cæteris reditibus taceam, solummodo argenti fodinæ Hispaniæ prope Carthaginem novam, teste Budæo de asse, singulis annis noningenta duodena millia & quingentos aureos suppeditarunt: sed etiam mancipiorum multitudine abundarunt, quæ velut bruta tenuissimo victu, laboribus ascripserunt perpetuis, non secus ac ex hodie suis mancipiis faciunt. Cæterum quemadmodum fatendum est, Romanos perpetuo labore & sudore mancipiorum, quorum infinitus numerus, ut dixi, apud illos instar brutorum fuit, ejusmodi stupenda opera minori difficultate, & exiguis sumptibus, longeque alio modo, quam quo apud nos fieri necesse est (licet Claudius Imperat. in aquæ ductus, quos suis impensis in urbem perducendos curavit, erogarit talentum sexaginta

 millia,

millia, cujus ſummæ calculum idem Budæus ponit auri millionem trecenta inſuper & octoginta quinque millia coronatorum & quinquaginta coronatos) & inſtituere abſolvere potuiſſe: ita ſæpe quum veluti naturæ vim inferre voluerunt; operam & oleum, ut eſt in proverbio, perdiderunt. Hoc ſane evenit, teſte Corn. Tacito Severo & Celere magiſtris & machinatoribus, quibus ingenium & audacia erat, etiam quæ natura denegaſſet, per artem tentare, & viribus principis Neronis illudere. Namq; à lacu Averno navigabilem foſſam, usque ad oſtia Tiberina depreſſuros promiſerant, ſqualenti littore, aut per montes adverſos. Neq; enim aliud humidum gignendis aquis occurrit, quam Pomptinæ paludes: cætera abrupta aut arentia; ac ſi perrumpi poſſent, intolerandus labor, nec ſatis cauſæ. Nero tamen, ut erat incredibilium cupitor, effodere proxima Averno juga connixus eſt: manétque veſtigia irritæ ſpei. Hujus foſſæ cœptæ ab Averno Oſtiam usq; ut navibus nec tamẽ mari iretur, longitudinis per CLX. milliaria, latitudinis, qua contrariæ quinqueremes commearent, meminit quoq; Suetonius. Quorum operum perficiendorum gratia, quod ubiq; eſſet cuſtodiæ in Italiam deportari, etiam ſcelere convictos, non niſi ad opus damnari præceperat. His autem nõ contentus, etiam in Achaia Iſthmum perfodere aggreſſus (ut idem autor tradit) prætorianos pro concione ad inchoandum opus cohortatus eſt, tubaq; ſigno dato, primus raſtello humum effodit, & corbulæ congeſtam humeris extulit. Verum illi accidit, ſicut aliis complurib. qui ſæpius ante eum idipſum repugnante natura, infauſto exitu conati ſunt facere, eorumque ſemper irriti labores fuerunt. Inter quos fuit Demetrius Rex, C. Cæſar Dictator, Cajus princeps Caligula, Domitius, & alii, quorum mentionem poſt Plinium facit Lævinus Torrentius. Hujus rei quoq; Sabellicus meminit, ubi etiam ſcribit, Venetos quindecim dierum ſpacio totam Iſthmi longitudinẽ, quæ ab Ægæo ad Ionium mare quatuor habet paſſuũ millia, quanquam murorũ ambitus aliquando eum reddit ampliorem, muro & duplici foſſa muniviſſe. Unde proverbium, Iſthmum perfodere veluti de laboribus & conatib. ingentibus, ſed vanis & irritis ortum ſuum habere cœpit. In hujus Iſthmi faucib. ſita eſt urbs Corinthus & portus habuit ab ortu, Conchræas, ab occaſu, Lichæas, ſinus hinc Corinthiaco, iſtinc Saronico clauditur. Latitudinem ejus, quæ veluti cervici Peloponeſus Græciæ, adhæret; patet quinq; millia paſſuum, teſtibus Strabone, & Diodoro: Herodotus quoq; memoriæ tradidit, Gnidios Iſthmum qua anguſtiſſimo ſpacio, nempe quinq; ſtadiorum, ſpectabat continentem, perfodere molitos, ut inſulam facerent, (hi ſunt incolæ Cariæ & coloni Lacedæmoniorum, quorum regio ſpectat mare, quod vocatur Triopium) cæterum ictos ſcopulos in fodientium oculos reſiliiſſe. Quum autem oraculum Delphicum hanc ob rem conſuluiſſent, ita reſpondiſſe Pythiam:

Li. 15. annal.

In vita Neronis.

Lib 4. c. 4. In commentariis ſuper Suetonium

Decad 3. li. 8. de rebus geſtis Venet. Lib. 1.

Ἰσθμὸν

Ἴσθμον δὲ μὴ πυργῦτε, μήδ᾽ ὀρύσσετε,
Ζεὺς γὰρ κ᾽ ἔθηκε νῆσον εἴκ᾽ ἐβύλετο.
Neque cingite Isthmum mœnibus, neque fodite.
Nam si Iovi id visum, locasset in salo.

Cæterum Xerxis Regis Persarum opus magis faustum fuit, dum Athon perfodere aggressus est. Est autem Athos, teste Herodoto, mons ingens & nobi[illegible] mare pertingens, ab hac parte hominibus cultus ad continentem [illegible]ns in speciem Chersonesi, id est, peninsulæ, cum isthmo duodecim stadiorum. Hodie incolitur à Calogeris, qui sunt Monachi Græci, & sequuntur ritus traditos à Basilio. Ideoque mons sanctus vulgo vocatur, Græcis est ἅγιος ὄρος: Turcis Seidigag. Vocatur autem Monachus à Græcis Calogeros, non veluti καλὸς ἱερὸς, id est, bonus, sanctus, quod vulgo persuasum est, sed quasi Kalos geros. Sic n. teste Leonclavio nostro, hodie vulgari lingua loquuntur (id est, bonus senex) nam senilis ætas huic professioni aptissima est. Sed pergamus in cœpta materia. Hanc fossam, inquit Herodotus, Xerxes, ut ego conjectura colligo, jactantiæ gratia deprimi jussit, potentiæ ostentandæ cupidus ac memoriæ relinquendæ. Nam quum liceret nullo [illegible] es per Isthmum transportare jussit Isthmum intercidi ad mare recipiend[illegible], in fossam tantæ latitudinis, ut duæ triremes pariter illuc agitari [illegible]. [illegible]nque Nicanor Seleucus aggressus est Isthmum, (qui dirimit Eux[illegible]um mare) perfodere, nec perfecit, à Ptolomæo Ceranno interfe[illegible] ut E[illegible]asmus notavit. Eodem modo nonnulli Reges Ægypti, immensis fossis ductis, longitudinis quatuor dierum navigationis; latitudinis, ut per eam duæ possent simul agi triremes; in quibus fodiendis; sub Rege Nec[illegible] centum viginti millia Ægyptiorum, teste Herodoto, perierunt; quarumq; [illegible]ia in hodiernum diem (ut mihi ii, qui illis in locis fuerunt, retulerunt) prope Sues conspiciuntur, efficere voluerunt, ut ex Nilo fluvio in mare [illegible]brũ vel Arabicum sinũ navigaretur. Verum eorũ cœpta irrita fuerũt, [illegible] quoq; Cleopatræ Reginæ, quæ opus arduũ & ingẽs ibidem aggressa est. Intenderat. n. per Isthmum, qui rubrũ mare ab Ægypto distinguit, videturq; Asiæ & Africæ limes esse, quà is maxime utroq; mari arctatur, & strictissimus CCC. stadiorum latitudine patet, classem transferre in Arabicum sinum, cum exercitu [illegible] pecuniæ, ibiq; servitute & bello evitato habitare, Sed ab Arabibus circa Petra habitantibus impedita fuit. Eodem modo Trajanus, teste Dione fossam aggressus est, per quam Euphratem in Tygrim der[illegible]ret: simul etiam ut navigia ponti faciendo deveheret. Sed ubi Euphratis alveum Tygri multo excelsiorem esse comperit, ab incepto destitit, veritus videlicet, ne Euphrates converso in decliviorem partem fluxu exevacuaretur. Non absimilis conatus fuit Veteris Romanorum ducis imperante

Lib. 7.

In Adagiis.

Lib. 2.

Plutarchus in vita Antonini.

perante Nerone, qui Mosellam atq; Axariam, facta inter utrumq; fluviũ fossa, convertere paravit, ut copiæ per mare, dein Rhodano & Arari subvectæ per eam fossam, mox fluvio Mosella in Rhenum, exin ad Oceanum decurrerent, sublatisque itinerum difficultatibus navigabilia inter se Occidentis Septentrionisque littora fierent. Deterruit Gracilis Belgicæ legatus, ne legiones alienæ provinciæ inferret, studiaque Galliorum affectare diceretur, formidolosum id Imperatori dictitans, quo plerunque prohibentur conatus honesti. Refert Johannes Marius propter juges pluvias, quæ egestam humum in fossam rejecerant, inchoatum opus omissum fuisse. Hæc Ricardus Dinotus ex Tacito refert. *In adversariis.* Verum si quis exactiorem hujus conatus descriptionem requirit, is reperiet eam in Belgii historia Ludovici Guicciardini. Ne autem plane priscis & exteris exemplis inhæreamus, audiamus quoque quid nostri Imperatores sæpenumero conati sint. Carolus enim Magnus persuasus à quibusdam fuit, hominum labore effici posse ut à Danubio in Rhenum navigaretur, si inter Rhedonessum & Alcmanum flumina Nariscorum, *Regnitz/ Altmühl.* ut Aventinus memoriæ tradidit, *Lib. 4. anna. Bojor.* ubi uligo palustris erat, fossa duceretur, quæ navium capax foret, in quam palustres aquæ [illegible] tes utrinq; flumini committerentur. Nam Rhedonessus Bamber[illegible] Mœno, hicq; Rheno Moguntiaco miscetur. Alcmanus vero [illegible] passuum octo à patria mea in Danubium profluit, juxta oppidum Kelh[illegible]. [illegible] tur jussu Regis à maximo Bojorum, Francorum, Suevorumq; [illegible] fossa lata trecentos pedes, longa millia passuum duo. Totum autumni tempus in tam præclarum opus utileq; assumptum est, quod à pago ad pagũ Graben/ inde Weissenburgium versus tendebat. Sed invidit fortuna labori, [illegible] to cœlo captus erat; prodigiis, portentisque iram suam natura rerum ostendit. Immensi acervi frumentorum, & omnis generis granorum [illegible] reperti campis, quæ si pecus gustaret, è vestigio peribat: farina inde facta [illegible] bus evanescebat. Noctibus auditæ sunt voces mugientium & lasciv[illegible] confusi strepitus circum superiorem fossam. Accedebant continui imbr[illegible] loco alioqui palustri, ideo quicquid terræ interdiu egerebatur, noctu l[illegible] mo relabante subsidebat. Hujus rei quoq; meminit Amoinus. *De rebus Franc.* Quin etiam simile, vel majus opus inchoavit Carolus IV. Imp. (quamvis qua ratione fieri hoc potuerit, ex situ loci & horum fluminum cursu colligere non possim) qui Multaviam, quod flumen montis radices, in quo regia arx Pragæ sita [illegible] alluit, & Bohemici regni Metropolim intersecat, cum Danubio conjungere voluit sicut videre licet apud Dubravium. Unde non frustra [illegible] monet, ille recens Aulicus politicus, Omnes aulicos consiliarios, qui magnarum rerum cõsilia suscipiunt, cogitare debere sedulo, an quod aggrediuntur, Reip. utile, Deo gratum, gerentibus gloriosum, & promptum effectu, vel certe non arduum

durum ſit. Male itaque egerunt, & minus prudenter, qui fuerunt auctores *In Bohemi-*
Imp[illegible] hæcerent, ut à Danubio in Rhenum navigaretur. Idem de ſimili- *cis historicis.*
b[illegible]cium eſto, &c. Quid multis? ejusmodi conatus, ſi non omnes, pleri-
quetamen infauſti reperiuntur. Statuit enim Deus, ut Regius Propheta ait, *Pſal.103.*
mari & fluminibus ſuos terminos, quos non transgredientur, & in iis ma-
nendum conſiſtendumque illis eſt, quam diu illi placuerit. Id teſtatur Pro- *Cap.5.*
pheta [illegible]ias, ubi dicit: A me non timebit populus, qui pono terminos
maris [illegible]? Hoc ipſum oraculum Delphicum, cujus ſupra mentionem
fec[illegible], non ignoravit. Et recenſetur à Ruffino elegans hiſtoria, de inunda- *Lib.2. c.30.*
tione Nili, quæ deſtructo templo Serapis, cujus Ethnici iram verebantur, *Eccleſ. hiſt.*
contigit, quam ſupra retulimus. Hæc ita eſſe anno ſalutis 1569. Turcæ quo- *Cap.39.*
que experti ſunt, qui adductis maximis copiis militum & mancipiorum,
Rha vel Volgam flumen (teſte Ptolomæo, Sarmatiæ Aſiaticæ maximum,
inque mare Caſpium prope Aſtracanum urbe opulentiſſima, & emporio
celeberrimo, ſeptuaginta pluribusve oſtiis ſe exonerans, quod à Tartaris E-
latach, ab Armenis autem Thamar, à Turcis Edilſen appellatur) in Tanaim
(qui fluvius Europam ab Aſia dividit, & ab incolis Don, ab Italis autem
Tana vocatur, inq; pontum Euxinum ſeſe effundit) perfoſſo monte altiſſi-
mo, ubi ab [illegible] parte flumina illa in diverſis vallibus, inter ſe propiora
ſunt, de[illegible] ſunt. Hic mons à Turcis Vlechuvaherſe; à Moſcis Pe-
rent[illegible] Germanice Schleppenbergk/ (quia Coſaki ſuas cymbas, per hunc
montem in aſcenſu & deſcenſu, circa ſeptem milliaria, continenter, hinc inde
de uno flumine in aliud magna vi & conatu; in aliud trahere ſolent) nomina-
tur. Verum non tantum inedia, labore immenſo, & venenatis animalibus in
regione inculta & deſerta, impediti à cœpto opere Turci fuerunt; ſed etiam
m[illegible] affecti, & tandem Tartarorum dolis in reditu circumventi, ad
in[illegible] deleti ſunt. Manebunt itaque fines & termini maris flumi-
num [illegible] quos Deus poſuit, invitis hominibus, qui fruſtra eos ſuis viribus,
[illegible] ipſo, transferre conantur. Idipſum Ægyptii ſuis hieroglyphicis *Pierius l.25.*
[illegible]e voluerunt, quum lutram & vitulum marinum eodem vinculo col-
[illegible]unt. Hæc enim media ſunt animalia inter terreſtria & aquatica, vincu-
[illegible]que illud oſtendunt, quo terræ applicitæ ſunt aquæ, ſuisque coercen-
tur [illegible]bus. At is qui flumina & maria concluſit abyſſis ſuis, ea ad demon-
ſtrandam ſuam omnipotentiam & iram adverſus delinquentes nonnun-
quam erumpe[illegible], & inundare jubere poteſt, ſicut teſtatur diluvium uni-
verſale, quod cœpit poſt conditum mundum Anno CIↃ. IↃ. CLVI.
& dura[illegible] annum integrum & dies decem, ſubmerſis omnibus homini-
bus & animantibus in terra, exceptis paucis, qui cum Noe, divinitus
in arca conſervati ſunt. Etenim menſe ſecundo, die menſis XVII. inun-
dare

dare cœperunt aquæ ſuper terram, & in ſequente menſe ſecundo, die menſis XXVII. arefacta eſt terra, anno Noe ætatis 1001. ſicut deſcribitur diligenter à Moyſe in Geneſi. Nec non iræ divinæ index eſt perpetuus, everſio Sodomæ & Gomorrhæ, ubi nunc lacus eſt, quem ſupra deſcripſimus, quo in loco antea fuere amœniſſima regna & civitates. Eodem modo Ortelius, depingens Hiberniam, de lacu Erno monet, quod olim fons fuerit, ſed ob incolarum nefandam cum beſtiis Venerem, Deo irato, in tantam aquarum diluviem erupiſſe, ut totum eum tractum cultiſſimum cum hominibus inundatione ſubmerſerit. Atque in rei geſtæ veritatem hodie ſereno tempore etiamnum templorum turres ſub undis hinc inde conſpici. Terram, inquit Giraldus, tam turpium contra naturam facinorum conſciam, non tantum primis, ſed cunctis in poſterum habitatoribus indignam autor naturæ judicavit. Hunc lacum ſcribit Camdenus triginta millia paſſuum in longitudine, quindecim in latitudine diffundi; ſilvis opacis coronatum, & adeo piſcoſum eſſe, ut piſcatores nimiam frequentius piſcium copiam, retiumque rupturas potius, quam defectus conquerantur. Similes calamitates ex inundatione Hollandia & Friſia quoque, magna cum clade pulcherrimi agri, & internecione hominum pecorumque non ſemel experta eſt, extantque indicia hujus rei adhuc manifeſta. Inprimis autem anno 1421 in regione illa, ubi Dordracum ſitum eſt, perierunt ex ſubita inundatione maris, Rheni, Moſæ & Vahalis, pluſquam centum millia hominum, ſubmerſis impetu aquarum ſeptuaginta duobus pagis.

Cap. 7. & 8. *Cap. 16.* *In Theatro orbis Tabula 10.* *In Hibernia.*

CAPUT LXXXII.

De miro robore & fortitudine quorundam principum virorum, nec non & de Gigantibus nonnulla memoria digna.



MEmoriæ tradidit Julius Capitolinus & alii hiſtorici, Maximinum tyrannum interfectorem & ſucceſſorem Alexandri Severi Imp. optimi, tanta proceritate & robore præditum fuiſſe, ut octo pedes digito videretur egreſſus: pollice ita vaſto, ut uxoris dextrocherio uteretur pro annulo. Item ut hamaxas manibus attraheret: equo ſi pugnum dediſſet, dentes ſolveret: ſi calcem, crura frangeret: lapides tophicios friaret, arbores teneriores ſcinderet.

Unde

Un[illegible]e ab aliis Milo Crotoniates, ab aliis Hercules; Antæus à nonnullis vo-[illegible]. Constat igitur eum, ut Herodianus refert, ob immanem corporis [illegible] & militare robur ac peritiam pugnandi ad imperium ascitum, ob [illegible]tem autem ita invisum plerisque fuisse, ut illum alii Cyclopem, alii B[illegible] alii Scytonem, nonnulli Phalarim, multi Typhonem, vel Gygem [illegible]. Erat enim illi persuasum, ut idem Capitolinus refert, nisi crude-[illegible]ium non teneri. Neque enim, inquit, fuit crudelius animal in [illegible] omnia sic in viribus suis ponens, quasi non posset occidi. Denique [illegible]alem se prope crederet, ob magnitudinem corporis sui, virtu-[illegible]; quidam in theatro præsente illo dicitur versus Græcos rect-[illegible] quorum hæc erat sententia:

Et qui ab uno non potest occidi, à multis occiditur:
Elephas grandis est, & occiditur:
Leo fortis est, & occiditur:
Tigris fortis est & occiditur:
Cave multos, si singulos non times.

H[illegible]cidit. Nam quum diu Aquileiam magnis viribus, sed irrito co[illegible]et, & ideo crudelior & immanior, ferarum more, quæ vul[illegible] exulcerantur, erga suos milites evasisset, ab iis una cum filio [illegible]. De C. Mario quoque, qui, ut dicitur, ex fabro ferrario, tem-po[illegible]ibus Imperator factus est, memoriæ tradidit Trebellius Pollio: N[illegible]us vel ad feriendum, vel ad impellendum fortiores fuis-se, [illegible]m in di[illegible] nervos videretur habuisse, non venas. Nam & carra venien-[illegible] salu[illegible] repulisse dicitur, & fortissimos quosque uno digito afflixis-[illegible] ligni vel ferri obtusioris ictu percussi dolerent. Multa duorum [illegible]lisione contrivit. Hic una die factus est Imperator, alia die visus [illegible], tertio die interemptus est, & quidem à milite, qui ejus quon-[illegible] in fabrili officina fuisset, cum his verbis: Hic est gladius, quem [illegible]ti. Hu[illegible]go in numismate reperta, tanquam res rara depingitur [illegible] in sua tabula, cujus nota est litera N. habens talem inscriptionem: [illegible]perator Cajus Mariu[illegible] Pius, Felix, Augustus. Posset igitur aliquis idem de [illegible] triduano Imperatore dicere, quod Cicero de Vatinio Consule jocatus [illegible] nimirum Imperatore magnum ostentum accidisse. Nam nec bruma, [illegible], nec æsta[illegible] fuisse. Sed cum nervorum mentio facta sit, libet pauli-[illegible] magis vetera exempla divertere. Maximam virium substantiam ner-vos [illegible]re, certissimum esse, quantoque fuerint densiores, tanto propensius [illegible] firmitatem, Solinus affirmat. Ubi etiam ait, Varronem in rela-[illegible] prodigiosæ fortitudinis annotasse, Tritanum Samnitem gladiatorem [illegible]atura fuisse, qui & rectis & transversis nervis, non modo crate pecto-

In historia triginta Tyrannorum.

Cap. 4.

ris, sed & manibus cancellatis & brachiis, omnes adversarios levi tactu, ac pene securis congressibus vicerit: ejusque filium, militem Cn. Pompe[illegible] modo natum, ita sprevisse hostem provocantem, ut inermi eum de[illegible] superaret, & captum digito uno in castra Imperatoris sui reportar[illegible]t. M[illegible]o-nem quoque Crotoniensem ferunt egisse omnia, super quam [illegible] let, de quo etiam proditur, quod ictu nudæ manus taurum fecerit [illegible], eumque solidum, qua mactaverat die absumpserit, solus non gra[illegible] ad recentiora revertamur, D. Aurelianum, scribit Flavius Vopiscu[illegible] procerum, & nervis validissimis fuisse; utiturque testimonio Theo[illegible] sariorum temporum scriptoris, Aurelianum manu sua bello S[illegible] die quadraginta, & octo interfecisse. Plurimis autem & diversis die[illegible] tra nongentos quinquaginta, adeo ut etiam balistea pueri & saltatiunculas in Aurelianum tales componerent, qui diebus festis militariter saltitarent, Mille, mille, mille, mille, mille, mille decollavimus: Unus homo mille, mille, mille, mille decollavimus. Mille, mille, mille vivat, qui mille, mille occidit. Tantum vini habet nemo, quantum fuit sanguinis. [illegible] apud Maguntiacum tribunus legionis sextæ Gallicanæ Francos irru[illegible] vagarentur per totam Galliam, sic afflixit, ut trecentos ex his c[illegible]tis interemptis, sub corona vendiderit. Unde iterum de [illegible] ti-lena: Mille Francos, mille Sarmatas semel occidimus. M[illegible], mille, mille Persas quærimus. Similes gratulationes & [illegible] heroum, hostibus devictis, in sacris literis passim extant, sicut [illegible] vide alibique legimus. Ut autem omittamus, quod de Gigant[illegible] priscorum monstrosis viribus, videlicet Sigonotho, Goffre[illegible] A-madisio, ejusque fratribus: Item de Orlando, Rugiero, Rod[illegible] do Corneo, Wolfardo, Ilsungo monacho, & de aliis multis, ne[illegible] minis militaribus; Bradamante & Marfisa, plerunque ex v[illegible]gmen-tis passim decantatum est, & ad nostratia & minus fabulosa c[illegible] mus, mihi sane præ cæteris memorabile visum est id, quod [illegible] de fortissimo heroe Georgio Castrioto, partis Albaniæ Principe, quem Turci propter magnitudinem rerum gestarum Ischenderbegum, hoc est, Dominum Alexandrum appellarunt. Alexandria enim hodie Turcis [illegible]endre est, sicut à Leunclavio nostro notatur. Ejus res gestas p[illegible] libro descri-psit Martinus Barletius Scodrensis, quem postea ex lingua latina in verna[illegible] lam nostram transtulit Joannes Pinicianus, & præcipuas attigit Paulus [illegible] vius in elogiis illustrium virorum, ubi recenset: Eum nunquam de[illegible] pugnam, nunquam hosti terga vertisse, nullo unquam [illegible] occupatum, nunquam vulneratum, nisi levi semel sagitta in crure [illegible], cum tamen contra duos potentissimos Imperatores Turcicos, A[illegible]

In pandectis Turcicis.

then

[illegible] & Mahomethen, perpetua bella gesserit, & non solum ipsorum impe-[illegible]inuerit, sed septem eorum clarissimos duces è purpuratorum Bassa-[illegible]rdine acie devicerit, & castris exuerit. Hunc Castriotum, addit Jovius, [illegible] duo hominum, vel ut Barletius scribit, tria millia, barbarorum præ-[illegible]ertis in præliis sua manu interfecisse, quando singulis tantum icti-[illegible]os, qui congressi essent, conficere esset solitus, quod prægrandi, [illegible]que acinace tam validè quam peritè uteretur, quo medios hostes [illegible]um proscindere, transversos dividere soleret, & sæpe per cervices [illegible]em humeris brachiorum artus, facilè detruncaret. Quorum im-[illegible]lnerum truculentiam hostes, qui ex præliis evasissent, cum Bi-[illegible]n [illegible], admirantibus cunctis enarrarent, Mahometes ipse, illum po-[illegible] inusitatæque violentiæ gladium videre cupivit, impetravit-que facilè a Georgio, ut, sibi Byzantium mitteretur, talem namque ejus esse temperaturam, prædicabant, ut ejus ictum nulla vel ferrea corporum mu-[illegible]nerent. Tanta autem inusitatæ virtutis ejus viri fama erat, ut Tur[illegible] mortem ejus, potiti ferè Epiro, sepulchrum ipsius apud Lissum [illegible] admirabundique usque adeo piè venerarentur, ut superstitio-[illegible] demum sepulchro tanti herois ossa, religiosè deriperent, cum [illegible]ello invictum, tutumque fore crederet, si frustulum ex ossi-b[illegible]ictissimi imperatoris in amuleto cervicibus suspensum, [illegible]gestaret. Hactenus Jovius. Dignum autem de illo me-[illegible] Barletius de ejus vita & gestis, quod inituro prælium, vel *Lib. 2.* in [illegible], præter cætera mirabilia mutati vultus signa, labrum [illegible]m sit, cum copia multa sanguinis, quod etiam nedum [illegible] rebus, sed civilibus quoque negotiis frequenter visum, quum [illegible] excandesceret. Extinctus hic fortissimus heros est tandem [illegible] suæ anno LXIII. qui plerunque magnis viris fatalis esse solet, [illegible] LXXV. post natum Christum M. CCCC. LXVI. die Januar. XXVII. [illegible], quod Thomas Fazelli de Galeatio, sive Galeoto Bar-[illegible] Cataneo [illegible] memoriæ tradidit. Eum videlicet singularibus naturæ *Lib. 8. c. 1. de* [illegible]menentis eyectum ad mirabili corporis magnitudine eo proceritatis *reb. Sicul.* [illegible]sse, ut communem hominum staturam verticesque humeris supera-*prior. decad.* [illegible] ejus robustis ac teretibus membris, universæque corporis magnitudini [illegible]ium robur habitusque adeo respondebant, ut tota ejus compago exa-[illegible] naturæ ingenio exculta elaborataquo esse videretur. Igitur hastæ, [illegible]que jactu, lancea saltuq; omnem hominem facilè vincebat. Membro-[illegible]oque robori ingens animi decus affuit. Equo ac pede bellator acerri-[illegible]. Neque [illegible] situs, quo minus fortitudinis suæ experientiam ederet, offi-cere potuit. Armatura enim gravi armatus, galeatusque humi stans, sinistra

ephippium: dextra haſtam militarem tenens ſtrenuo ſaltu equum inſiliebat. Grandi etiam ſtatura equum abſque freno velociter currentem inſ[illegible], cruribus coxiſque ſiſtebat. Aſinum præterea magna lignorum c[illegible]ge[illegible], ſive quocunque alio onere gravem, manibus è terra extollebat. Duos p[illegible]terea ex robuſtiſſimis ſimul aggrediebatur, dumque alterum attrect[illegible] terum genibus compreſſum urgebat, nec antea deſiſtebat, quam pri[illegible] deinde illum pedibus ſubjiciendo, amborum manus poſt terga vinci[illegible] quum Plumbinum, Florentinorum eo tempore oppidum, ab Alfonſo A[illegible]goniæ & Siciliæ Rege obſideretur, à tribus hoſtium equitibus petitus u[illegible] ex eis gladii capulo ſeminecem equo excuſſit; alterum citato equ[illegible] amplexus è ſella extractum humi proſtravit: tertium cubito gra[illegible]ter per[illegible]ſum in fugam vertit. Singulari certamine quater prœliatus, bis in It[illegible] in Gallia Tranſalpina toties victor evaſit. Eodem modo in Cl. Mari[illegible] Siciliæ Chorographia legimus, eundem (quem tamen nominat Ga[illegible] Bardaxim Catinenſem Patricium) ad Gigantis prope ſtaturam acc[illegible]manique corporis noſtræ ætatis vires exceſſiſſe. Is, inquit, u[illegible] viderunt, referunt, aſinum lignis oneratum manibus à terra [illegible], e[illegible]quumque abſque freno velociter currentem, tranſverſum li[illegible] coxis cruribuſque ſiſtebat. Quin etiam Tamerlanem Scyth[illegible]rem ferunt corpore ingenti, validiſque nervis adeo firmo la[illegible] ſe, ut Scythici arcus ingentis chordam, quod pauciſſimis præſt[illegible]tra aurem extenderet, cupreumque mortarium pro ſcopo ſ[illegible] propoſitum emiſſæ arundinis ſpiculo perfoderet. Simile al[illegible] Herodotum de Æthiopum Rege, qui Macrobii appellantur. [illegible] & fortitudine noſtrorum patrum memoria Georgius Frö[illegible] in Mindelhaim fuerit præditus, multi adhuc norunt. Et extat [illegible]culiaris quoque liber, continens ejus res geſtas, in noſtra [illegible] conſcriptus. Etſi autem idem Jovius in illum tanquam h[illegible] aculeos orationis intendit, tamen prædicat tandem ejus f[illegible]bur. Poſtquam enim recenſuit, quam utilem ope[illegible]am C[illegible]rolo V[illegible] præſertim in pugna ad Biccocam, & prælio Ticinenſi, [illegible] quo Rex F[illegible]ſcus captus eſt, navaverit, utpote, qui in iſto prælio q[illegible]es, extra[illegible]ria vero acie ſupra vicies, ut fertur, dimicaverit. Fuit, inqu[illegible], Georgius [illegible]brorum robore uſque adeo validus, ut extento t[illegible]ntum [illegible] dextræ [illegible] digito, validiſſimum quenque firmo innixum veſtigio fac[illegible] dimove[illegible]ter currentem equum arrepto freno, ſiſteret, tormentumque mu[illegible] innitens humero, quo vellet, propelleret, in itinere fac[illegible] caret equum & pedibus gregariorum militum & juvenum [illegible] iret. Simili robore & viribus corporis conjuncta [illegible]gnitudin[illegible] [illegible]

[illegible]

[illegible] dentia excelluisse generosum Baronem Joannem Schwartzeber-[illegible], non semel audivi à parente meo, qui familiariter cum illo [illegible]. Ajebat enim, se aliquoties observasse, quod articuli ma-[illegible] exteriores quasi nervi & velut cornei apparuerint. Porrò vulgatam [illegible], vestem eum satis firmam (quas nos numularias vocamus) facilè [illegible], ferrum quod soleis equorum impingi solet, nullo negotio flectere [illegible]. Ejusdem roboris fuit Potocova Polonus fortiss. Cosacorum dux, [illegible] fœdifragus & pacis violator, in comitiis Varsoviensibus, urgen-te [illegible] Legato Turcico, permissu Regis Poloniæ Stephani superiori-bus [illegible] te plexus est. Tantum n. hoc Potocovæ robur erat, ut equo-rum [illegible] ferreas, etiam recentes, nullo negotio manibus instar chartæ, vel [illegible], rumperet, ut Leonclavius noster notavit. Perhibetur et-iam [illegible] Fuchsium in Burchpraitbach, nobilem Francum, (qui in bel[illegible] gessit Albertus Dux Saxoniæ contra Phrisios, admirabilia facino-ra [illegible] edidit, tandemque insidiis ab incolis, qui illum vernacula lin-gua [illegible] quam Grotte fosse, hoc est, grandem vulpem nominarunt, ex-ceptus [illegible] fectus est) inusitatæ magnitudinis & roboris fuisse, cujus o-cre[illegible] parens meus piæ memoriæ vidit apud Wilhelmum illius fra-trem, [illegible] cum esset mediocriter procerus, usque ad axillas attigisse a-[illegible] tum lusit: *In supplem. annal. Turcicor.*

[illegible] exuvias equitis pace inclyti & armis,
[illegible] habuit veteris grandia membra status,
[illegible] hac arca, ast ipsum trux Phrisia bello
[illegible] priscis ne monumenta tulit.

[illegible] Reineccius quoque suis originibus Illustriss. stirpis Brandenbur-[illegible] historiam Georgii Sabini, qui scribit in monumentis Branden-[illegible] inventa fuisse ossa tam grandia, ut tibiæ attingerent co-[illegible] mediocris staturæ. Hinc apparet, quod nostra ætas & [illegible] etiam [illegible] viros produxerit, quos fortitudine & robore cum veteri-[illegible]. Imo ne unus quidem ex omnibus, quorum mentionem [illegible], comparari potest, cum Ænothero gigante ex Durgia pago Sueviæ [illegible] sub Carolo Magno militavit, & hostes in modum fœni demetere, [illegible] morem [illegible] hasta veluti cuspide fixos, humeris suspendere [illegible]. Si modo verum, ut, quæ de illo Aventinus refert. Etsi autem [illegible] los Rolando filio Bertæ sororis Caroli Magni, qui per-[illegible] Saracenis exercitu ejus profligato, nimia defatigatione & [illegible] dicitur, molem inusitatam corporis ascribere, idque probare [illegible] armatis, quæ instar Gigantum Magdeburgi, Zervesti, in [illegible] & aliis Saxonicis civitatibus, pro signo libertatis, & immunitatis; qua *In vita Florenii Marchionis Brandeburgensis.*

 nobilio-

nobiliores urbes gaudent, à Carolo Magno & Ottonibus Imperatoribus do-natæ, paſſim in foro conſpiciuntur, & hodierno die Rolandi vocantur. Inprimis autem Brandeburgi, in novæ civitatis foro, immenſæ magnitudinis, & inargentata collocata eſt. Hæc tota eſt armata, præter caput, ac dextra manu enſem tenet erectum, tamen à fide dignis non ſemel au[illegible] Franciſcum I. Regem Galliarum, monumentum ejus, cupiditate cognoſ[illegible] vera eſſent, quæ de illo ſpargerentur, aperire juſſiſſe; oſſaque eju[illegible] arcu putrida, verum panopliam & arma, licet ærugine obducta, inte[illegible]men reperta fuiſſe, hæc Regem induiſſe, quæ ita ſuis artubus com[illegible] fuerint, ut manifeſto apparuerit, Rolandum Regem Franciſcum no[illegible] ſtatura corporis ſuperaſſe. Notum autem eſt, hunc Regem, licet p[illegible] fuerit, tamen virilem ſtaturam non admodum exceſſiſſe. Sane in urb[illegible]gionum, aliiſque civitatibus ad Rhenum, paſſim oſtenduntur oſſa [illegible] in locis, quæ dicuntur fuiſſe priſcorum heroum. Verum utrum p[illegible] ſint, an hominum, dubitare multos audivi. Sic Octavius Aug[illegible] re Suetonio, villas ſuas oſſibus magnarum belluarum, quæ [illegible] dicta ſunt, exornare ſolitus fuit. In Italia quoque Puteolis v[illegible] pendæ magnitudinis, cum hac inſcriptione, cujus autor per[illegible] Pomponius Lætus:

Huc quicunq; venis ſtupefactus ad oſſa Gigantum,
Diſce cur Hetruſco ſint tumulata ſolo.
Tempore quo domitis jam victor agebat Iberis
Alcides captum longa per arva pecus,
Colle Dicæarcheo clavaq; arcuq; Typhones
Expulit, & ceſſit noxia turba Deo.
Hydruntum petiit pars, & pars altera Thuſcos,
Interiit victus terror uterq; loco.
Hinc bona poſteritas immania corpora ſervat,
Et tales mundo teſtificatur avos.

Huc non incommodè referri poſſet narratio Hermoni[illegible] Eremitæ Ægypt[illegible] de multis ſtupendis rebus, ſicut à Franciſco Patricio rec[illegible]ſentur, [illegible] tius curioſitatem illam fabuloſam Ægyptiorum, quam [illegible] re-doleret. Inter alia autem, inquit, iſtud adhuc memo[illegible] traditum [illegible]vamus, quod in primo annorum ambitu homines fuerunt uſque adeo [illegible] corpore, ut pedibus in terram nixi capita inter ſidera c[illegible]t, & F[illegible] mos fuiſſe appellatos; atque ſecutos deinde alios annor[illegible] ſucceſſ[illegible] mos nomine, paulo minores, ſed qui tamen capitibus nu[illegible] quos alii itidem grandes poſtea ſecuti ſunt, in Ægypto G[illegible] nunc [illegible] vos puto gigantes appellatis, cujuſmodi certè uſq[illegible]e ad N[illegible]

Dialog. 3. de hiſtor.

dur[illegible]

... & ut erant grandi corpore, ita etiam per multos annos sani inco... vivebant. Sed à diluvio cœpere omnia in pejus ruere, cum in cæ... tum maximè in iis, quæ artes atque virtutem concernunt, &c. ...us autem ista præter fidem & hyperbolica esse, attamen mira ... his non multum diversa, quæ Thom. Fazelli, de gigantibus eo... origine, & quam multa stupendæ magnitudinis corpora & ossa in ... reperta sint, tanquam αὐτόπτης scribit. Ad illum remitto studiosum ... (ne in reprehensionem nonnullorum recurram, me insolitis, & ... redoleant, delectari) ubi adjuncto peculiari libro Johann. Cas... Gigantibus multa reperiet mirabilia, & lectu digna. In Britannia ... olim quoque Gigantes fuisse, testantur versus, quos Camdenus ex ... ita refert: *De rebus Siculis prioris decad. lib. 1. cap. 6. & c. 1. lib. 1. poster. decad.*

——— ——— Titanibus illa
Sed paucis famulosa domus, quibus uda ferarum
Terga dabant vestes; cruor haustus: pocula trunci:
Antra lares; dumeta thoros; cœnacula rupes;
Præda cibos; raptus Venerem; spectacula cædes;
Imperium vires; animus, furor, impetus arma,
Mortem pugna, sepulchra rubus: monstrisq; gemebat
... tellus, sed eorum plurima tractus
... occiduus, terror majorq; premebat
... extremum Zephyri Cornubia limen.

Eodem modo ... literis; utpote in Genes. Num. Deut. Jehosua, Judic. Sam... aliisque locis legimus, & ante & post diluvium Gigantes ... inter quos Goliath, qui à David de inermi, funda sua, adjuto... interfectus fuit, non postremus recensetur, ejus moles & robur ex ... potest. Habuit enim loricam quinque millium siclorum ... hastam vero instar jugi textorii & in hasta ferrum seu cuspidem ... siclorum, ut facilè credi possit, sicut in libris Samuelis vide... sex cubitorum cum palmo fuisse. Cubitus vero, si rationem Græ... sequamur, duos pedes habet, sin vero Latinorum, sesquipedem, ut di... observat Petrus Martyr. Ob hanc ejus immanem corporis mo... à David mediocris staturæ juvene unico ictu lapidis prostrata fuit, ...or, scribit Philo Judæus, Davidem ei moribundo monstrasse ange... Domini Cervihelem præpositum super Virtutem assistentem. Quo con... dixisse Goliathum, (quem ibi Goliam nominat) Non solus occidisti ... erat, cujus species non est, sicut species hominis. Demon... ibidem Philo conatur, Davidem & Goliam fuisse consobri... Sed sit fides penes autorem. Conjiciamus præterea Ogi Regis Basan ingen- *In lib. Iudic. cap. 1 & 6. In Bibliis antiquis.*

voluerunt, ubi finxerunt Cyclopes, Titanas, aliosque Gigantes ad Phle-[illegible] ob bellum superis illatum Jovis fulminibus extinctos. Reliqua & non [illegible], ut paulo ante diximus, studiosus lector ex Fazello & Cassione pe-[illegible] poterit.

Caput LXXXIII.

Vesper Siculus, & de aliis laniens improvisis.

REgnante Carolo Andegaviensi, post natum Christum Anno M. CC. LXXXI. in utraque Sicilia, ejus milites præsidiarij, Galli omnes, propter ipsorum, ut fertur, libidinem & rapinas Siculis ita exosi fuerunt facti, ut nihil aliud cogitarent, quam quo pacto sese vindicare & jugum ipsorum à cervicibus excu-[illegible]. In hac re præ cæteris strenuus sedulusque fuit Johannes à Pro-[illegible], [illegible], & qui Manfredo Rege, Dominus ejus insulæ fuerat, ut [illegible], vel ut Collenucius vult, Regis Manfredi Medicus, & ab eo [illegible]. Hic quum ejus uxorem Galli, ut Petrarcha refert, vio-[illegible], [illegible] adimis scribit, mortuo Manfredo Rege à Carolo ejus suc-cessore, [illegible] suis privatus esset, ira & vindictæ cupiditate instigatus, nec non [illegible] & familiaritate præcipuorum & nobilium viro-rum [illegible], eorundem ope & auxilio mirifica consilia agitare cœpit, quibus [illegible] irretire, & in insidias præcipitare, imo ipsorum nomen funditus [illegible]. Ob hanc caussam primo profectus est Constantinopolim [illegible] Michaelem Palæologum, eique conatus & insidias Caroli contra i-[illegible], vel [illegible], vel veras indicavit, donec persuasus fuit, omnes ejus actio-[illegible] [illegible], [illegible] ratione Græcorum animos ab Imperatore, vel abalie-[illegible] [illegible] aliquam contra illum excitare posset. His veluti funda-[illegible] jactis, ad Petrum Regem Aragoniæ in Cataloniam se contulit, huic n. [illegible] nupta Constantia, soror Regis Manfredi, eique detexit quod moliretur [illegible] Gall[illegible], promittens simul communi nomine Siculorum, si res pro-[illegible] succederet, eum ad regni Siciliæ moderamen unanimi consensu pro-[illegible], vocatum iri; cum præsertim ejus conjux hæres legitima, & non pro-[illegible] adesset. Omnibus autem illis non contentus, semel atque iterum Ro-[illegible] ad Papam Nicolaum III. venit, cui multis rationibus suasit, ut promit-teret, si Galli ex Sicilia expellerentur, vel cæderentur, se Regi Petro, nomine

Lib. 7. de rebus gestis Francor.

conjugis ſuæ inveſtituram regni Siciliæ conceſſurum. Iſta omnia ipſe indutus cucullo & habitu monachali, ut ſub ficta religione tutior, hinc inde facilius excurrere poſſet, tanta taciturnitate, & occulta calliditate, & quidem octodecim menſibus peracta ſunt, ut deinceps omnibus mirum atque inſolitum fuerit, qua ratione tam ardua & difficilia conſilia inter tot & diverſos homines, variasque nationes, agitata, tamdiu ſuppreſſa fuerint, & non emanarint. Teſſera autem, vel ſymbolum hujus cruentæ tragœdiæ fuit. Quando ipſo die, vel ut alij volunt, tertia feria Paſchatis, hora pomeridiana ſolita ſignum campanis ad veſpertinas preces (ſicut ſingulis, præſertim diebus feſtis majori ſolennitate conſuetum eſt) daretur, confeſtim omnes qui arma ferre poſſent, facto unanimi impetu, conjunctis virib[illegible] concurrere debere in toto regno Siciliæ, ad delendos Gallos. Dato conſci[illegible] hoc ſigno, deſtinata hora in tota Sicilia ſubito & veluti uno momento [illegible] verſis locis conclamatum fuit ad arma, & Galli improviſa re, & tam cel[illegible]rimo feſto plerique inermes, ex omnibus inſulæ angulis concurſu m[illegible]dinis efferatæ extracti, ita oppreſſi, & ad unum omnes occiſi ſunt, ut f[illegible] etiam gravidis, & infantibus (ne reliquiæ Gallorum, vel ut Hebræorum proverbium eſt, ne mingens ad parietem ſupereſſet) non parceretur. [illegible] autem autores, Siculos in illa laniena tam avidos ſanguinis G[illegible]ſe, ut ex tot millibus (Fulgoſius enim ſcribit VIII. millia Gallorum militum interfecta fuiſſe) non habita ratione ſexus, aut ætatis, ne unus quidem evaſerit, præter paucos, qui in munita arce Sperlinga ſe tutati ſunt, qui tamen omnes paulo poſt deficiente commeatu, obſeſſis omnibus itineribus, inediæ perierunt. Ob eam rem poſtea, quaſi notæ nomine ſupra portam inſculptum eſſe ferunt;

Quod Siculis placuit, ſolum Sperlinga negavit.

De reb. Sicu. poſterior. decad. lib. 8. Scribit autem Fazellus ſuo tempore Panormi in æde divorum Coſmæ & Damiani, alijsque vicinis ſacellis, ex hac cæde Francorum cadaverum ob[illegible]que congeries, ſtruesque maximas extitiſſe. Is nuncius Romam ad [illegible] delatus ejus animum mirifice turbavit, unde vocem illam protulit, [illegible] *Li. 3. annal. Francor.* Ricordanus, & Franciſcus Melaſpinus illius ætatis hiſtorici, ſicut a Papirio Maſſono citantur, memoriæ mandarunt: QUANDO FORTUNAM MIHI ADVERSAM ESSE VIS DEUS, FACITO UT SENSIM AMITTAM, QUÆ BREVI TEMPORIS SPACIO PARTA SUNT. Hoc etiam illi accidit. Etenim, licet omnes & extremos conatus adhiberet: tamen neque ſuis neque alienis virib[illegible] Siciliam recuperare potuit, fortunam indies magis magisq; adverſam ex[illegible]tus, quæ ubi alumnos ſemel deſeruit, nullis artibus revocari conſuevit. F[illegible] autem alioquin Carolus, vir non acri modo ingenio ad prudenter cogitandum, ſed etiam ea quæ decreviſſet, ſtrenue exequebatur, & animi vigore, præ-

præstantique sapientia majores suos longo intervallo superabat. Paulus autem Æmilius eandem historiam ita recenset: Rei nefariæ conjuratio, anno ejus seculi octogesimo primo sanctis diebus facta, sanctissimo omnium anni tempore scelus admissum: Dies Domino resurgenti festus, cum ex templorum turribus campanæ sonitu consuetudine quotidiana signum ad vespertinos hymnos daretur, ater funestusque Francis factus. Tota insula cædes inermium, nihil timentium, incautorumque Francorum uno temporis vestigio fœde facta. Paulo post inquit. Defectio Siculorum, ut frequentior fama prodit, à me commemorata est: sed sunt nõ contemnendi autores consternationis initium à Panormitanis ortum: cum die sanctæ resurrectionis ad templum, quod ad montem Regium, tertio à Panormo lapide abest, religionis causa, promiscue conveniretur. Francos per causam scrutandi, si quis cum telo esset, etiam matronas virginesque excutere licentiusque pertentare sinus, tractareque cœpisse. Ea ex re ira viris mota, primum lapidationem factam: mox ex urbe arma correpta & Francos cæsos. Hac continuo fama Siciliam totam pervagante, à nullo Franco usquam temperatum. Quum ad Pontificem de hac consternatione ageretur, à Panormitanis missos ad eum viros sanctos, qui ad pedes illius strati, velut pro ara hostiaque Christum agnum Dei salutantes, illa etiam ex altaris mysterijs verba supplices effarentur: *Qui tollis peccata mundi, miserere nostri*, iterum: *Qui tollis peccata mundi miserere nostri*. Tertium: *Qui tollis peccata mundi, miserere nostri, da nobis pacem.* Pontificem respondisse, Panormitanos agere, quod Judæi fecissent, qui quũ Christum pulsarent, eundem Regem Judæorum salutabant: re hostes, fando salvere jubentes. Hæc Æmilius. Igitur expulsis & deletis ex universa Sicilia (quæ auctore Thucydide, in circuitu patet, quantum navis magna possit obire intra dies octo, & à continenti distat, circiter viginti stadijs) hoc cruento astu Gallis universis, Petro Aragoniæ Regi ejusque conjugi Constantiæ, utpote legitimæ hæredi regnum Siciliæ restitutum est. Hinc ortum est proverbium de vesperis Siculis, quod passim nunc in ore est, propter *Matinees Parisiennes*, sicut Gallice vocantur, in quibus alijs tamen de causis, tantum Christiani sanguinis, ab ijs qui Christianissimi perhiberi volunt, effusum est, ut passim rivuli ejus in plateis fluerent. Quin imo tamdiu in utrumque sexum sævitum est, quoad publica & nobilissima flumina repleta cadaveribus & atrata sanguine conspecta sint, ita ut accolis etiam longe dissitis, usus aquæ ad potum aliasque res necessarias, nec non & esus piscium humana carne saginatorum, magna cum exceratione crudelitatis, & inauditæ carnificinæ, aliquantisper exosus & inutilis fuerit. Agathias tradit olim Francos à Narsete ita in prælio ad internecionem usque cæsos esse, ut circa Capuam campi cruore & sanie inundarint, & proximum flumen excesserit

ſerit ripas, quia ultra quã ferre poſſet hoſtium cadaveribus repleretur. Ideoq; ibi in Caſilini fluminis ripa talem inſcriptionem in lapide factam eſſe: AQVAS CASILINI FLUMINIS MORTUIS GRAVATAS SUSCEPIT TYRRHENI MARIS LITTUS. QVANDO FRANCORUM GENTEM OCCIDIT AUSONIUS ENSIS, UBI MISERO HÆC GESSIT MOREM BULTINO. FELIX ETIAM ISTE FLUCTUS ET ERIT BARBARICO PRO TROPHÆO DIUTINE ERUCTANS SANGUINEM. Hæc autem cædes in juſta acie contigit Francis ab externo hoſte, ideoq; trophæum victoribus ſicut & olim; teſte Thucydide, & deinceps uſitatum fuit, ſtatuere pro libito licuit. Verum recens laniena Lutetiana, & alibi paſſim in toto regno Galliæ, cujus mentionem fecimus ſub prætextu nuptiarum, & quidem in eos qui ab omni fraude inſidijsque fidentes ſolenni fidei regiæ, in lectis ſecuri quieſcebant (ſiquidem verum eſt prov[erbium] Gallicum: *Qu'il aiſe à tromper qui à nul mal ne penſe.* Unde experienti[a] ... tur, quod nemo celerius opprimatur, quam qui nihil timet: & freque[nti]ſſimum initium calamitatis ſit ſecuritas) perpetrata eſt: & ab ijs, qui veluti [de] ipſis dextram ſuam ſiniſtra abſciderunt. Non ſecus ac olim Macedoni[æ] accidit. Ea enim ut Juſtin. deplorat, in duas partes diſcurrentibus ducibu[s] in ſua viſcera armabatur, ferrumq; ab hoſtili bello in civilem ſanguinem vertebat exemplo furentium manus ac membra ſua ipſo cæſura. O rem cum [vi]ſu crudelem, tum auditu nefariam! cujus labem nullus Oceanus poſſit eluere. Simile aliquod propemodum Veſperis Siculis accidit olim, ut veteres hiſtorias recentioribus conferamus, cum aſtu Mithridatis (vel ut Golzius [habet], Mithradatis) multa millia Romanorum in Aſia ex improviſo, diverſis locis ſi nul necata eſſent, hic teſte Appiano Alexandrino, Eupator Dionyſius, cognominabatur. Miſit enim literas ad urbes regio ſigillo munitas, juſſitque uno die mandata exequi, ne qui re præcognita ſibi caverent. Pr[æmia] inſuper non ipſis tantum interfectoribus, ſed & populis apud quos c[æde]rentur, pro numero cæſorum propoſuit; contraque magnas pœnas comminatus eſt ijs, quæ illis pepercisſet. Eodem modo teſte Herodiano, Parthis improviſa clades ab Antonino Caracalla ſub prætextu nuptiarum, dum immemor jurisjurandi præſtiti, eos inermes & ſecuros, utpote novum ſponſum excepturos, cum parato exercitu invaderet, magna contra ipſum indignatione & deteſtatione perjurij, accidit. Qui etiam non quieverunt, donec collectis viribus, recuperatis captivis & rebus ademptis, Romanos ad iniquas pacis conditiones adigerent. Sed recentior eſt inopinata & miſerabilis cædes & exitium Equitum & ordinis univerſi Templariorum, qui hæreſeos, admiſſæ libidinis, contemptæ crucis, læſæ Majeſtatis, aliorumque nefandorum criminum & flagitiorum accuſarentur, quæ à Gaguino recenſentur: tamen eos Regem Philippum Pulchrum, falſis aulicorum perſuaſio-

Lib. 13.

Florus in Epitome ſuper LXXXVIII. librũ Livij & Suidas in hiſtoricis.

Lib. 7 c. 5. hiſt. Franc.

suasionibus, & spe lucri, fictisq; criminationibus instigãte Clemente V. Pontifice Romano, inductum, insontes accusasse, & supplicium de illis sumpsisse, pleriq; tradunt. Inter hos Papirius Massonus suam narrationem de hac re ita concludit: Quid hic lectores dicturi sunt? Regem illum certe impium, pontificem inclementem fateantur necesse est, mitiorem n. sententiam dicere non possint. Paulus Æmilius autem, ubi hujus rei mentionem facit. Sunt non obscuri autores, inquit, Jacobum Burgundionem ordinis principẽ quum productus ad supplicium; circumfusa ingenti multitudine, dum pyra extruitur, staret, proposita vitæ spe ac impunitate, si quæ in custodia fassus de se suisque esset, nunc quoq; confessus veniam publice peteret, hujusmodi verba fecisse. « Ego nunc supremis rebus meis, quum locum mendacio dari nefas sit, ex animo vereq; fateor, me ingens in me meosq; scelus conscisse, ultimaq; supplicia cum summo cruciatu promeritum, qui in gratiã, quorum minime decuit, dulcedineq; vitæ, flagitia impia sceleraq; ad tormenta ementitus sum in ordinem meum de religione Christiana optime meritum. Nec mihi nunc vita opus est precaria, & novo super vetus mendacio retenta. Exin rogo impositũ, ac admoto paulatim igne primoribus pedibus, ad exprimendã scelerum confessionem, ne tunc quidem, quum reliquo corpore depasto vitalia fœdo nidore torrerentur, ab hujus orationis constantia descivisse, aut mutatæ mentis ullam significationem præbuisse, neq; ipsum neq; duos cum ipso supplicio affectos nobilissimos ejus ordinis viros quorũ alter esset Delphini Allobrogis frater. Factum hoc est, ut dixi Clemente V. Pontifice Rom. cum universus ille ordo Equitum; antea anno M. CCC. XI. in Concilio Viennensi cõdemnatus, & neci destinatus fuisset. Non mitiorem lanienam, sed multo atrociorẽ Amanus, excæcatus ambitione, odio, vindictæq; cupiditate machinatus est, parumq; abfuit, quin eam perfecisset, Ahasvero Rege potentissimo imperante, sicut in sacris literis legimus. Instinctu n. istius ambitiosissimi atq; insolentissimi hominis omnes Judæi una cum uxorib. & liberis, in toto Ahasveri (quem nonnulli Cambysen filium Cyri, alij autem, & rectius ut puto, Darium Hystaspis, patrẽ Xerxis, fuisse autumant) regno centum videlicet & viginti provincijs, degentes, quorum fuit innumerabilis multitudo, uno die, is erat tertius decimus mensis duodecimi Adar; (qui forte peculiari ad hanc cædem electus fuerat, & in nostrum Februarium incidisset) jussu Regis, dolosis & subreptitijs persuasionibus decepti, prætextu religionis & rebellionis crudeliter interfecti, & bona eorum direpta fuissent, ni Deus reginam Esther, quæ etiã Edissa, Atossa, Aristona & Hadassa appellatur, excitasset, eaq; detectis falsis delationibus Amani, animum Regis machinationibus dolosis & cruentis in auctorem, & omnes suos versis, ad saniora consilia pietate & prudentia sua flexisset, & hac ratione suum populum ab exitio imminenti conservasset.

Li. 8. de reb. gestis Franc.

Lib. Esther c. 3.

Caput LXXXIV.

De nonnullorum nefanda vindictæ cupiditate.



CUm Roma per Picenum iter una cum ſodalibus facerem, tranſeundum nobis fuit oppidum hodie Terni appellatum, quod Veteribus Interamna Umbriæ fuit, ſitum in valle amœniſſima & fertiliſſima velut inter ramos Naris fluvij. Municipium verò Romani populi fuiſſe plures antiquæ marmorum inſcriptiones demonſtrant, cujus, ni fallor, etiam Cicero, Livius, Plinius & alij ſæpius mentionem faciunt. Nam & aliam Interamnam ad Lirim fluvium in Latio, coloniam Romanorum olim fuiſſe, eamq; veteres Interamnam Lirinam appellaſſe, ad differentiam municipij in Umbria ejuſdem nominis, de quo nunc loquimur, nonnulli ex recentioribus autoribus notarunt, inter quos eſt antiquitatis ſedulus indagator Pighius. In ingreſſu, ſupra portam hujus oppidi, in excelſa turri conſpeximus tabulam, in qua affixi erant, ut nobis primo intuitu videbatur, plures veſpertiliones, quod quum nobis inſolitum eſſet, & ambigeremus quid in tabula iſta, in tam conſpicuo loco potiſſimum, propoſitum eſſet, quidam ſciſcitantibus nobis retulit, quid paulo ante accidiſſet. Fuerunt inquit, in hoc oppido duæ nobiles familiæ, divitijs & clientelis potentes, quæ longo tempore capitales inimicitias inter ſeſe exercuere, ita hæc odia illis hæreditaria, multique utrinque interfecti fuerint. Taudem una ex illis propter nimiam cupiditatem vindictæ, moræ impatiens conſtituit, non unum atque alterum ex adverſarijs, per ſicarios, paulatim ex inſidijs e medio tollere: ſed uno impetu univerſam familiam adverſæ partis funditus delere. Convocarunt igitur ſub alio prætextu ex agro vicino ex clientelis ſuis magnam multitudinem hominum in oppidum, eoſque una cum ſuis ſicarijs domeſticis, qui hodie Pravi vocantur, clam armis inſtruxerunt, juſſeruntque ut parati eſſent, ſigno dato ad aliquod egregium facinus perficiendum. Mox captata occaſione, nocte intempeſta eos armatos ad prætorium clam adduxerunt, & præfectum oppidi, nihil tale metuentem, in ſuam poteſtatem redegerunt, relictiſque aliquot, qui prætorium cuſtodirent, donec ſuam intentionem perfeciſſent, ne ſignum aliquod tumultus vigiles civibus dare poſſent, magno deinceps ſilentio ad ædes adverſariorum acceſſerunt, cæteriſque in angiportu ſubſiſtere juſſis, decem circiter ex eis Prætorem, vel-

In Hercule Prodicio.

uti

juſſu domeſtici eo deduxerunt, cumque coegerunt, ut pro autoritate ſua ſibi patefieri ædes juberet, quaſi rem ſeriam cum familia adverſæ partis abſque mora tractaturus, cum hac interminatione, ni faceret, ſe illico ſicas confoſſum iri. Prætor animadvertens in inſidias ſe delapſum & ſubito metu perterrefactus, paruit, juſſitque aperiri januas ædium. Illi viſo Prætore, nullasque inſidias ipſo præſente metuentes, portas omnes, alioquin bene munitas patefecerunt, eumque, cum facibus obviam progreſſi, honorifice exceperunt. Patefacto aditu, Prætoreque in veſtibulo, cuſtodibus adhibitis, relicto, mox reliqui ſubſidiarij omnes, ſigno dato, in ædes adverſæ factionis irruerunt, omnesque quos repererunt, mira crudelitate, & plane diabolico furore inſtigati, non habita ratione ætatis, aut ſexus interfecerunt, ita ut equis generoſioribus non parcerent. Peracto hoc ſcelere, Prætorem juſſerunt portas oppidi reſerare. Quod is attonitus pavore, & incertus de ſua ſalute, continuo fecit. Egreſſi igitur ſimul ex oppido, varia latibula quæſiverunt, nonnulli enim ex illis ſicarijs cautiores, portus maris vicinos petierunt, alij ad amicos fideliores diverterunt. Verum ut illi omnes, paucis exceptis, beneficio maris evaſerunt, ita hi evulgato rumore tam horrendæ carnificinæ, plerique perquiſiti & ex latibulis extracti, meritisque ſupplicijs ſubjecti ſunt, poſt membratim diſſecti, eorum manus & pedes, in tabula, quam intrantes oppidum ſupra portam in turri conſpexiſtis, affixi, oculis hominum ad terrendum alios facinoroſos expoſiti ſunt. Hi aduſti ſole, propter altitudinem turris, inſcijs hujus tragœdiæ veſpertiliones videri poſſent. Nos audita hac horribili laniena, crudelitatem hanc & vindictæ cupiditatem deteſtati, iter noſtrum proſecuti ſumus. Etſi autem hoc facinus deteſtandum, & immane fuit, tamen Jovianus Pontanus majorem, & plus quam belluinam rabiem quorundam recenſet. Etenim, utpote Chriſtianorum, meo judicio, longe ſuperat Locrenſium Ethnicorum vindictam atrociſſimam, quam injuria affecti publica, de uxore & liberis Dionyſij junioris teſte Athenæo ſumpſerunt. Nam quum miris modis in eos ſævijſſent; tandem contumelia ſatiati, carnem ſub manuum digitis acubus pungentes, interfecerunt: poſt oſſibus defunctorum in mortario contuſis, & conciſa minutim carne reliqua, eos devorerunt, qui non aliquid inde guſtaſſent: deinde poſteaquam diras ſunt imprecati, carnes eas molis obtriverunt, ut ab ijs vorarentur, qui fruges alimenta ſibi molebant, & quærebant: reliquias autem in mare demerſerunt. Aviam meam Leonardam, inquit Jovianus, rariſſimi exempli matronam, non ſine multis lacrymis puer audiebam referentem, quum inter digladiantes quaſdam inter ſe familias inimicitiæ ſummis exercerentur odijs, captum quempiam factione ex altera, cumque è veſtigio conciſum in minutiſſima etiam fruſta, moxque exemptum illi jecur, in prunis, candentiſſimis-

Lib. 11. c. 19. in dipn.

que

que carbonibus, à factionis ejus principibus toſtum, perque buccellas minutim diſſectum inter cognatos ad id invitatos in jentaculum diſtributum. Quæ autem luporum tam anhelata rabies, aut ſævientis pro erepta prole tigridis hanc ipſam ſuperaverit? Allata etiā poſt deguſtationem tam execrabilem pocula, non ſine collecti cruoris aſpergine: congratulationes habitæ inter ſe, riſus, joci, leporesq; cibum ipſum condientes. Deniq; & dijs ipſis propinatum, tantæ vindictæ fautoribus. Similem hiſtoriam de Trincio Umbro idem refert. Conradus Trincius, inquit, qui Fulgineæ in Umbria imperitavit, cæſo Nicolao ejus fratre à præfecto arcis Nucerinæ, ob adulterij ſuſpicionem, præfectum ipſum ita expugnare aggreſſus eſt, ut ille, amiſſa tandem omni ſpe evadendi, interfectis prius uxore & liberis, ſeſe è ſumma turri dejecerit, ne vivus in Conradi poteſtatem perveniret. Itaque Conradus deceptus opportunitate in vivum illum ſæviendi, quotquot familiares, cognatos, amicos, notos, quiq; cum illo conſuetudinem exercuiſſent aliquam, captos cruciatosque ad excarnificationem, ad ultimum communi in fruſta exenterariq; imperavit, ac per ſentes, maximeq; frequentium v[illegible] ſepes ac margines eorum viſcera inteſtinaq; ſuſpendi ac paſſim diſp[illegible], ut neque aut vindictam appellare hanc poſſis, aut punitionem. Hæc Pontanus. Leander quoq; in ſua deſcriptione Italiæ recenſet hiſtoriam, quæ ſuo tempore accidit ſane memorabile, tum propter crudelitatem belluinam tum pœnam tyrannidis. Altobellus quidam civis Tudertinus, patriæ ſuæ, neſcio quā de cauſa, bellum intulit, eamq; occupavit. Quum a. in cives ſuos mira [illegible]delitate non ſolum aliquantiſper ſævijſſet, ſed vicina oppida & ditionem excurſionibus hoſtilibus & rapinis afflixiſſet, tandem ab exercitu pontificio pro[illegible] & captus eſt. Mox in publico loco nudus tabulæ affixus, ut omnes q[illegible]ſet, de eo vindictam ſumere poſſent. Accurrerunt igitur matres, [illegible] liberis orbatæ eſſent, ſicut rabioſæ feræ, ex quibus nonnullæ de[illegible] corpus dilaniarunt, aliæ alijs modis eum ſauciaverunt. Patres quo[illegible] amici eorum, qui ab eo interfecti erant, oculos, cor, & alia membra extraxerunt, nihilque omiſerunt, quo cruciatus ejus augeretur. Verum ille magna obſtinatione omnia conſtanter tulit, affirmans nihil novi ſibi accidere, ſe enim iſtud ſupplicium animo ſuo jampridem concepiſſe. Tandem mortuo illo, erga cadaver nihilominus ſævitum eſt, diſſectum enim ita lacerum, in minutas partes & ad pondus, ſicut aliæ carnes in macello ſolent, divenditum eſt ijs, qui nondum ſatis vindictæ de eo ſumpſiſſent, ut quod reliquum eſſet, devorarent. Res ſane auditu horrenda, multò magis viſu nefanda, emptam eſſe carnem humanam ab hominibus & manducatam ad ſatiandum animum vindictæ cupidum, &c. Atrociſſima hæc ſunt: ſed in libro Gallico,
Cap. 18. cujus titulus eſt: *Traitte preparate al'apologie pour Herodote*, recenſet autor multo

multo atrocius vindictæ exemplum de Italo quodam, quale vix credi poteſt hominem cogitaſſe, multo minus exuta omni humanitate perfeciſſe. Deus enim, ut Lactantius docet, qui cæteris animantibus ſapientiam non dedit, naturalibus ea munimentis ab incurſu & periculo tutiora generavit. Hominem vero, quia nudum fragilemque formavit, ut eum ſapientia potius inſtrueret, dedit ei præter cætera hunc pietatis affectum, ut homo hominem tueatur, diligat, foveat, contraque omnia pericula & accipiat, & præſtet auxilium. Summum igitur hominum inter ſe vinculum eſt, humanitas: quod qui diſruperit, nefarius & parricida exiſtimandus eſt. Et capite ſeq. Conſervanda eſt humanitas, ſi homines recte dici velimus. Id autem ipſum conſervare humanitatem, quid aliud eſt, quam diligere hominem, quia homo ſit, & idem quod nos ſumus? Diſcordia igitur atq; diſſenſio non eſt ſecundum hominis rationem. Verumq; eſt illud Ciceronis, quod ait, hominem naturæ obedientem homini nocere non poſſe, ergo ſi nocere homini contra naturam eſt: prodeſſe igitur homini ſecundum naturam ſit, neceſſe eſt. Quod qui non facit, hominis ſe appellatione diſpoliat, quia humanitatis officium eſt, neceſſitati hominis ac periculo ſubvenire. Verum ne præter conſuetudinem longius digrediamur à propoſito, audiamus hiſtoriam omnium crudeliſſimam quam plane omiſiſſem, ſi non antea edita fuiſſet, & ignota amplius non cenſeretur. Non enim ignoro, tametſi vere omnia in hiſtoria conſcribenda ſint, aliqua tamen nimis ſcelerata, quæ exemplo ſuo nocere magis, quam prodeſſe poſſint, præſertim junioribus & imperitis, omitti longe ſatius ac utilius eſſe: verum confido, ejus lectionem non plus incommodi allaturā, quam utilitatis, in dehortando ab iisdem ſceleribus, cum præſertim, ut Julius Capitolinus vult, ea in hiſtoria poni debeant, quæ aut fugienda ſint, aut ſequenda. Vel ut Ælianus, eſſe nonnulla memoriæ prodenda, non ut ad imitationem eorum inducamur, ſed ut fugere & declinare poſſimus. Ob eam cauſam eandem hiſtoriam Johannes Bodinus (qui alioqui valde cautus in recēſendis iis, quæ reticenda eſſent, deprehenditur, & Wierum maxime reprehendit, quod nimia licentia & libertate in ſuis libris de præſtigiis uſus fuerit) in ſuam dæmonomaniam inſeruit, quam etiam in ſuo libro de repub. repetit. Italum (vel ut Bodinus, Mediolanenſem) quendam, ait autor ille Apologiæ, odia ſua erga alium ſuum paulo ante familiarem, decem integros annos aluiſſe, & toto hoc tempore multiplices quæſiviſſe occaſiones, quomodo cupiditatem ſuam nefariam vindictæ expleret. Tandem fruſtratum ſua ſpe, humili geſtu & blanditiis ſimulaſſe, ſe plane reconciliatum ſuo adverſario, qui perſuaſus ab illo, abſque metu cum eo (immemor præcepti Siracidæ, qui vetat, inimico fidem unquam habendam, ut enim, inquit, æs contrahit ſitum. ita & pravitas ipſius, atq; ubi abjecerit ſe & demiſſus incedet, ibi adverte animum

In vita Gordianorum.

Lib. 4 cap. 1.

mum & cave ab illo tibi) familiariter, ut antea ſolitus fuerat, converſari cœpit. Obſervato igitur commodo loco, à tergo eum alter ex inſidiis de improviſo aggreditur, & humi proſtrato ſica mortem minatur. Is oppreſſus ab adverſario, quem putabat ſibi reconciliatum, ſuppliciter vitam deprecatus eſt, qui quaſi exoratus, hac conditione ſe illi obtemperaturum promiſit, ſi renunciaret Deo, & omnibus ejus beneficiis, ad animæ ſuæ ſalutem conceſſis. Etſi autem illi n[illegible]ro homini hoc durum eſſet, tamen metu mortis, extremaque neceſſitate coactus, morem ſuo adverſario, licet invitus, geſſit. Sceleſtus ille, indignus qui homo appelletur, aſſecutus id quod voluerat, mox ſupplicem illum ſuum ſica confodit. Neq; hoc facinore nefando contentus, auſus fuit præterea gloriari, ſe tam exoptatam & ſuavem vindictam de ſuo inimico ſumpſiſſe, qualem nunquam ſperare auſus fuiſſet. Non ſolum enim corpus inimici ſe confeciſſe, ſed etiam autorem fuiſſe, ut a[illegible] ſuam abjuratione ſua perdiderit. Utinam autem hic crudelis ſicarius, ſi Platonem, tanquam gentilem, monitorem habere noluiſſet, qui monendo ita dicit: Crudelitas in tartari barathrum improbos abjicit, unde nunquam egrediuntur, ſaltem tamen cogitaſſet id, quod D. Hieron. ſcribit: Sicut miſericordia ſurſum elevat ad DEUM, ita deorſum crudelitas in infernum abjicit.

Super 12. Prophet.

CAPUT LXXXV.

De fertilitate Regni Neapolitani & ejus proventibus.

MAGNA cum voluptate vidimus amœniſſ. partem Regni Neapolitani, præſertim agrum Campanum, vel, ut Veteres locuti ſunt, Campos Laborios, qui, ita dicti ſunt, ſive quod in agro colendo plurimus exudetur labor, quod pingue ſolum vi ſua molientium manibus reluctetur, ſive quod hoc in primis ſolum dignum ſit, in quod hominum induſtria & labor inſumatur, neque unquam à cultu ceſſet. Mirabamur autem inter alia fertilitatem eximiam. Eſt enim ver ibi perpetuum, & arbores propemodum toto anno onuſtæ frugibus. Vel ut Poeta de laudibus Italiæ canit:

Hic gravidæ pecudes, hic pomis utilis arbos.

Lib. 4. Id ipſum Polybius memoriæ tradidit, ubi dicit, Campanum agrum eſſe & copia rerum, & fertilitate regionis, denique & amœnitate ac pulchritudine ſitus

situs excellentissimum. Hoc Plinio quoque & Floro ignotum non fuit. Omnium non modo Italiæ, inquit Florus, sed toto orbe terrarum pulcerrima Campaniæ plaga est, nil mollius cœlo; nil uberius solo; denique bis floribus vernat, ideo Liberi Cererisque certamen dicitur. Nihil hospitalius mari. Hic illi nobiles portus, Cajeta, Misenus, & tepentes fontibus Bajæ, Lucrinus & Avernus, quædam maris ostia: Hic amicti vitibus montes, Gaurus, Falernus, Massicus, & pulcherrimus omnium Vesuvius Æthnæi ignis imitator. Urbes ad mare, Formiæ, Cumæ, Puteoli, Neapolis, &c. Rerum in hac eximia ubertate licet egregiam nobilitatem habeat, tamen tanta est improbitas quorundam hominum illis in locis, ut illic vernaculum proverbium passim audiatur, *Il regno Neapolitano è un delicado paradiso, ma habitato da gli diavoli.* Vix poteram autem adduci, ut crederē cuidam nobili viro, affirmanti, Regem Hispaniæ ex toto illo regno fertilissimo, quotannis perpaucos, interdum etiam nullos proventus habere certos, illos enim fere omnes insumi ad alenda præsidia Hispanica, quæ in toto regno, & munitionibus, tum ad continendos subditos, jugo externo non penitus assuetos; tum contra improvisas incursiones Turcicas, in maritimis & aliis opportunis locis disposita sunt. Siquidem ob eam causam, Neapoli tres arces milite & armis munitissimæ conspiciuntur: una prope urbem in editissimo monte, infra quam est cœnobium Carthusianum, quam Pighius Castrum Santeremense nominat, & à Roberto Rege Caroli II. filio ante CCL. annos extructam putat. altera Arx Luculana, vel ut hodie vocatur, *lo Castello del Ouo*, quæ propter formam oualem scopuli marinis undis insulæ in modum circumfusi, illud nomen accepit, non procul à portu: tertia ad portum, quæ non ita pridem Regia sedes Aragonum fuit: Hanc arcem castrum novum nunc appellant, & ante CCC. amplius annos extructam à fratre divi Ludovici Francorum Regis Carolo I. Neapolitanorum Rege & Andium Comite, ut urbi & portui adversus maritimos hostium insultus esset præsidio; idem Pighius refert. Eandem quoq; rationem proventuum esse in Sicilia ajebat ille Neapolitanus. Percunctanti autem mihi: Quare ergo tam magnos sumptus absq; certo emolumento Rex in tam procul à se dissitum Regnum impendit? cum præsertim propter distantiam locorum ab illo tempore belli parū auxilii expectandum sit, neq; tuto præsidia externorū militum inde avocari possint. (Animadverteram enim neminem ex civibus & inquilinis vel perpaucos, at fidissimos in istas tres munitiones intromitti, imo cūm nobis potestas introeundi ab Hispanis præsidiariis concessa esset, sedulo inquirebant, an omnes Germani essemus, ne forte Italus, Gallus, Polonusve inter nos delitesceret.) Dicam, inquit, quid Rex noster faciat: Is enim si pecunia numerata opus habet, petit mutuo à statibus Regni aliquot tonnas auri, ut vulgo vocantur: hi

Lib 3. c. 5.
Lib 1. c. 16.
In Hercule Prodicio.

cum sciant principum preces habere vim mandati, secundum Mimum: Rogando cogit, qui rogat potentior, libenter gratificantur Regi suo, quod alioquin forte coacti facerent, licet certo sciant, sibi ne teruncium restitutum iri. Et hi proventus non negligendi, sed propemodum inter certos reditus numerandi sunt. Vera autem fuisse ea, quæ nobilis indicabat, & alii quoque censent, & patet ex Ludovico Vive Hispano doctissimo, qui scribit Italiam tantum illis utilem esse, qui in pace & sine ulla possident controversia, ut Siciliam olim Regibus Aragonum. Nam aliis non solum annuos illic reditus alendis præsidiis non sufficere, sed multum de suo addendum esse. Equidem, inquit, de iis, qui id scire bellissime existimabantur, audivi, quum dicerent, ad fiscum Ferdinandi Regis nummum sestertium ex Neapolitana ditione, nunquam rediisse, quin potius mitti illuc solitum ad tolerandos militares sumptus, ex proventibus Castellæ. Sit hoc tibi maximi argumenti vice, quod Gallia & Hispania, ex quo cœperunt in Italia res gerere, exhaustæ & profligatæ sunt. Italia non est drachma facta pauperior, nisi quantum militaris furor vastavit.

In libro de bell. Turcic.

Caput LXXXVI.

Imprecationes esse vitandas.

Magna est interdum hominum facilitas, ne gravius dicam, qui, ut ea quæ expetunt facilius consequantur, vel verbis suis fidem autoritatemve majorem concilient, non dubitant plerunque caput suum devovere, & ipsismet dira imprecari. Hac de re habemus memorabile exemplum in Carolo Borbonio, qui, ut refert Bellajus insignis historicus, quum à Mediolanensibus magnam vim pecuniæ, ad stipendia militibus solvenda postulasset, iique propter exactiones, & continua bella, numerare eam recusassent, promisit illis, si hac vice tantum obsequerentur, & descriptam pecuniam militibus numerarent, optare se à Deo, & à Deo immortali precari, si forte illis ulla præterea fieret injuria, ut ubi primum inter hostes versaretur, sive in prælio, sive in oppidi oppugnatione, plumbea pila necaretur. Vel ut Franciscus Guicciard. recenset, respondit Mediolanensibus, si sibi triginta aureorum nummum millia in menstruum stipendium militi darent, se exercitum extra urbem ducturum, & quamvis ipsos alias hujusmodi promissis deceptos fuisse sciret, tamen verbis ac fide sua fretos, id certo credere posse affirmavit, simulque se Deum orare, ut si fidem falleret, primus hostilium tormentorum globus sibi

Lib. 8. Com.

In Italicis historicis lib. 17.

sibi caput auferret. Hac spe immunitatis freti Mediolanenses, maxima cum difficultate, siquidem universa civitas exhausta erat, pecuniam corraserunt, & militibus stipendia persolverunt. Verum nihilo mitius deinceps, quamvis ad egestatem extremam plerique redigerentur ab ærus catoribus, exactoribus ipsisque militibus, frustra implorata fide Borbonii, tractati sunt. Hoc facto, paulo post Borbonius Cæsareanum exercitum ad Florentiam, & quum ab hoc conatu depulsus esset, ad Romam occupandam duxit, ubi dum ipse acriter urgens oppugnationem, antequam nebula, sive fortuita, sive fatalis discuteretur, mœnia transcendere conatur, globo, incertum à suis, vel ab hoste, trajectus interiit. Quod plurimi divina ultione, ut idem Bellajus refert, accidisse putant, quia fidem Mediolanensibus datam solvisset. Ejus tumulo hæc verba inscripta fuisse ait Arnoldus Ferronus. AUCTO IMPERIO. SUPERATA ITALIA. DEVICTO GALLO. PONTIFICE OBSESSO. ROMA CAPTA. CAROLI BORBONII HOC MARMOR CINERES CONTINET. An autem hæc inscriptio, quæ fortasse temporaria & militaris fuit, adhuc extet, Pighius, qui Cajetæ ejus monumentum, una cum Odeti Lautrechii sumptuosum, cum elogio honorifico Carolo principi Cliviæ, una cum aliis visu dignis monstratum fuisse dicit, non addit. Accidit hoc die VI. Maii, anno post natum Christum M.D.XXVII. sicut numerum annorum sequentes versiculi indicant.

Lib. 8 de reb. gestis Gall.

In Hercule Prodicio.

ALtera post Captos GaLLos popVLIqVe fVrores
Æstas te Capta, RoMa, CrVenta fVIt.

Eadem de re historia extat apud Crantzium. Scribit enim Cæsarem Fridericum I. Erfordiæ in conventu D. Petri, mirabiliter super latrinam periclitatum fuisse, cum collapsis trabibus, vix ad cancellos fenestræ ferratos adhæsisset. Periisse autem in istis sordibus, cum alios nobiles, tum Henricum Schwartzenburgensem Comitem, qui exitus sui præsagium quoddam ferebat in proverbio: Si, inquit, hoc fecero, mergar in latrina. Imprecationes autẽ, quomodo cum perjurio falsoq; testimonio, in perniciem aliorum conjunctæ sunt, celeri pede, ut poeta ait, pœna gravior manet, sicut in memorabili exemplo, quod ab Eusebio recensetur, videre licet. Homunculi quidam, inquit, Narcissi Episcopi Hierosolymitani vitæ soliditatem & constantiam ferre non valentes, veriti videlicet, ne si deprehenderentur, noxæ subjicerentur, eo quod sibi ipsis innumerorum malorum conscii essent, insidias illi præveniendi gratia struunt, ac gravem quandam accusationem objiciunt. Deinde ut audientibus fidem facerent, obtrectationes suas jurejurando confirmant. Primus jurabat, Si mentior, peream igne: alter, Si verum non dico, sævo morbo corpus meum consumatur: tertius, Si falsum testimonium dico, aciem oculorum amittam. Verum quantumvis jurantibus

Lib. 6 c. 45. De rebus Saxonic.

Lib. 6 c. 8. hist. Eccles.

neque, sic tamen quisquam fidelium credidit, quod apud omnes castitas ac optima vitæ conversatio Narcissi, perpetuo fuisset illustris. Ipse vero nequitiam eorum, quæ dicebantur, haudquaquam ferens, & quoniam alias jam olim philosophicam vitam complexus fuerat, universam Ecclesiæ multitudinem fugiens relinquit, inque solitudine & obscuris agris plurimos annos clanculum moratur. Verum magnus ille vindictæ oculus, impios in iis, quæ malitiose egerant, quiescere non permisit, sed velocissime illis ipsis maledictionibus involvit, quas sibi ipsis fuerant, si mentirentur, imprecati. Primus igitur, nulla prorsus occasione, sed sic simpliciter modica scintilla in domum eam, in qua manebat, noctu delapsa, cum omni familia incendio consumptus est. Alterius corpus eodem morbo, cui se ipse devoverat, à pedibus ad caput usque corripitur. Tertius cum priorum exitus vidisset, & Dei inspectoris omnium inevitabilem vindictam timeret, omnibus quidem, quas communiter inter se contra sanctum virum insidias struxerant, confitetur, verum juxta tantis lamentis seipsum pœnitendo conficit, & tam diu tantumque illacrymatur, donec ambo illi oculi perderentur. Et hi quidem hujusmodi falsi testimonii pœnas dederunt, &c. Narratur quoque vulgo historia, de caupone quodam, qui militi depositum multis diris imprecationibus negaverat. Quum autem diabolo semetipsum devovere non cessaret, si non vera diceret, ferunt eum ex turba astantium, per aerem sublatum esse, neque amplius comparuisse. Hanc historiam & aliam similem de muliere Megalopolitana refert Wierus. Sic Abbas Panormit. Joan. Andr. & alii Canonistæ referunt ex Gregorii dialogo, puerum quendam quinque annorum solitum jurare, blasphemare & imprecari, fuisse à Sathana raptum. Memorabilis quoque historia de Alvarado, quæ à Benzone refertur, prætereunda non est. Eo enim in expeditione contra Indos Xalisci provinciæ incolas mortuo, Beatrix de Cueva uxor ejus, fœmina vana & superba, mariti mortem adeo indigne tulit, ut inter alias imprecationes & facta, quæ mentis compotem non decent, in blasphemas voces eruperit, dicens: Nihil pejus graviusq; à Deo mali inferri sibi potuisse, quam quod viro orbata esset. Accidit autem paulo post, ut imber ingentibus procellis effundi cœperit, & repente magna vis aquarum ex monte, qui Guattimalæ urbi nuper ab Alvarado conditæ, proxime imminet, tanto impetu & violentia, torrentium instar eruperit, ut saxa ingentis magnitudinis devolveret, quæ mox incussa subjacentibus petris, majore vi, quicquid obvium esset, proterebant. Simul audiebantur per aerem lugubres ululatus & stridores horrendi. Inter multas ædificiorum strages, quas ea eluvio aquarum dedit, primam Alvaradi domum rapuit, & ea clade periit Beatrix ipsa cum iis omnibus, quæ cum illa orandi causa, ut fertur, in abditum conclave seu sacratum aliquod pene-

Lib. 4. c. 19. de præst. dæmon.
In c. 1. Ext. de delict. puer.
Lib. 1 novi orbis c. 17.

trale conceſſerant. Ad eum modum brevi ſubmerſa & concuſſa repentina vi tota prope civitas illa proſtrata eſt. Centum circiter ac viginti Hiſpani utriusque ſexus eo caſu periere: nonnulli qui ſub initium ruentis tempeſtatis urbe ceſſerant, perniciem effugerunt. Accidit hoc VIII. die Septembr. qui Virgini vulgo ſacer eſt, Anno M.D.XLI. Verum ne exempla tam longe petamus, viſum fuit inſerere, quod frater meus D. Joachimus ante pluſculos dies ex Cattis peregre reverſus mihi retulit. Nuper, inquit, apud illuſtriſſimum Principem Wilhelmum Landgravium Haſſiæ vidi puerum mutum & ſurdum, adeo ingenioſum ut mirari ejus ſolertiam in exequendis rebus ſibi commiſſis non ſatis potuerim: ſiquidem ex unico nutu mox deprehendere is certo potuit, quid Princeps & alii vellent. Longe autem ſuperat Mutum illum noſtrum geſticularium in aula Pabebergenſi, quamvis & illi natura, quod in duobus ſenſibus negavit, aliis in rebus miro quodam fœnore abunde compenſaverit. Landgravius quum ita me admirabundum videret, Ecce, ait, mutus ille, quicquid inter cives & aulicos novi accidit, quam primum reſciſcit, id omne, qualecunque ſit, ſuis geſticulatoriis notis dexterrime indicare ſolet. Sed audi præterea inſigne divinæ juſtitiæ exemplum. Mater ejus furti fuit accuſata, quæ quum videret, ſe alio modo purgare crimen non poſſe, confugit ad imprecationes, quumq; eſſet eo tempore gravida ut majus pondus verbis ſuis adderet, inter alias imprecationes dixit: Si vera eſſent, quæ illi objicerentur, ſe optare & à Deo petere, ut fœtus ille, quem geſtaret utero, in lucem editus, ne verbulum proferre poſſet, ſed dum viveret, mutus maneret. Quod poſtea, ut vides, factum eſt, & ipſamet ſeſe ſuis imprecationibus prodidit, furtoq; perjurium adjecit. Quæ enormia delicta etiam in filio punita fuere. Quoniam vero in mentionem mutorum incidimus, ſciendum eſt mutos tales Sultanis Oſmanidis hodie in deliciis eſſe, qui animi ſenſa ſignis quibusdam aperire ſolerter norent, & viciſſim intelligere nutib. ac ſignis indicata. De quib. Leunclavius noſter talem hiſtoriam recentem de Murate III. Turcorum imperat. refert. Solebat, inquit, Murates, mutos equis prægrandibus, & ob molem corporum tardis imponere, quum ipſe maxime agilibus ac præſertim Arabicis uteretur, & modo in hunc modo in illum provectus, nervi bubuli (caravazzam ipſi vocant,) verberibus tam mutos quam equos eorum cæſos, ad curſum impelleret. In hoc ludo correptus comitiali morbo, ſibi familiari tam gravi lapſu ex equo decidit, ad pavimentum alliſus ut omnino per urbem, vel jam moriturus, vel mortuus crederetur. Ideo Ienizari pro more, veluti extincto Sultano, jam Chriſtianorum Hebræorumque tabernas involando diripiebant, ita ut vix cohiberi potuerint. Sed revertamur ad imprecationes, à quibus pauliſper digreſſi ſumus, Sane memorabile eſt exemplum, quod non

In ſupplem. annal. Tur.

ita

ita pridem in vicinia contigit, quum quidam multis imprecationibus & execrationibus ſubditos ſuos miſere afflixiſſet, & coegiſſet, ut arcem ſuam duriſſimis laboribus ædificarent, eosque inter laborandum, & alias, nullo alio nomine, quam canes ſuos appellaret. Nondum enim ædificio abſoluto in graviſſimum morbum incidit, quumque nondum ab imprecando, & ſubditos canes ſuos appellando deſiſteret, Deum ita offendit, ut prorſus elinguis fieret, & dum hæc ſcriberem, nulla articulata humana vox, ſed ſolummodo latratus caninus ab eo exaudiretur. Alterum exemplum non minus memorabile in vicini cujusdam principis aula nuper accidit, quum quidam accuſatus eſſet de nonnullis injurioſis verbis temere profuſis, isque ſtrenue inficiaretur, & ut accuſationem illam confictam eſſe demonſtraret, caput ſuum diris devoveret. Inter alia enim dixit, ſi ejusmodi injurioſa verba protuliſſet, petere ſe à Deo, ut mox ſignum iræ ſuæ in corpus ſuum ederet, ſin Deus hoc differret, conteſtatus eſt diabolum, ut ipſe hoc faceret. Vix abſolutis & aliis diris imprecationibus, ſubito pronus corruit, & epileptico morbo, quem antea nunquam ſenſerat, tam acriter correptus eſt, ut veluti ſemimortuus cum horrendo ululatu, ex oculis aſtantium & obſtupeſcentium in cuſtodiam aſportatus ſit, in qua pœnas meritas ſuæ impietatis & temeritatis luens affliċtiſſima valetudine adhuc detinetur. De parentum imprecationibus etiam multa exempla iræ divinæ extant, quæ & olim, & noſtro tempore acciderunt. Non enim fruſtra Deus præcepit, ut liberi parentes, addita & promiſſione erga morigeros, & maledictione erga inobedientes, venerentur. In vetuſtis exemplis habemus Oedipi imprecationem, cum in exilium à Creonte pelleretur, ſibique oculos eripuiſſet, & deinde hiatu terræ abſorptus fuiſſet: Imprecatus enim eſt, Eteocli & Polinici filiis, ex inceſto ſuſceptis, ut ſtricto gladio dividerent hæreditatem paternam, qui libidine imperandi, paulo poſt mutuis vulneribus conciderunt. Sane Fribergi oppido Miſniæ adhuc conſpiciuntur veſtigia, in quibus ſtetit ſuperioribus annis filius contumax per aliquot annos, neq; vivus loco moveri potuit, donec peſte moreretur, cui pater, provocatus ab eo ad iram, imprecatus fuerat, ut quamdiu viveret, illo in loco immobilis ſtaret. Aliud exemplum non ita recens Rodericus Santius memoriæ tradidit de Alfonſo Henriques Comitis Henrici Lotharingæ filio, qui dum ſuam matrem Thereſiam, Alfonſi ſexti Regis Hiſpaniæ filiam, eo quod vitrico nupſiſſet, in vinculis teneret, ita filio imprecata eſt: Quia crura meâ vinculis allegaſti, & mihi abſtuliſti honorem à patre relictum, Deum precor, ut ab hoſtibus ſis captivus, ut ego ſum, demum crura tua fracta conſpicias, ſicut mea ferro vinxiſti. Quod paulo poſt expletum eſt: Nam quum bellum cum Ferdinando Rege Legionis Alfonſus gereret, exiens per portam civitatis Paſcenſis ad prælium

In hiſtoria Hiſpan par. te 3. c. 34.

jam

jam cœptum, tibia vectis ferro involuta est pariter, & rupta: ille vero in bello ictus & captus est. Lazius quoque refert, puellam quandam anno M. CCC XL VIII. in Austria, tempore magnæ charistiæ, quum à matre panem postulasset, illa fortè impatiens doloris, famem decennem imprecata fuisset, decennio omni cibo abstinuisse, raro admodum aquæ potu se reficientem. Wierus insuper refert memorabilem historiam, quæ circa annum M. D. LXXV. in Geldria accidit. Quidam, inquit, non obscuri nominis, Regi Hispaniarum, apud Geldros militans, quum è familia nobili honestam duxisset conjugem quam durius tractabat, intelligeretque tandem ipsam uterum ferre, indignanter veluti sinistrè precatus, ait illi: Tu infernalem gestas dæmonem, quem gladio confodiam. Non longè post filiolum genuit, dimidia corporis inferioris parte benè formata: verum superior pars lituris rubris & nigris fœda apparuit, oculis in fronte locatis, ore rotundo, nigro, tetro, ut Satyri auribus longis veluti canis venatorius: in vertice duo cornua nonnihil intorta, quæ manibus contrectata reddebantur sanguinea. Non immerito itaque Plato, nihil parentis imprecatione filiis censet periculosius: contra vero accidit piis, quemadmodum in Jacobo, Isaaco, ejusque liberis, item Tobia, & ejus filio apparuit, &c. Illustrantur hæc memorabili historia, quæ à Fazello recensetur. Duorum, inquit, fratrum sepultura & pietate Catanæ celebrata est, quos Catanenses quidem Anapiam & Amphinomum, Syracusani vero, qui de eorum patria contendunt, Emanthiam & Critonem vocant. Hi Æthna quondam latè incendiis grassante, parentes senio confectos, & ad sui ab igne fluente liberationem impotentes, ut eorum vitæ consulerent, patrem unus, matrem alter humeris sufferentes ab incendii loco quam celerrimè asportarunt. Quumque parentum pressi pondere, tardius (ut par erat) iter conficerent, à vicinis, & insequentibus ignibus visi sunt opprimi: qui tamen quum ab incepto pio opere ob periculi metum non desisterent, ardentium ignium fluenta, quum ad eos pervenissent (mirum visu) juxta illorum pedes in duas partes sunt disjecta, ac ipsos cum parentibus adolescentes, nullo eis illato æstu neque incommodo prӕterierunt. Sed post eos, ut res mira dilucidius appareret, rursus flammæ in unum corpus coierunt. Qua virtute & miraculo commendatis adolescentibus, post obitum eorum Catanenses monumentum regia magnificentia erexerunt, regium perpetuum nomen indicentes. Piorum namque campum eum appellarunt, ac statos solennesq; honores perpetuo illis impendendos dedicarunt. Quos anno quolibet ætate etiam sua Pausanias magna pompa persolutos fuisse docet. Hinc videmus Deum verum ethnicos quoque singulari miraculo erudiisse, quod liberi posthabito proprio periculo, curam parentum habere, omnique ratione illis opitulari, ne imprecationem illorum

In genealog. Austriaca commentar. lib. 1.

Lib. 4. c. 18. de præstigiis dæmon.

Lib. 3. cap. 1. prior. decad.

Lib. 9.

incurrant, teneantur. Quemadmodum autem duo illi fratres Siculi, memoria æterna propter ſingularem pietatem erga parentes, illorumque benedictione digni ſunt: ita perpetuæ infamiæ impiorum liberorum extat monumentum, cum ſævis imprecationibus, Veronæ, ſicut ab Appiano in ſuis antiquitatibus refertur:

D. M.

MITRIUS PIUS DIVES IAM HABES DECREPITUS ET MENDICANS LUCE CARENS À TRIBUS LIBERIS ET DUABUS LIBERTABUS EXPULSUS SIBI PERII. SACRUM MIHIMET CONSTITUI. HIC HUMATUS SUM CINERES ET OSSA HOS NATOS RENUO. IN HOC UT REQUIESCANT NOLO. PROBOLEM NEGO. PRIVO POSTEROS. OMNES ME LECTITOTE ET SIBI VIX. ANN. CXXV. MENS. III. D. II. ET NEMINI POSTERI.

Rectiſſimè igitur faciunt, ut meditationem noſtram abſolvamus, qui ſibi & aliis potius ſtudent benè precari, quam abſque legitima cauſa, imprecari. Itaque non fruſtra prædicatur prudentia C. Fundanii, & T. Sempronii Ædilium, qui Appii Cæci filiæ, ob ejus vota improba ac incivilia mulctam dixerunt, æris gravis viginti quinque millia, ſicut in fragmentis Attei Capitonis, qui etiam à Gellio refertur, legimus. *Lib. 10.* Ea enim, exiens à ludis, quos ſpectaverat, quum à turba undique confluente, fluctuanteque populo jactata eſſet; quum ſe malè habitam diceret, hiſce verbis & imprecationibus uſa eſt: Quid in me tunc factum eſſet, quantoque arctius preſſiuſque conflictata eſſem, ſi P. Claudius frater meus, navali prælio claſſem navium, cum ingenti civium numero, non perdidiſſet? certè quidem majore nunc copia populi oppreſſa intercidiſſem: ſed utinam reviviſcat frater, aliamque claſſem in Siciliam ducat, atque iſtam multitudinem perditum eat, quæ malè nunc miſeram vexavit. Eodem modo meritò Plutarchus laudat ſacerdotem quendam, quod etiam fecit Ludovicus XII. Rex Galliarum, nam quum Pontifex diras in ipſum evomeret: Atqui, ait, precandi ille, non imprecandi cauſa, pontifex conſtitutus eſt; répetens laudabilem eam vócem ſacerdotis, quæ adduci non potuit ut Alcibiadem execraretur. Damnato enim Alcibiade quum omnes utriuſque ſexus ſacerdotes juſſi eſſent, uti abſentis caput execrarentur, una ex illis hoc detrectaſſe dicitur, PRECIBUS, NON IMPRECATIONIBUS SE SACERDOTEM CONSTITUTAM, dicendo. Utinam autem hanc prudentem tergiverſationem in publico damnatæ Ethnicæ ſacerdotis conſiderarent & perpenderent nonnulli ambitioſiſſimi homines, qui privata autoritate vindictæ cupiditate temere damnando, & ſibi ipſis aliisque pro libitu impotentis animi imprecando & conviciando, inani oſtentatione, & non levi levitate, favorem principum, & aurem popularem captitare ſolent. Cum tamen, ſi illis armis quotidianis, ſed futilibus, ex quibus ipſorum dignitas

In Alcibiade. Arnold. Ferronus lib. 4. de reb. geſtis Gallorum.

exiſt-

existimatio dependet, destituerentur, planè inermibus illis nihil reliquum mansurum sit, quo suam ementitam eruditionem, & autoritatem umbratilem ac parum duraturam, ostentare & tueri possent. Ii enim, ut Quintiliani verbis, ubi Cassium Severum taxat, utar, contempto ordine rerum, omissa molestia, ac pudore verborum, ipsis etiam quibus utuntur armis incompositi, & studio feriendi plerumque dejecti, non pungnant, sed rixantur. Cæterum si ita, ut cœperunt, absque discrimine, neque habito respectu vel absentiæ, vel innocentiæ, defunctorum aut superstitum, mordicus pergere constituissent: saltem meminisse deberent, sibi multo facilius quam pontificibus Romanis contingere posse id, quod Papirius Massonus scribit, videlicet, Olim quando raro interdicti fulmen jaculabantur, pungentes aculeos in mortalium animis reliquisse: ex quo autem dirarum fuere prodigi, minus virium habuisse. Nec mirum, siquidem rara admirari, & quotidiana despicere humanum est. Quare cum Lactantio dicere possemus. Quod incredibilis sit error eorum, qui cum aliquam sectam probaverint, eique se addixerint, cæteras damnant, tanquam falsas, & inanes, armantque se ad prælia ndum, nec quid defendere debeant scientes, nec quid refutare; incursantque passim sine delectu omnia, qui afferunt, quicunque dissentiunt. Rectè itaque monent pii & pacis amantes Viri, pios doctores sibi cavere debere, dum S. Zelo feruntur, ne carnis affectus permisceant. Et quia non potest vehementia Deo probari, nisi quam moderatur prudentia Spiritus, non modo cohibeant illi affectus suos sed Spiritui sancto se regendos tradant, ac commendent, ne quid inconsideratè excidat.

Lib. 7. de præmio c. 11. sed.

CAPUT LXXXVII.

De miris supplicii generibus.

PLUTARCHUS in vita Regis Artaxerxis recenset supplicii genus, quo Mithridates quidam ex ejus familiaribus affectus est, horrendum sanè & immane. Duas scaphas, inquit, quæ mutuo quadrant, accipiunt: in alteram harum is qui plectendus est, supinus collocatur, alteram imponunt, itaque aptant, ut caput, manus, pedesque promineant; totum alioquin corpus occultetur. Ita inclusó cibus præbetur, ac si edere nolit, oculos compungendo eum cogunt. Quum edit, mel lacti mixtum ei potus loco infundunt: ita vero semper

eum collocant, ut adverſus ſolem oculos habeat. Porro autem muſcarum identidem aſſidentium multitudine facies ejus tota obtegitur, & cum in ſcaphis interius ea faciat, quæ neceſſe eſt hominem cibo potuque fruentem, ex putrefactione & corruptione excrementorum tarmes atque vermes pullulant, qui in inteſtina ſubrepentes, corpus conſumunt. Cum [illegible] jam conſtat eum mortuum eſſe, remota ſuperiori ſcapha, intuentur carnes quidem devoratas, inteſtinis autem inhærentia hujuſmodi animalculorum examina. Hoc modo ſeptendecim dies cruciatus, lenta morte abſumptus eſt. Hactenus Plutarchus. Sæpius autem legens hoc inſolitum, & immane ſupplicii genus, miratus fui, quid moverit Artaxerxem, alioquin non præſus crudelem Regem, ut de ſe optimè meritum Mithridatem (licet non ignorem, Papirium Maſſonum verè dixiſſe, Reges quem amant, lub[illegible] oderunt, ac neque in amore neque in odio modum habent) tam lenta & ſæva morte, nulla ſanè de cauſa, quam quod temulentus aſtu aſſentatoris cujuſdam evirati aulici, ad liberiorem ſermonem, jactando intempeſtivè ſuam fortitudinem, provocatus fuerat (ferè enim fit, ut qui bonam & fidelem operam præſtiterunt, arbitrentur ſibi aliquando plus licere) vel ipſe interfici juſſerit, vel ut hoc, procurante Paryſati matre ſua, fieret, permiſerit.

Lib. 2. annal. Franc.

Quiſquis enim, ut Stobæus ex Themiſtio refert, intolerabiles, crudeles & immoderatas pœnas exquirit, legitimis non contentus, ac belluinæ iracundiæ locum dans, inſtarque mulierum exacerbatus, is non intelligit, ſe præter fas in ejuſdem naturæ genus contumelioſum eſſe. Ignorat enim, quod maximum eſt, & quod adverſus reos pronunciaturum ſcire oportet, nempe, quod mors ipſa ab iis, qui primum conſtituerunt, non ceu [illegible] aliquod ſontibus impoſita ſit, ſed tanquam extremum præſidium, & loco medicamenti, pro illis, qui malitia abſolvi nequeunt, ut hoc ſaltem modo, quoniam aliter fieri non poteſt, in præſentia liberati malitiæ vinculo, ipſam effugiant. Verum mirari deſii, quum in hiſtoriis paſſim extet, plerunque eos qui ambitione quadam ſe à ſuis contemni ſuſpicati ſunt, mirum in modum ob timiditatem & libidinem imperandi crudeles fuiſſe. Idque confirmatur Mauritii Imperat. dicto. Quum enim ſomniaſſet, ſe tradi jugulandum ſuo militi Phocæ, ideoque Philippicum ſororium interrogaret, [illegible] eſſet Phocas, iſque reſpondiſſet, Centurionem ambitioſum eſſe, [illegible] dum: Si timidus eſt, inquit Imperator, homicida eſt. Hoc etiam [illegible] dixit, [illegible] δειλὸν φονικόν. Hinc videmus hoc genus hominum, & [illegible] matum eſſe, &, ut ille ſuadet, quo pellis leonina non attingit, aſſuere eo[illegible] ere vulpinam. Unde etiam Scriptura ſacra, ſicut Auguſtinus obſervavit, vulpes appellat doloſos, & timidos, quos terret virtus aliena. Hoc Thucid. quoque animadvertit, ubi ita dicit: Fraus cum in omnibus fœda eſt, tum

Serm. 44. de magiſt.

Super Pſ. 88. Lib. 4.

vero

vero in his qui majore sunt dignitate præditi, fœdior est, quam aperta violentia. Quidam autem ex hoc tyrannorum genere tam crudeles fuere, ut mortis accelerationem in iis, quos è medio tollere constituerant, beneficii loco putarent. Hac de re locuples testis est Suetonius, qui de Tiberio Cæsare ita scribit: Quibusdam custodiæ traditis, non modo studendi solatium ademptum, sed etiam sermonis & colloquii usus. Citati ad causam dicendam, partim se domi vulnerarunt, certi damnationis, sed ad vexationem ignominiamque vitandam; partim in media curia venenum hauserunt, & tamen colligatis vulneribus, ac semianimes, palpitantesque in carcerem rapti. Et paulò post: Mori volentibus vis adhibita vivendi. Nam mortem adeo leve supplicium putabat, ut cum audisset, unum ex reis Carnulium nomine, anticipasse eam; exclamaverit: Carnulius, vel, ut Torrentius legendum putat, Carvilius, seu Carrilius me evasit. Et in recognoscendis custodiis precanti cuidam pœnæ maturitatem, respondit: Nondum tecum in gratiam redii. Sic Caligula ejus successor, ut idem Suetonius refert, non temere in quenquam nisi crebris & minutis ictibus animadverti passus est, perpetuo notoque jam præcepto, ITA FERI, UT SE MORI SENTIAT. Idem curatorem munerum ac venationum per continuos dies in conspectu suo catenis verberatum, non prius occidit, quam offensus putrefacti cerebri odore. Hoc etiam imitatus est, teste Jovio, Acciolinus tyrannus: Inauditæ, inquit, crudelitatis fuit, quod capitale erat tortori atque carnifici, maturasse supplicia, ut vita per articulos momentaque temporis ad longos cruciatus extenderetur. Sed ut redeat unde digressa est oratio: Hanc ob rem Plutarchus, in allegato loco de Artaxerxe scribit, eum, quum putaret se à suis contemni plerosque primores suspectos habuisse, & multos iratum occidisse; plures quod ab iis sibi metuebat. Quæ enim, obsecro, potest esse in tyrannorum vita, fides? quæ caritas aut stabilis benevolentiæ fiducia? Omnia semper suspecta & solicita sunt: Nullus locus est amicitiæ. Quis enim, aut eum diligat, quem metuit? aut eum à quo se metui putet? Nam timiditas, inquit idem Plutarchus, tyrannorum maxima causa est cædium; fiducia sui, placidos eos ac mansuetos, & à suspicionibus vacuos reddit. Ita ferarum quoque eæ, quæ à cicuratione sunt alienissimæ, timidæ sunt, & omni strepitu terrentur, generosæ autem non aspernantur hujusmodi blandam tractationem, quia propter fiduciam sui facilius aliis se committunt. Huc Claudianus quoque respexisse videtur, dum canit:

In vita Tiberii.

In elog. illustr. viror. lib. 1.

In Panegyri. De quarto Consulatu Honorii.

Qui terret, plus ipse timet: sors ista tyrannis
Convenit, invideant claris, fortesq; trucident,
Muniti gladiis vivant, septiq; venenis,
Ancipites habeant arces, trepidiq; minentur.

 Unde

Unde Xenophon Tyrannum mala ſua commemorantem, ſic loquentem introducit: Timeo celebritatem hominum, timeo ſolitudinem, incuſtoditos aditus, timeo ipſos cuſtodes, neque inermes illos habere vellem circa latus, neque armatis multum confido. *In offic.* Prudenter itaque M. Tullius aſſerit: Nihil eſſe aptius ad opes tuendas ac tenendas quam diligi, nec alienius quam timeri. Et præclarè Ennius: Quem metuunt, oderunt. Et; Quem quiſque odit, periiſſe expetit. Valeant igitur metus & violentia, adamantina ([illegible] rius viminea) illa vincula tyrannica Dionyſiana ad ſtabiliendum Imperium. Siquidem inexpugnabile munimentum amor civium eſt, ut Seneca Neronem monet. Quid enim pulcrius quam vivere, optantibus cunctis? Quis huic ſtudeat ſtruere aliquod periculum, ſub quo juſtitia, pax, ſecuritas, [illegible]gnitas floret, ſub quo opulenta civitas, copia bonorum omnium abu[illegible]. *In Trajano.* Quo reſpexit Plinius, ubi dicit: Quanto nunc tutior, quanto ſecurior [illegible] domus? poſtquam non crudelitatis, ſed amoris excubiis; non ſolitu[illegible] & clauſtris defenditur. Et quid ergo non diſcimus experimento, fid[illegible] m eſſe cuſtodiam principis ipſius innocentiam? hæc arx inacceſſa, hoc inexpugnabile munimentum, munimento non egere: fruſtra ſe terrore ſuccin[illegible], qui ſeptus caritate non fuerit: Armis enim arma irritantur. Hoc ſane conſideravit & animadvertit patrum noſtrorum memoria quidam opt. & prudentiſſ. Princeps Germaniæ. Quum enim in quodam conve[illegible] imperii reliqui principes gloriarentur de rebus precioſioribus, quas ſinguli in ſua ditione vel theſauris haberent, illum dixiſſe ferunt: Se habere quidem [illegible]nem non ita latam, quam omnibus rebus refertiſſimam: nihil tamen [illegible]cioſius in ea ducere, quam ſe ita amari à ſuis ſubditis, ut ſi vel in venati[illegible], vel alias aberraret, & ſolus in deviis locis relinqueretur, nullas pror[illegible]dias metueret, ſed abſque omni ſollicitudine, ſomnum capere poſſet [illegible] cujuſvis ſui ſubditi. Rectè itaque Marcus Imp. prudentiſſ. & opt. in ſua [illegible]ne, quam paulo ante ſuam mortem ad filium Commodum, & amicos [illegible], ut Herodianus memoriæ tradit, monet: Neque aut pecuniæ vim ty[illegible] luxuriam explere, aut ſtipantia ſatellitum agmina tueri principem po[illegible] illi ipſi quos regas, animum imperanti, benevolentiamque accomm[illegible]. Quippe ii demum diu tutoque imperant, qui non metum ex crudeli[illegible], ſed amorem ex bonitate civium ſuorum animis inſtillant. Neque enim, [illegible] ſervire neceſſitas coegit, ſed quos obtemperare, ſua quemque volun[illegible] git, ii ſunt in agendo patiendoque, à ſuſpicione omni aſſentationeque [illegible] nunquam imperia detrectant, niſi violenter contumelioſeque ſint habiti. *In vita Arati.* Huc Plutarchus reſpexiſſe videtur, ubi Aratum introducit ita Philippum Regem Macedoniæ alloquentem: Multi, ô Rex, in Creta magnique montes ex terra enati ſunt; multi in Bœotia & Phocide, tum in Acarnania quoque

& me-

& mediterranei & maritimi loci mirificè muniti: quorum tu cum nullum occuparis, omnes tamen incolæ ultro imperata faciunt, quippe saxis & præcipitiis latrones inhærent, Rex fidelitate suorum & favore fortius tutiusve habet nihil: ista tibi Creticum mare aperuerunt, ista Peloponnesum: his tu fretus ea ætate eo pervenisti, ut aliorum jam Dominus, aliorum Dux sis. Ut autem ad supplicium Persicum revertamur, non absimile sub Juliano Marcus Aretusiorum Episcopus perpessus est. Is enim primo in cuniculos, vel loca subterranea conjectus, pueris compungendus aciculis traditus fuit: deinde caveæ inclusum, garoque & melle perunctum, in ardore æstatis sub dio suspenderunt, ad eum depascendum crabrones & apes allicientes, quæ omnia teste Suida in historicis constanter pertulit. His propemodum simile aliquid nostrorum patrum memoria contigisse legimus. Mortuo enim Duce Limburgensi absque liberis, Dux Brabantiæ, & Comes Geldriæ de successione contenderunt, & uterque ducatum hunc ad se pertinere voluit, quumque transigere non possent, ventum est ad arma. Tandem in prælio quodam victor extitit Brabantus, in quo cum aliis captus est Episcopus Coloniensis, qui à partibus Geldri steterat. Quum autem post septennem captivitatem apud Comitem Hannoniæ, acceptis conditionibus propositis, liberaretur, & à Comite peteret, ut se in ditionem suam honoris causa deduceret, & Comes non gravatè hoc fecisset, eumque usque in pagum Tuiscum non procul à Colonia deduxisset: nihil tale metuens, ab equitibus ex insidiis in illum irruentibus, captus est, conjectusque ab Episcopo in carcerem, in quo etiam vitam clausit suam. Ut autem illi ægrè faceret Episcopus, jussit fabricari caveam ferream, eamque undique melle inungi, in qua Comitem muscis vexandum ad solem exposuit. Quin etiam constat supplicium quoddam huic non absimile apud Turcos in hunc usque diem usitatum esse. Levi enim de causa sontes & insontes palo affixi, vel unco suspensi, muscis & caloribus Solis expositi, ut cruciatus eorum sensim augeantur, ad necem usque excruciantur. Et hanc tyrannicam sævitiam experti sunt nuper propemodum innumeri Christiani Græci, qui pertæsi durissimæ servitutis, ob victoriam Christianorum navalem contra Turcos prope Naupactum, ad recuperandam libertatem paulo sese audacius commoverant. Simile aliquid non ita pridem Bizantii accidit, sicut à Justiniano refertur. Bizantii, inquit, duo Christianæ religionis viri, paternarum legum observantissimi, accusati coram Cadi, quod Mahumetanam fidem despicerent, Christianamque extollerent, crudelissimo mortis genere affecti sunt: nam unus qui appellabatur Nicolaus Græcus, in uncos nudo corpore projectus est, qui diu maceratus acerbissimo supplicio mortem obiit. Alter Lucas, patria Mitylenæus, cunctis membris laniatus excruciatusque, per sævissimos cruciatus animam *Lib. 15. hist. Venet.*

mam

Lib. 5. cap. 3. hist. Indic. mam efflavit. Ita uterque pro fide Christiana extinctus, nobilem sempiternamque sibi martyrii coronam paravit. Huc referri potest, quod Gonz. Oviedus memoriæ tradidit. Gravissimum inquit, peccatum & a quo [illegible] insulæ (de Hispaniola loquitur) indigenæ vehementer abhorrerent, quodque acerbius vindicarent, furtum erat. Itaque vel minimo in furto deprehensus, adacto per medium corpus stipite (familiari Turcis supplicio) [illegible]fixus tam diu relinquebatur, quoad inter cruciatus vitam finiret. Hoc crudeli mortis genere usi sunt Slavini, quum regnante Iustiniano, trajecto [illegible] in Romani Imperii ditiones irrupissent. Omnes enim teste Procop[illegible], [illegible] Lib. 3. de bello Goth. obvios habuissent, non ense, non telo occidere, vel armorum genere [illegible] consueto; sed acutissimos in terram palos figentes, summa vi miseros [illegible] perimposuere, summumque pali, & id præacutum, per inferiorem p[illegible]damque partem trudendo, & per viscera adigendo interiora excru[illegible]. Queramur nunc, cum natura rerum, ut Val. Maximi verbis utar, quod nos multis & asperis adversæ valetudinis incommodis obnoxios esse voluerit, habitumque cœlestis roboris humanæ conditioni denegatum moleste feramus, cum tot cruciatus sibimet ipsa mortalitas, impulsu crudelitatis excogitaverit?

Caput LXXXVIII.

De libidine regnandi.

Mortuo Selime Solimanni filio Imperatore Turcico, anno cIↃ.IↃ.LXXXII. passim circumferebantur chartæ [illegible], in quibus ipsius & filiorum feretra conspiciebantur dep[illegible] singula cum diademate; & stragulis preciosissimis exorn[illegible]. [illegible] jussu fratris Murathis III. (qui nunc solus longe la[illegible] dominatur, & rerum inter Turcos potitur) interfecti & regio funere [illegible] monumenta majorum ad minuendam invidiam una cum defuncto p[illegible] fuerant. Nomina eorum fuerunt, Mustaphæ Sulemani, Abdulæ, [illegible], & Thzihangiri: Murathes enim (quod nomen idem significat, quod Græcis ἱμερώ[illegible], & Latinis Desiderius, aut donator desideriorum,) pat[illegible] successor recepto more barbaro, strangulari quinque fratres suos, natu se [illegible]res in præsentia sua jussit. Quorum minimi cervicibus & jugulo, quum pro more nervus adhiberetur: incertum an tenerioris in hunc amoris causa motum; an conscientia patratæ crudelitatis in omnes, illacrumasse qu[illegible] ipsum constat. Eodem modo & anno Ismael Techmasis Regis Persarum

vel

vel Parthorum filius, secundo loco genitus, non solum Sultanos sibi suspectos, verum etiam fratres suos omnes, quotquot nancisci potuit, è medio sustulit: qui tamen sexto regni mense à sorore veneno sublatus est, sicut Leunclavius noster refert. *In supplem. Ann. Turc.* Quum autem hæc fratricidia plerique, & recte quidem, detestarentur, cogitatio subijt animum, nihil novi accidere inter illos, qui libidine regnandi excæcati, neutiquam turpe vel flagitiosum ducere id soleant, quod ipsorum cupiditatibus impedimento vel est, vel suspicantur esse posse. *Lib.1.c.1. hist. Franc.* Siquidem ut Robert. Gaguin. ait, nihil apud dominandi cupidos probitatis, aut fidei est. Libidine enim habendi Reges feruntur, nec amicis, nec generi indulgent suo. Hoc ita esse apparet in Antonino Caracalla. Quum enim fratrem Getam in gremio matris interfecisset, & quidam ei suasisset, ut fratrem interfectum ad mitigandam invidiam parricidij, divum appellaret; Sit, inquit, divus, dum non sit vivus. Tam nescia est, ut ille dicit, veræ pietatis & juris regnandi cupiditas. Recte itaque de Tyrannis illis Lucani hoc dici potest:

Nulla fides regni sociis omnisque potestas
Impatiens consortis erit.

Sic videmus bruta pleraque, quæ (quod tyrannorum proprium est) rapto vivunt, & quibus solius pabuli cura impressit aliqua tyrannicæ naturæ vestigia, in proprios fœtus sævire potius, quam ut illos socios venationis accipiant. *Lib.1.c.19. nat. hist.* Eodem modo Plinius scribit: Aves uncos ungues habentes, omnino non congregantur, & sibi quæque prædantur. Ad summam non frustra barbara illa vox tam sæpe ab historicis repetitur, NULLUM REGNUM SINE DOMESTICA CÆDE AUT PARRICIDIO ESSE SOLERE: Secutus autem est Murates ille exemplum proavi sui Selimi Bajazetis filij, qui patre veneno opera Judæi Medici, ut ajunt, sublato, quum libido & cupiditas regnandi naturalem mortem expectare non permitteret, non modo fratres suos, & eorum liberos omnesque consanguineos è medio sustulit, ne æmulos regni relinqueret, sed etiam quum in expeditione Ægyptiaca esset, veritus ne sibi absenti, Solymannus filius unicus imperium adimeret, quemadmodum ipse Bajazeti patri suo illud extorserat, veste quadam veneno tincta dono missa, filij vitæ pater ut multi judicarunt, insidiatus est. Eadem diffidentia Solymanus erga filios laboravit. Quum enim anno M.D.LII. Mustapha filius major natu (sicut post alios à Bodino refertur) fractis Persarum opibus, ad patrem, accepta fide, sine comitatu redijsset, tanto exercitus clamore, tantaque gratulatione exceptus est, ut mortalium anteà nemo. Pater istam gloriam ferre non potuit, sed filium subinde strangulari mandavit in cubiculo interiore, & eodem momento coram exercitu projici; tum præconem altissima voce promulgare jussit, Unum in cœlo Deum, in terris

unum Solymanum Imperatorem eſſe oportere: Totus exercitus terrore attonitus obmutuit. Junior natu biduo poſt veneno ſublatus eſt, quod ingemuiſſet. Tertius metu patris ad Regem Perſarum confugerat; ſtatim per legatos revocatus eſt, ac ſecuri percuſſus. Reſtabat Selimus, cui pater minas intentavit, niſi ſolus reſtaret. Atque ita uſitatum eſt in gente Othomanorum, quia apud illos Muſulmanos Reges mos eſt perpetuus, ut ſpes imperij ad omnes, exitus ad unum recaſurus ſit. Ob hanc cauſam mortuo Saladino Sultano Ægypti, Saphâdinus patruus ejus novem filios Saladini, extra unum Narradinum amicorum virtute tectum, libidine regnandi necavit. Deceſſit autem Saladinus domitor ille orientis, noſtrorum terror, Anno cIↄ. ccc. LII. teſte Jacobo Meyero. Recte itaque dicit Augerius Giſlenius Busbequius, legatus Cæſ. Maieſtatis, Nihil omnino miſerius Turcicorum Imperatorum filijs eſſe, è quibus, ſi quis patri ſucceſſit, reliquos inevitabilem mortis neceſſitatem manere. Nam neque, inquit, Turcæ imperij æmulos ferunt, nec per milites prætorianos omnino ferre poſſunt, qui, ſi quis forte fratrum ſit, præter eum qui regnat, ſuperſtes, congiariorum petendorum nullum finem faciunt: Si recuſantur, ſtatim audis: Salvus frater ſit, fratrem Deus nobis ſervet. Quo verbo deſignari illum imperio non eſt obſcurum, adeo ut fratrum ſanguine manus polluere, & parricidio regnum Turcis Imperatoribus ſit neceſſe. Olim quoque ſimilia parricidia Aſiaticis illis regibus (licet Oſmanica ſtirps nimis Europæa, cum magna clade & dedecore Chriſticolarum, jam pridem eſſe cœperit) conſueta fuere. Siquidem apud reges nihil tam ſanctum eſt, ut Papirius Maſſonus monet, quod non facile violetur, ſi utilitatem oſtendat. De qua re audiamus, ut de innumeris fere exemplis unum atque alterum memorabile adducamus, Plutarchum. Ait enim Deiotaro plures fuiſſe filios, quorum quum ipſe uni relinquere imperium, atque omne patrimonium ſuum cuperet; quo id facilius efficeret, cæteros omnes manibus ſuis trucidaſſe, vinitorum exemplo, qui cum vitis aliqua complures emiſerit ſurculos, unum modo ex eis relinquere, alios amputare conſueverunt, ut is qui relinquitur major & robuſtior fiat. Juſtinus præterea de Herode Parthorum Rege (qui paulo ante fratrem ſuum Mithridatem, licet fiducia cognationis ultro ſe in poteſtatem ipſius tradidiſſet, in conſpectu ſuo trucidari juſſerat) quum filius ejus Pacorus una cum toto exercitu à Vendidio interfectus eſſet, ita ſcribit. Hæc quum nunciata in Parthia eſſent, Herodes pater Pacori, qui Paulo ante vaſtatam Syriam, occupatam Aſiam a Parthis audierat, victoremque Pacorum Romanorum gloriabatur, repente filij morte & exercitus clade audita, ex dolore ad furorem vertitur: Multis diebus non alloqui quenquam; non cibum ſumere, non vocem emittere,

In Annal. Flandriæ lib. 7.

In ſuo itinere Conſtantinopolit.

Lib. 2. annal. Franc.

Lib. 42.

ita

ita ut mutus factus videretur. Poſt multos deinde dies, ubi dolor vocem laxaverat, nihil aliud quam Pacorum vocabat: Pacorus illi videri, Pacorus audiri videbatur; cum illo loqui, cum illo conſiſtere: interdum quaſi amiſſum flebiliter dolebat. Poſt longum deinde luctum, alia ſolicitudo miſerandum ſenem invadit, quem ex numero xxx. filiorum in locum Pacori regem conſtituat. Multæ pellices, ex quibus generata tanta juventus erat, pro ſuis quæque ſolicitæ animum ſenis obſidebant. Sed fatum Parthiæ fecit, in qua jam quaſi ſolenne eſt Reges parricidas haberi, ut ſceleratiſſimus omnium, & ipſe Phrahartes nomine, Rex ſtatueretur. Itaque ſtatim, quaſi nollet mori naturaliter, patrem interfecit, fratres quoque xxx. trucidat, ſed nec in filijs ceſſant parricidia. Nam quum infeſtos ſibi optimates propter aſſidua ſcelera videret, nec eſſet qui nominatim poſſet Rex creari, adultum filium interfici jubet. Rectiſſime igitur de hoc barbaro Rege, vel potius Tyranno dici poſſet, quod Polybius refert, Philarchum hiſtoricum de Ariſtomacho memoriæ tradidiſſe; Eum non ſolum tyrannum fuiſſe, verum etiam è tyrannis genitum. Quo quid gravius aut perniciofius dici poteſt? hoc enim nomen, inquit, quaſi ſeminarium in ſe continet crudelitatis, & omnes hominum injurias ſceleraque complectitur. Simili morbo laboravit etiam populus Iſraeliticus: qualis enim regnandi cupiditas conjuncta cum inſigni tyrannide fuit in Abſolomo filio Regis Davidis? nonne parricida fuit (ut de Amnone fratre ab hoc interfecto taceam) ſi conatus ipſius ſpectes, patris optimi? Quid Adonias ipſius frater conſanguineus aliud meditatus eſt, quam opera Joabi præfecti militum & Joathari ſummi ſacerdotis, Salomoni deſignato Regi, regnum & vitam præripere, nimia regnandi libidine conaretur, ſicut ſacra hiſtoria expreſſe teſtatur. Sed ad profanas hiſtorias revertamur. Hæc parricidia Artaxerxes potentiſſ. Rex Perſarum, in ſe à filio Dario, quem ſucceſſorem regni conſtituerat, præparata, mira prudentia & aſtu vitavit, ut Plutarchus in ejus vita refert; qui tamen in extrema ſua ſenectute paulo poſt conſpicere cogebatur, quomodo filij ſui propter libidinem regnandi invicem ſibi inſidias ſtruerent, & alter alterum ad moriendum adigeret. Mitiore ſane animo ſunt Reges Æthiopum vel Abiſſinorum, (ex quibus unus, teſte Alvareſio, ſuo tempore Negus, & Johann Belùl, id eſt, gemma precioſiſſima appellabatur) in Africa omnium potentiſſimi. Ii enim regnante legitimo ſucceſſore, reliquos filios ſuos & conſanguineos, ne ad regnum aſpirent, neve habeant occaſionem turbas libidine imperij excitandi, procul remotos, in monte altiſſimo, qui ab Alvareſio Anga vocatur; ad quem propter præcipitia unus tantum aditus eſſe dicitur, (ſcribit enim Hieron. Oſorius; Multos in ea regione montes editos & excelſos contineri, undique præruptos, aditu perangusto, adeo ut unus

Lib. 1. (margin, beside "Philarchum hiſtoricum")

Lib. 9. de reb. Afric. & Indic. (margin, beside "Hieron. Oſorius")

nus tantum homo per oſtium penetrare poſſit, in ſummo autem faſtigio eſſe miras planicies late patentes, aquas perennes, pabula & fruges lætiſſimas, amnes pellucidos, pecorum & boum multitudinem, alvearia, ex quibus ingens vis mellis exprimitur) perpetuis, ſed liberis cuſtodijs potius incolumes detinere, quam parricidia committere malunt. Inde nulli, niſi qui ad imperium magis idoneus ex filijs, & ijs deficientibus, ex proximis agnatis, optimatibus videtur, egredi, & habenas imperij abſque æmulo liberas capeſſere, mortuo tamen ante Rege, licet. Experientia enim docuit, quod plerique Orientales populi impatientes Oligarchiæ, Ariſtocratiæ vel Democratiæ, Monarchiæ ſemper deditiſſimi fuerint; neque potuerint uno eodemque tempore pati plures Reges & dominos. De qua re etiam exemplum in ſacris literis, quum indignante Deo Rex à Judæis more gentilium expeteretur, habemus. Recte itaque Nicoclem dixiſſe perhibent: Non ſolum conſiderandum eſſe ingenium tyrannorum, cur benigni & difficiles ſint, ſed civium quoque mores. Multi enim hactenus propter ſubditorum malitiam, aſperiores ſe dare, quam pro ingenio ſuo coacti ſunt. Huc

Lib.7. referri poſſunt ea quæ Alexander Magnus apud Quint. Curtium dicit, Regum videlicet, ducumque clementiam non in ipſorum modo, ſed etiam in

Serm. Quod opt. ſit monarchia. illorum qui parent, ingenijs ſita eſſe. Teſtatur id quoque memorabile exemplum, quod Stobæus ex Serini apomneumatibus refert. Nam quum Lydis Crœſus imperaret, & fratrem in conſortium imperij aſſumſiſſet, tum quidam ex Lydis accedens dixit: Omnium in terra bonorum, ô Rex, autor eſt ſol, neque quicquam extaret in terra, ſole non illuſtrante. At ſi gemini ſoles forent, periculum immineret, ne omnia conflagrantia peſſum irent. Ita & regem unum quidem accipiunt Lydi, & ſervatorem eſſe credunt: duos vero ſimul tolerare non poſſunt. Huc quoque Homeri illud ſpectare videtur:

Iliad. β.

> οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω,
> εἷς βασιλεὺς ᾧ ἔδωκε κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω
> σκῆπτρον, ἠδὲ θέμιστας, ἵνα σφίσιν βασιλεύῃ.
> *Haud bonum multorum dominatio, unus dominus eſto,*
> *Unus Rex, cui dedit Saturni filius callidi ingenij*
> *Sceptrum atque jura, ut his regnet.*

Idipſum fortaſſe idem Alexander Magnus conſideravit, eique in mentem venit, (diligenter enim legit, & magnifecit libros Homeri: noverat etiam ſeipſum, quod impatiens conſortis eſſet) quum reſponderet legatis Darij,

Lib. 4. ut apud eundem Q. Curtium legimus, mundum duobus ſolibus non poſſe regi, nec duo ſumma regna ſalvo ſtatu terrarum poſſe habere. Huc reſpe-

Problem. 22. xit & M. Anton. Zimara, & quærit rationem, quam ob cauſam multitudo prin-

principum sit mala. An, inquit, quia, si imperium in tyrannidem transeat, ac convertatur; satius est unius quam plurium subire jugum? An quia ad commune reipubl. commodum, ratio imperantium multitudo respicere consuevit? Quo fit, ut uno dissentiente, maximum universitati immineat malum. Facilius quippe est unum, quam plures ad bonum disponi. In principatu enim multorum non desunt invidiæ, jurgia, contentiones, rixæ. Proinde cum experimento comprobatum sit, regnum non capere duos, quam verissime illud Aristoteles enunciavit: Multitudo principum prava: unus ergo sit princeps. Hoc etiam Machiavello placuit, qui reipubl. statum condi & componi non posse asserit, si plures pari imperio rerum arbitri existant. Quippe commune duobus aut pluribus imperium cum raro concors sit, unius hominis ingenio atque autoritate omnia constitui multo esse satius. Ob hanc rem Oligarchia, id est, dominatio paucorum merito comprehenditur. Ea enim regiæ libidini propior est, ut Taciti verbis utar. Recte autem faciet studiosus lector, si Herodotum adhibeat, ubi septem principes Electores in Persia mortuo Cambyse consultant, nunquid Democratiam, vel Aristocratiam, vel etiam Monarchiam in constituenda imperij forma, debeant anteferre. Buchananus sane licet Democratiam non probet, tamen Regem Monarcham ita astrictum legibus esse vult, ut Rex sit lex loquens, lex vero rex mutus, id est, ut Rex & populus communicato consilio communiter statuant, quod ad omnium salutem communiter faciat. Nam, inquit multitudo fere melius quam singuli de rebus omnibus judicat. Singuli enim quasdam habent virtutum particulas, quæ simul collatæ unam excellentem virtutem conficiunt. Quod in medicorum Pharmacis, ac in primis in antidoto eo, quod Mithridaticum vocant, perspicue cerni potest. In eo enim pleræque res per se noxiæ, ubi confusæ fuerint, salutare adversus venena remedium afferunt. Similiter in hominibus alijs tarditas & cunctatio; alijs præceps temeritas obest: hæ in multitudine commixtæ temperamentum quoddam, & quam in omni genere virtutis quærimus, mediocritatem pariunt.

De jure regni apud Scotos.

Caput LXXXIX.

Quo pacto vires Barbarorum præter opinionem mirifice auctæ fuerint.

Paulus Æmilius lib. 1. de reb. gestis.



T si eo tempore, quo Sisebutus Rex Visigothorum Judæos in Hispania cogeret Christum agnoscere, atque ex ijs aliquot millia in Galliam effugerent, & reliquis, quorum antea ingens numerus erat, sese conjungerent, Dagobertus I. hujus nominis XI. Rex Francorum; (cui turpe videbatur, Francos à Visigothis ejectos religionis nostræ hostes indomitos, finibus suis receptos diutius retinere, ac Visigothis religione cedere,) diem Judæis præstituit, intra quam, quicquid mortalium religionem nostram non profiterentur, hostes judicarentur, comprehensique capite luerent. Plures autem eorum exilium pietati antetulere: reliqui Christiani effecti, incolumes mansere. Sunt qui ferant, inquit idem Æmilius, per legatos Heraclium Græcorum Imper. Regem Dagobertum monuisse, ingentem impendere Christianis à gente circumcisa metum: quicquid eorum hominum in Gallia esset, cogendos effici Christianos; In Gallia & cæteris ab Asia magno intervallo disjunctis regionibus, Judæorum vetus mos cognoscebatur: Mahumetis vero Saracenorumque gliscens circumcisio, ignorabatur, cujus vim Christianis formidandam, sortes, an magicæ vanitates, an mathematici per ambages Heraclio cecinisse feruntur, qui sibi etiam à Saracenis, sed alio, reor, consilio caverat. Sed ne longius à cœpta meditatione digrediar: Etsi, inquam, olim Judæi à Visigothorum Rege ex Hispania, & Dagoberto è Gallis expulsi sunt: tamen sub Ferdinando & Isabella Castellæ Regibus deinceps in Judæos miris modis sævitum fuit. Innumera enim multitudo propter scelera nefaria contra religionem Christianam, ut illis imputabatur, commissa, vel supplicio affecta, vel alias sedes quærere coacta fuit. Idem contigit in Lusitania, regnante Emanuele, qui omnibus Judæis atque Mauris, qui Christo dare nomina nollent, ut è regni finibus excederent, diem dixit: intra quem omnes, si non alio se contulissent, & post in illius regno fuissent inventi, libertatem amitterent. Hoc accidit, postquam Constantinopoli à Mahomete capta, imperium Græcorum eversum esset. Quum autem

tem

tem propter irruptiones illas hostiles, interfectis aut captivis abductis incolis, non solum Constantinopolis, sed tota ista regio fere desolata esset, ut rursus ea frequentaretur, jussu Turcici Imp. lex promulgata est, qua unicuique sua religio libera, modo quotannis certum tributum penderet, relinquebatur. Commoti igitur Judæi hac immunitate, qua apud Christianos frui non poterant, sese eo catervatim, cum suis familijs & rebus, quas exportare potterant, contulere; & fama est, ut quidam scribunt, ad centum millia hominum utriusque sexus ad Turcos diversis temporibus migrasse. Memoriæ autem traditum est, Turcicum Imperatorem dicere solitum: Se mirari Christianorum Regum stoliditatem, quod tantam multitudinem quam si non interficere voluissent, attamen mancipiorum loco ad utilia & idonea servitia præstanda retinere poterant, potius in propriam perniciem expellere, quam ad suum emolumentum retinere maluerint, juxta præceptum Horatianum:

Vendere cum possis, captivum occidere noli:
Serviet utiliter ———————

Judæi enim illi primum ad Turcos attulerunt; tum varia artificia, tum etiam perfectiorem usum machinarum bellicarum, aliarumque rerum, quibus antea ista barbara gens destituta fuerat. Idque magno incommodo Christianæ reipublicæ accidit. Hoc sane & olim, licet diversis de caussis, evenisse, magna cum jactura imperij Romani, scribit Herodianus. Quum enim in Oriente Niger à Severo victus esset, magna vis hominum trans Tygrim, metu Severi ad Barbaros abierunt, quo effectum est, ut validiores deinceps Barbari adversus Romanos conserenda manu evaserint, gnari antea pugnare tantum arcu, ex equis, neque armatura muniti, neque hasta gladiove satis audaces, levi pendulaque veste, plurimumque inter fugiendum aversi sagittas intendebant: postea vero, quum Romani aliquot milites, fabrique nonnulli in eas regiones confugerunt, ibi ætatem acturi, non solum armis uti, sed ea quoque fabricare barbari didicerunt. Hanc ob causam & veteres & recentiores leges prohibuerunt, ne quid ad hostes deferretur, quod eorum vires augere, ipsosve ad bellum instruere posset, inter quas extat lex Honorij & Theodosij Impp. quæ ultima est in Codice Justiniani, sub titulo de pœnis, cujus hæc sunt verba: His qui conficiendi naves incognitam ante peritiam barbaris tradiderint, capitale supplicium proponi decernimus. Reliqua quoque quæ ad barbaros exportari non debeant comprehensa sunt sub peculiari titulo ibidem, qui duas leges Valentiniani & Gratiani Impp. & Martiani Imp. continet, ubi pœna capitis & confiscatio bonorum contra inobedientes statuitur. Quibus convenit lex Valentiniani & Valentis, sub titulo C. de malefic. & math. inserta, ubi dicitur:

Lib. 2.

In l. 2. C. de commerc. & mercat. tur: Culpæ ſimilis eſt, tam prohibita diſcere, quam docere. Inprimis autem prohibetur non ſolum, ne barbaris aurum præbeatur: ſed permittitur, ſi apud eos inventum fuerit, ut ſubtili ingenio ab eis auferatur. Sic quoq; *In l 4. C. eo.* interdicuntur commercia cum Perſis, ne alieni regni ſcrutentur arcana. Hoc etiam à Canonibus reprehenditur, ubi in tit. de Judæis & Saracenis Specul. & alij Canoniſtæ plura tradunt. Extat præterea bulla Pontificis Romani, quæ Jovis Sanctæ à publicatione, quæ ſolemni Cœnæ Domini die, Romæ fit, vulgo appellatur, in qua excommunicantur ij, qui ad hoſtes Christiani nominis res prohibitas deferunt, hiſce verbis: « Excommunicamus & anathematizamus « omnes illos, qui equos, arma, ferrum, ligamina, & alia prohibita deferunt Saracenis, Turcis, & alijs Chriſtiani nominis inimicis, quibus Chriſtianos impugnant. *Caſu 21.* Hæc autem late explicantur ab Angelo de Clavaſio in ſumma, quæ vulgo Angelica vocatur, in verbo Excommunicatio. Similes leges peculiares habent Hiſpani in regni ſui conſtitutionibus, ſub titulo. *De las venditas*, ubi textus in principio dicit, *Arma de fuste ni de hierro ni deuen vender los Christianos alos Moros, ni alos enemigos de nuestra fe.* Etſi autem arma apud illos indiſtincte prohibentur exportari ad hoſtes, tamen merces & victualia tantum tempore belli prohibita ſunt. Itaque in d. l. Hiſpanica ſequitur: *Otrosi defendemos, que ningano lieue à su tierra trigo, ni cebada ni vino, ni olio, mientra guerr eran con.* Pœna autem committentium contra hanc legem convenit cum jure communi, quia bona pertinent ad fiſcum, *y el cuerpo es à merced del Rey*, ut videre licet in conſilio II. Roderici Suarij Juriſ. De navibus tranſvehendis & mercibus exportandis, & latius apud Boerium Deciſione 178.

Caput XC.

Libertatem monendi ab aulis plerunque exulare.



Parens meus, cujus memoria ut ſanctiſſima mihi, ita non poteſt eſſe niſi ſuaviſſima, in ſuo peculiari libello, cujus titulum fecit ὑποθῆκαι, quem olim ad Mauritium Huttenum præſulem Aiſtetenſem, ſuum amicum veterem, (hoc nomine enim in literis ad parentem meum ſcriptis ante & poſtquam conſecutus eſſet hanc dignitatem, ſeipſum appellare ſolitus fuit) libero & candido animo ſcripſit, inter alias monitiones ſalubertimas, facit mentionem, quod

quod Potentum parietes & laqueata tecta aulæ libertatis non fere resonent voces: Quin etiam, inquit, principes amicos habere pudet, suamq; excellentiam lædi putant, hac rerum una omnium saluberrima & optima conjunctionis animorum & mutuæ voluntatis quasi exæquatione & similitudine. Non igitur mirum deesse, qui illos ex animo & sincere atq; graviter moneant, quique illis fideliter consulant, cum perpauci inveniantur, vel prope dixerim, nulli, qui ipsos, ac non fortunæ splendorem & suas commoditates sequantur. Antiochum Regem eum qui Parthos oppugnavit, ferunt in venatione aliquando aberrasse à comitatu suo, & diu per sylvas, ignarum loci vagatum, tandem in casam rusticam delatum, quum illum nemo eorum, qui incolebant, Regem esse sciret: quumq; in cœna forte sermo de Rege injectus esset, adjuvisse hunc & produxisse longius, cupidum rescifcendi, quid de se plebs sentiret, atque loqueretur. Nullo autem crimine illius, ac contra plurimis virtutibus commemoratis, nisi quod in exequendis regni negociis uteretur ministerio improborum hominum, quibus nimium fidei haberet, neque ipsam rempublicam respiceret, atque capesseret, quod venandi studio totus esset deditus, atq; uni occupationi isti vacaret: Regem quidem tunc tacuisse, sed quum mane vestigia illius secuti satellites cum insignibus regni adessent, contemplatum diadema & purpuram dixisse: Heri primum, ex quo vobis utor, audivi de me veritatem. Patrum nostrorum memoria Regem fuisse opt. atque fortiss. accepimus Matthiam Huniadem, qui quum Pannoniam solam teneret, formidabilis tamen & Asiæ & Europæ Imperatoribus fuit. Idem mirifico ardore flagravit bonarum literarum atq; artium, quarum professores magnis præmiis affecit, & libros undique grandi pecunia conquiri jussit, quorum spectabilis copia ad Turcicam irruptionem usque duravit. Eum igitur hoc nequaquam fugit, vix esse aditum atque accessionem veritati & libertati in Regum atq; principum domos. Itaque quum haberet circum se non tam belli, quam pacis artium peritos, solitum tamen traditur sæpe illum data opera à comitatu in venationibus suo sese abducere atq; in solitariis casulis rusticorum, vel aliquo pago pernoctare, colligentem famam & rumores de Rege & administratione Reipub. Ita illum nihil ferme vitiorum, vel quibus ipse, vel quibus sui laborarent, neque ulla peccata administrationis, fugisse. Hactenus ille. Hoc fecit etiam olim Mithridates potentiss. & bellicosissim. Rex, qui XLVI. annis cum Romanis varia victoria bellum gessit. Is enim Asiam, cum quibusdam amicis tacitus à regno profectus, nemine sciente pervagatus est omniumq; urbium situs ac regiones cognovit. Noluit enim fidere aliorum oculis & indicationibus. Prudenter itaq; & graviter Gordianus ad Misitheum socerum scribit, Miserum esse Imperatorem, apud quem vera re-

Iustin hist. lib. 37.

Iulius Capitolin. in vit. Gordiani.

ticentur, qui cum ipſe publice ambulare non poſſit, neceſſe eſt, ut audiat vel audita, vel à plurimis roborata confirmet. Quod etiam ante eum Manlius Torquatus prudenter conſideravit. Is enim quum eſſet declaratus conſul, » oculorum valetudinem excuſavit, Impudentem dicens & gubernatorem » & Imperatorem eſſe, qui cum alienis oculis ei omnia agenda ſint, poſtulet, » ſibi aliorum capita ac fortunas committi. Huc Horatius ſpectaſſe videtur, » ubi dicit:

Livius decad. 3. lib. 6.

Segnius irritant animos demiſſa per aurem,
Quam quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus, & quæ
Ipſe ſibi tradidit ſpectator.

Unde Juriſconſulti aſpectum rei, cuicunq; probationi præferunt. Sed ad recentiora exempla huic meditationi magis convenientia, redeamus. Franciſcum Galeatium, Jovius ſcribit, ita amari ſimul & metui cupiiſſe, ut nonnunquam ſordidi mercatoris ſimulato habitu, diſcurrens per ditionis regiones, oblatos in via, aut in diverſoriis hoſpitalibus ſimpliciſſimos homines ad ſerenda de principe colloquia pertraheret, eruendoq; certiſſimos de ſe rumores, utraq; ſui nominis fama frueretur, paratus utiq; ad præmium exſolvendum: aut infligendam pœnam. Nam in Pado, Abdua, Ticinoq; cuſtodes ad trajectum lintribus præpoſitos, qui abs ſe precibus atq; pecunia tentati eſſent, ut ſine teſſera properantem transveherent, ex merito, aut ſuppliciis extremis, aut peramplis præmiis afficere conſueverat. Imitatus autem eſt Galeatius hac in re Leonem Imp. Græcum, qui etiam cum proprio periculo fidem vigilum ſæpe numero expertus eſt. Extat præterea egregium epigramma Georgii Sabini, viri doctiſſ. & poetæ inſignis, de quodam Duce Norico, cujus nomen non exprimitur, quod licet editum ſit in ſuis operibus, tamen propter ejus elegantiam huic meditationi aſcribere volui.

In elog. illuſ. virorum.

Luidprand. Ticinenſis lib. 1. c. 3 & 4 de reb. per Europam geſtis.

Sæpe rudes inter mutata veſte colonos,
Noricus agricolæ Dux faciebat opus.
Nunc paſcebat oves, nunc gramina falce ſecabat,
Vomere proſcindens nunc ſubigebat humum.
Et ſimul illato de ſe ſermone, rogabat
Plurima, nempe quibus moribus ipſe foret?
Juſtus an exigeret pœnas à ſontibus ultor?
Debita conferret præmia numve bonis?
Quærenti vero cauſſam, cur regibus ortus
Princeps, agricolam ſe ſimularet, ait:
Me juvat è rudibus cognoſcere vera colonis,
Servit adulatrix auribus aula meis.

Lau-

Laudantur itaque non immerito reges & principes, quibus administratio regnorum commissa est, quando non ab aliorum nutu & consiliis plane pendent, omniaq; in suos familiares rejiciunt, ipsi plane desides, & ad imperium inutiles: sed ipsimet industrii sunt in rebus ad salutem & incolumitatem subditorum suorum spectantibus. Hoc sane observavit Maximilianus I. Imperator præstantissimus. Ideoq; eum dicere solitum fuisse, scribit Jovius, Turpe quidem esse magno principi nescire literas, sed longe turpissimum his eum moribus atque virtutibus omnino caruisse, quæ populis & gentibus imperantem cum eximia pietatis atq; excellentiæ laude, contra superbiam atque libidinem, & reliquas immoderati animi cupiditates invictum penitus & incorruptum præstarent. Hunc respexit Johan. Tilius. Quemadmodum, inquit, non est temere hæredi regni indulgendum, ita etiam pessime agitur, si quum ad justam ætatem pervenit, non educabitur & informabitur in negociis gravissimis consilioque prudente dirigetur. Magistra enim artium munerumq; experientia, in regni administratione apprime est necessaria, cum sit omnium difficilima, & Xenophontis judicio, divina, mentemq; humanam superans. Hanc docet Scriptura sancta speciatim à Dei spiritu procedere, cujus gratia sit opus & institutione maxima. Eadem admonet Joan. Bodinus, ubi dicit: Ad animus principis institutionem, optimi sapientiæ magistri ac moderatores maximis propositis præmiis conquirantur, non qui solum peregrina lingua, id quod inepte ac perniciose antea factum vidimus, sed qui religione vera molles principis animos leniter imbuant. Nam omnium, quæ de legibus & republ. disputantur, nihil majus est aut majore studio dignum, quam ut princeps intelligat, se ad verum Dei cultum in hanc lucem venisse. In eo solo versatur Reipub. ac legum omnium suprema salus. Qui enim princeps sic erit informatus, ut suarum omnium actionum judicem ac spectatorem Deum esse cogitet, nihil impie, nihil scelerate faciet, nihil turpe cogitabit. Hunc unum sui cives amabunt, metuent, ac ejus exemplo vitam moresq; suos informabunt. Felices sane non solum princeps, sed etiam subditi censendi sunt, quibus hæc contingunt. At exempla fere innumera in promptu essent, quibus doceri posset, institutionem optimam in juventute principes habuisse, ideoq; magnam expectationem & spem optimæ indolis præbuisse: verum una cum ætate ita adulatorum suggestionibus corruptos fuisse, ut nulla vestigia optimæ disciplinæ & institutionis reliquerint. Licet igitur optare cum Budæo: Quod utinam tam consertis manibus comperlam comprehensamq; veritatem semel retinere possemus, quam protinus agnitam festivis oculis hilares exosculamur. Hæc enim veluti fastidiosa est, vel hospita, vel amica, cui quum secularium rerum amorem, quasi æ-

In vita Had. IV. Pontificis Romani.

In comment. de reb. Gall. lib. 2. de fastu regum eorumq. assignat.

Ca. 6. meth. histor.

Li. 4. de asse.

„ mulum quendam, ſuperinducimus, ſenſim ipſa à fluxis abhorrens, ex men-
„ te noſtra quaſi ex contubernio faceſſit, animumque noſtrum ſuas res habe-
„ re ſibi jubet, clam remiſſo nuncio, cum interim æternitatis ſecuri alias res agamus. Recte itaq; Flavius Vopiſcus ita ratiocinatur: Et quæritur quidem quæ res malos principes faciat? Jam primum nimia licentia, deinde rerum copia, amici præterea improbi, ſatellites deteſtandi, Eunuchi avariſſimi, aulici vel ſtulti vel deteſtabiles: & quod negari non poteſt, rerum publicarum ignorantia. Ludovicum XI. Regem Galliæ aliquando dixiſſe ferunt, ſe in regno ſuo, & potiſſimum in aula propria, abundare omnibus rebus una excepta: Quam vero innueret rem, dum quæreret unus ex ſuis familiaribus aulicis, veritatem eſſe reſpondit. Id ipſum Lucas Contilis ſuo feſtivo ænigmate denotare voluit. Habent, inquit, principes nonnulli apud ſe fœminam quandam vultu formoſiſſimam, quam magnifaciunt, induuntque veſte longiſſima ad talos usque deſcendente: hæc altero pede plerunque claudicat, nonnunquam utroque etiam: quo fit, ut ægerrime ferant, ſi ventus quiſpiam ab Auſtro aut Septentrione ſpirans, veſtes, quibus hæc puellæ vitia teguntur, quandoq; attollit. Quare inſtituere permultos, qui non ſecus hujusmodi ventos buccis plenis abſorbeant, atque Charybdis & Scylla marinas aquas, & quæ in iis ſunt, deglutire conſueverunt. Hoc ipſemet ita ſolvit: Principum vitæ conditio permultis expedita, potentia prudentiaque nititur, & magna autoritate exornatur: quam veritas denudare & imminuere, adulatorum autem ora obtegere conſueverunt. Non deeſt enim, ut Q. Curtii verbis utamur, perniciosa adulatio, perpetuum malum Regum, quorum opes ſæpius aſſentatio, quam hoſtis evertit. Hinc evenit, ſicut paſſim exempla in hiſtoriis teſtantur, ut plerunque Reges, ſi perperam ira cupiditateve ſua, vel adulatorum inſtinctu addicti, aliquid fecerint, aut neminem habuerint, qui eos reprehendere libere auſus fuerit, aut ipſi quoque licet admoniti, id quod ſemel in animum induxerant ſuum obſtinatione quadam mutare erubuerint. Hoc prudenter animadvertit magnus ille Monarcha Auguſtus. Cum enim ſuapte natura ad iracundiam & vindictam propenſior eſſet, Mecœnate inprimis, cum ira commotus eſſet, utebatur, ab ea enim & furore eum avertebat, pacatioremq; animo reddebat. Ferunt, cum aliquando plerosque eſſet proſcripturus Auguſtus, nec ad illum præ aſtantium multitudine poſſet Mecœnas accedere, chirographo ſcripſiſſe: Surge carnifex, & tanquam aliud porrigentem, in illius ſinum immiſiſſe, ne videlicet eorum quempiam occidi juberet, quod & factum eſt. Idem & ſæpe alias feciſſe, autor eſt Dio. Diverſo ingenio fuit Cambyſes Rex, præſtantiſſimi Regis Cyri filius degener. Quum enim nimis eſſet vino deditus, ex cariſſimis ejus unus, fretus familiaritate regia, illum admonuit, ut parcius vino & mode-

In D. Aureliano.

Franciſcus Patricius de hiſtoria dialogo V.

Li. 8. de reb. geſt. Alex. Magni.

moderatius uteretur, quod Regi turpe foret, in quem omnes conjectos oculos haberent, ebrietate agi. Hac libera & fideli admonitione adeo Cambyſes excanduit, ut non modo non abſtinuerit, ſed liberalius capacioribusque quam alias ſcyphis quum bibiſſet, adduci ſibi juſſerit ab ipſo monente amico filium, in quem Rex arcum intendens ejus pueri cor ſagitta transfixit. Vide, inquit, an Regis ebrii certa ſit manus & oculus? Harpalus quoque cum liberior in admonendo ſuo Rege fuiſſet, ea libertate ita commotus eſt rex, ut epulandos illi liberos appoſuerit. Sotades præterea ob libertatem monendi juſſu Philadelphi Regis Ægypti miſere periit. Quum enim Arſinoen ſororem ſuam Philadelphus duxiſſet uxorem, Sotadem fretum familiaritate regis dixiſſe ferunt: εἰς οὐχ' ὁσίην τρυμαλιὰν τὸ κέντρον ὠθεῖς. Ne in ſanctam rimam trudas aculeum. Hanc liberam vocem rex adeo indigne tulit, ut plane immemor familiaritatis priſtinæ, Sotadem carceri mancipaverit, ubi miſere contabuit. Eadem libertas monendi ex nimio amore patriæ perdidit Boetium, qui diu maceratus in carcere Ticini, tandem à Theodorico Rege, interfectus eſt. Sicut integram hiſtoriam hujus facti atrocis, cum aliis rebus memorabilibus, id ſecutis, in ſecunda centuria operarum ſucciſivarum, recenſebimus. Caute ſane Demaratus apud Herodotum, ob hanc cauſam reſpondit Xerxi, in expeditione contra Græcos, quum ſententiam ſuam dicere juſſus eſſet. Utra, inquit, apud te Rex utar, Veritate ne an jucunditate? Quod ſi Apollodorus architectus celeberrimus, qui Trajani forum & Odæum, & gymnaſium Romæ fabricavit, hac cautione erga Adrianum Cæſarem uſus fuiſſet, non ejus juſſu ſublatus eſſet. Quum enim deſcriptionem & formam templi Veneris, ut à Dione Caſſio refertur, Adrianus ad eum exulem miſiſſet, quippe ſignificans, ſine illius opera & miniſterio etiam ingentia ædificia extrui poſſe, & quæreret, num id templum bene & ratione ædificatum eſſe videretur, reſcripſit Apollodorus, altius ampliusque multo fieri oportuiſſe, quo magis & propter altitudinem ipſius in viam ſacram emineret, & propter amplitudinem machinas reciperet, quæ clam in eo compactæ, de improviſo in theatrum perducerentur. Porro ſimulacra majora facta eſſe dicebat, quam ratio altitudinis amplitudinisque templi pateretur. Etenim, inquit, ſi deæ ſurgere, atque inde exire voluerint, non poterunt. Quæ cum Apollodorus aperte reſcripſiſſet, Adrianus ira incitatus, magnum animo dolorem cepit, propterea quod inciderat in eum errorem, quem jam corrigere non poterat. Itaque hæc res tantum ei cruciatum doloremque attulit, ut illum ob eam cauſam interfici juſſerit. Prudens itaque & pia fuit admonitio Ludovici Regis Galliæ, qui Sanctus appellatur, ad filium ſucceſſorem in regno, quæ inter alias multas recenſetur à Tilio, talis

Lib. 7.

In vita Adriani.

Lib. 2. de reb. Gall.

talis videlicet: ITA TE GERITO, UT CONFESSARII NECESSARIIQUE ET FAMILIARES TUI POSSINT TE LIBERE ADMONERE MALI QUOD FECERIS, ET DOCERE FACTA TUA. Siquidem natura humana in his rebus quæ ad voluptatem pertinent, ad id ſæpius inclinatur, quod ſibi detrimento eſſe ſolet, atq; id unum profuturum putat, quod ipſa cupit perficere, hincq; revera in fraudem inducta neq; quid conducat ſolertia perſpicere, neq; periculis admonita, vel modeſtiam animi diſcere, vel ſe ad id quod decet, redire poteſt. Merito igitur Arrianus laudat Alexandrum Magnum, quod ſicut interdum præceps ad delinquendum fuerit, id ſtatim eum hoc pœnituerit. Cæterum, inquit, delicti pœnitentia duci, id ego ſoli ipſi inter veteres Reges tanquam eximium ac genuinum quiddam aſſcribo. Pleriq; enim tametſi alicujus delicti conſcii ſint, tuentes id ut recte factum obtegere ſe culpam ſuam putant, iniq; ſtatuentes. Unicam enim peccati medicinam eſſe cenſeo, peccati agnitionem & confeſſionem manifeſtumq; pœnitentiæ documentum edere. Nam qui injuriam accepit, non ita graviter læſum ſeſe judicat, ſi is qui læſit perperam ſeſe feciſſe fateatur: & bona alicui ſpes ſit, ſe non amplius injuria affectum iri, ſi is qui affecit, pœnitentiam facti ſui præ ſe ferat. Hæc Arrianus. Simili ingenio fuit præditus M. Antonius, antequam à Cleopatræ illecebris ejus animus corrumperetur. Inerat enim ejus moribus teſte Plutarcho, ſimplicitas: nec cito ad ſecus admiſſa animum advertebat: Verum ubi res perperam actas ſenſerat, ilico pœnitentia ſubibat ejus animum, culpamq; ingenue etiam ad eos ipſos agnoſcebat, ad quos res acta, injuriaq; pertinebat. Hanc artem optime calluit Ludovicus XI. Galliarum rex perſpicaciſſimus. Quum enim forte ob intemperantiam linguæ lapſus eſſet, & durior fuiſſet, mox agnovit culpam, & converſus ad eum quem offenderat, Non me latet, inquit, obfuiſſe mihi linguam, ſed & profuit aliquando: nunc autem, ut quod illa peccavit, emendem æquum eſt: ac ſimul cum ad eum modum familiariter ageret, donum aliquod dabat non contemnendum. Recte itaq; ibi addit Cominæus: Eſt profecto magnum Dei beneficium agnoſcere, quod vitioſum eſt, ac mentem ad meliora convertere. Melior eſt enim in malis factis humilis confeſſio, quam in bonis ſuperba gloriatio, ut D. Auguſtinus ait. Non raro etiam accidit, ut Reges (contra præceptum Ariſtotelis, qui vult communem in dominatu cuſtodiendo legem eſſe, ne princeps ulli homini, vel digniſſimo, totam ſuam autoritatem committat: ſed ita ut in multos dividat, ut alter ſupra alterum nihil tentare audeat) tantum uni ex ſuis familiaribus, repulſis cæteris fidant, eiq; veluti liberas habenas imperii concedant. Quod raro felicem ſolet habere eventum. De qua re extat inſigne exemplum apud Papyrium Maſſonum. Igitur, inquit,

Lib. 7. Hiſt. prope finem.

inquit, apud Suessionem Carolus, anno nonagesimo decimo nono à proceribus regni derelictus est propter Haganonem Laudunensem. Hic modicæ originis, solus omnium consiliorum particeps erat, ac sine illo neq; domi neq; foris quicquam ardui gerebant. Tanta obscuri hominis gratia Regi ipsi exitio fuit, quum proceres moleste ferrent, unum omnibus, cumq; ignobili proximum, nobilissimis viris anteponi. Quapropter alienatis à se procerum animis Carolus, ab omnibus ita derelictus est, ut nullibi per septem menses locus refugii illi fuerit, quam in oppidis Episcopatus Remensis, donec Herinaro Remensi præsule sese interponente à suis proceribus iterum receptus est, quanquam nec odii seminaria penitus extincta sint, sicut Burgundionum Chronicon Vignerii latius refert. Hoc morbo Regem laborare, & turpe & periculosum est, semperq; fuit. Nam qui unum amat, videtur ceteros odisse: estq; mera servitus regnantis, impotens amor paucorum. Huc referri potest ex vita & literis M. Aurelii Imp. salutaris doctrina, quam Lucullum in expeditione contra Mithridatem in ænea tabula reperisse Chaldaicis literis, & in triumpho suo una cum gaza regia Romam attulisse idem autor ibidem scribit: Non est sapientis principis, si sibimet accersit periculum, ut alterius, quem evexit, autoritas conservetur, neq; vult secure vivere amabilis omnibus. Non est prudentis principis, qui in unum omnia congerit, ut ceteri egeant. Non est justi principis, si magis unius cupiditatibus inservire, quam omnibus gratificari cupit. Fatui est principis, si obnoxius est uni, contemptis reliquorum consiliis. Audax est nimium princeps, qui ut amet unum, sese omnibus reliquis invisum facit. Illustratur id exemplo memorabili, quod extat apud Hugon. Falcandi. Quum Rex Guilielmus Majonem Barensem humili ortum genere, ex notario magnum Admiratum constituisset, eiq; totius regni cura & administratione commissa plenam verbis fidem adhibens nihil alii cupiam credere, nihil prorsus ab alio audire vellet, cæteros omnes excludens cum illo singulis diebus habebat colloquiũ: solus is regni tractabat negocia, regisq; animum, quocunq; libuerat inclinabat, cum falsa cum veris ingerens, tum adulationibus illius temeritatem demulcens. Sic idem Massonus in Philippo rege Francorum, qui cognomen Pulchri è re nactus est, (omniũ enim mortalium suæ ætatis formosissimus fuit, procera admodum statura, membris decenter compositis, venationis, belliq; avidus) maxime reprehendit, quod, ut ipsius verbis utar, reipub. administrationem totam, quod minime decuit, alieno arbitrio commiserit, præsertim aulicorum, quod genus hominum privatis studiis regna evertere consuevit, &c. De has autem re, studiosus lector prolixã disputationẽ cum multis memorabilib. exemplis inveniet, in commentariis de regno; aut quovis principatu recte & tranquille administran-

Li. 2. annal. Franc.

Cap. 61.

De Sicilia calamitatibus.

Lib. 9.

Li. 1. de principis consil.

ſtrando, qui ſcripti ſunt Gallico idiomate adverſus Machiavellum. Recte itaq; & prudenter Franciſcus Guicciardinus hiſtoricus inſignis ita monet: Nihil profecto magis neceſſarium in rebus arduis, nihil rurſum periculoſius, quam ex alterius pendere conſilio, nec cuiquam eſt dubium, alieno conſilio minus egere prudentes, quam imprudentes, & tamen fructum majorem ex conſilio capiendo ſapientes percipiunt. Quis enim tanta præditus eſt ſapientia, qui per ſe omnia perſpiciat, & cognoſcat, atq; in contrariis ſententiis, quæ ſit potior, dijudicare valeat? Verum quis alium conſulens certo ſcit, ſe fidele conſilium auditurum? Nam qui dat conſilium, ni valde ſit fidelis, aut bene erga eum, qui petat, affectus, non modo inſigni utilitate impulſus, verum exiguo quovis propoſito commodo, quavis levi cupiditate, ſæpe conſilium in eum dirigit finem, qui maxime ſibi accommodatus eſſe videatur. Cumq; hi fines non raro ab eo, qui conſilium capit, ignorentur, conſilii infidelitatem, niſi prudens ſit, non animadvertit.

Caput XCI.

Inimicitia, quæ teſtem à teſtimonio repellit, qualis eſſe debeat, & quæ capitalis dicatur.

Per. lib 3. de teſtib l.1.4. quaſtionem de Quaſtion. & authent. de teſtib. §. ſi vero qui dicat. gl. in l. advocat. C. de advocat. diver jud. In ordinationibus criminalib.



Nimicum repelli à teſtimonio dicendo, unicuique mediocriter verſato in jure noſtro notum eſt. Ut autem hac de re jura ſunt clara: ita paſſim ab interpretibus ambigitur, qualis & quanta eſſe debeat cauſſa hujus inimicitiæ. Quidam enim dicunt, ſatis ad repellendum teſtem à teſtimonio, quando lis eſt in ardua cauſſa, vel de univerſa ſubſtantia, quia pecunia, hodie præſertim, pleriſque eſt loco ſanguinis. Alii aliter dicunt: Tandem autem concludunt, eſſe hanc rem judicis arbitrio permittendam, præſertim in civilibus. Nam in criminalibus quæ inimicitia capitalis dicatur, habemus Conſtitutionem Imperii ſub Carolo V. promulgatam. Meo autem judicio hæc quæſtio ex legibus facilius decidi poſſet, ſi obſervaretur, qualis mos olim apud Romanos fuerit, quem morem Jacobus Ravardus evidentiſſ. argumentis, ut ipſe ait, demonſtravit. Ubi ex Suetonio, Valerio Maximo, Cicerone, Sidonio Apollinari, aliiſque autoribus nonnullis

nulla memorabilia exempla adducit, ad quæ studiosum lectorem remitto, in *Imperii art. 26.* suo autem commentario, de diversis regulis juris, ita hunc morem explicat: Si quæsieris, inquit, quænam dicantur inimicitiæ capitales, illud habeto: *Lib. 5. cap. 15 in Varior. sive de juris ambig. Reg. 19.* moris fuisse apud Romanos, ut si quæ graves inter eos inciderent simultates, amicitias solenni modo renunciarent, & inimicitias præsentibus profiterentur. Quæ inimicitiæ sic denunciatæ capitales dicebantur, eo quod sanguinem spirarent ex professo, juxta Arnobii illud adversus gentes: *Lib. 1.* Assumerent ex corporibus causas, quibus ferè fierent & immanes simultates atque inimicitias gererent. Quibus etiam illud adjungi potest, quod Seneca scribit. *Lib. 10. Declamat.* Ne viva quidem uxore per omnia conveniebat, mortua vero inimicum professus est. Hæc ille. Eodem modo, si quem contracti hospitii pœnituisset, renunciare hospitium solebat, ne hospitii jus violaret, sicut apparet ex Cicerone: *Verrin. 4.* Itaque iste, inquit, vehementer Sthenio infensus, hospitium ei renunciat, domo ejus emigrat. Et apud Livium, *L. 5. Secundi belli Punici.* Badius civis Campanus, Quinto Crispino Romano in conspectu duorum exercituum hospitium renunciasse solenniter perhibetur, ut cum eo hostili animo congredi posset. Erat autem sanctissima hospitii necessitudo, & publicè interdum contrahebatur, quæ Græcis proxenia dicitur. Unde Jupiter Xenius, Deus hospitalis dicebatur, quem hospites invocabant, si quando hospitium violaretur, quemadmodum amici φίλιον Jovem invocabant, & sodales ἑταιρεῖον, & gentiles, id est cognati, ὁμόγνιον, & qui ejusdem phratriæ erant φράτριον, & fœdere conjuncti ὅρκιον, quasi jurisjurandi vindicem: sicut eruditè Budæus in leg. solet §. quantum ad exenia (ubi xenia legendum putat) De offic. proconsl: observavit. Tum sanctum apud omnes gentes habitum fuit olim jus hospitii, nec probrum ullum magis detestabile fuit, quam ἄξενον vel inhospitalem aliquem appellare. Præterea moris fuit apud priscos, ut hospites, id est, externi amici tesseras hospitii servarent, ut jus hospitii etiam ad posteros transiret; tesseram enim secum ferentes hospitium liberi, agnoscendos se præbebant: quum autem hospitium renunciare volebant, tesseras frangebant. Eodem modo ex Tacito constat, *Lib. 5.* quod qui amicitiam renunciabat, etiam interdicebat domo. Cæsar, inquit, missis ad senatum literis, disseruit morem fuisse majoribus, quoties dirimerent amicitias, interdicere domo, eum finem gratiæ ponere. Et Clemens Alexandrinus testatur, hanc renunciationem sicut nonnunquam per fœcialem publicè, ita quandoque privatim per præconem factam fuisse: Amicitiam, inquit, quam diu coluerat, misso præcone renunciavit, quod non pœniteret, sed quod fortunæ statum pertimesceret. Hoc etiam apud veteres heroes nostrates, usitatum fuisse, in historiis passim legimus. Nefas enim putarunt, aliquem vel dicto vel facto lædere, nisi prius jure amicitiæ & hospitii renunciassent, quo

factum licitum putarunt, hoſtiliter agere: ſicut hodie quoque inter Reges & principes quum alicui bellum inferre conſtituerunt, per fœciales ejuſmodi denunciationes hoſtiles fieri ſolent. Extant autem conſtitutiones Imperatorum aliquot, quibus ſtatuitur, neminem vi hoſtili lædendum eſſe, niſi prius triduum ante alicui id denuncietur. Sicut videre licet in conſtitutione Imperatoris Friderici, quam Urſpergenſis ſuis Chronicis inſeruit. Nec non Alberti Cæſaris, quæ in fine jurium feudalium Saxonicorum adjuncta [illegible]. Idipſum poſtremo in conſtitutionibus Caroli IV. quæ in aurea bulla, ut [illegible] vocatur, collectæ ſunt, repetitur, conſpicimus.

Caput XCII.

Simultates inter amicos & conſanguineos eſſe graviſſimas.



ETsi prudentes & minimè malitioſi homines, memores dicti, Inimicitias mortales, amicitias vero immortales eſſe debere; irritati, ita ſolent exercere ſimultates & odia, ne præcidant ſibi cum adverſariis omnem ſpem concordiæ & reconciliationis, nam videmus interdum coaleſcere amicitiam inter eos, qui antea fuere hoſtes infenſiſſimi: tamen longè aliter ſeſe res habet in malignis lividis & faſtu tumentibus hominibus, qui aliter ſuam [illegible] tem imaginantur conſiſtere non poſſe, niſi ex deſpicientia & detr[illegible] liorum. Hacque re veluti opſonio, vel ut de Salamandra dicitur, [illegible] videntur. Huc reſpicere monitionem veterum arbitror; Inimico [illegible] ciliato cum cautione aliqua fidendum eſſe. Experientia enim d[illegible] exacerbatos hoſtes reconciliatæ amicitiæ fidem (de degeneribus & [illegible] cupidis, non generoſis & heroicis naturis loquor) plerunque lub[illegible] que infirmam fuiſſe. Siquidem rariſſime ſuſpicio inimicitiæ toll[illegible] conciliationem, quoties nuper ea contigerit. Neque enim, ut [illegible] dicit, facilè propagata odiorum ſementis ſtirps interit: quippe ut gr[illegible] odium deflexus facilis; ita odii ad gratiam difficilis eſt tranſitus: [illegible] animus, quem ſemel indignatio ſubit, ſincera fide excolitur, aut cum [illegible] vehementes primum inimicitias geſſit affectuoſè poſtmodum in grati[illegible] redit. Idipſum ethnico more Antoninus Diadumenus admonuit patrem ſuum Macrinum, in ſua epiſtola, quæ a Lampridio ejus vitæ inſerta eſt, cu-

De reb. Sicu. poſter. decad. lib. 3. c. 2.

jus initium est tale: Patri Augusto, filius Augustus. Non satis mi pater, videris in amore nostro tenuisse tuos mores, qui tyrannidis affectatæ conscios reservasti, sperans eos vel amiciores tibi futuros, si iis parceres, vel ob antiquam familiaritatem dimittendos: quod nec debuit fieri, nec potuit. Nam primum omnium jam te exulceratis suspicionibus amare non possum. Denique crudeliores inimici sunt, qui obliti veteris familiaritatis se inimicissimis tuis junxerunt, &c. Inprimis autem odia acerbiora & immortalia inter eos existere solent, qui in fide & religione conjunctissimis animis fuere. (Nihil enim magis conjungit & disjungit mentes hominum, quam vel similis vel dispar religio) & postea dissidere cœperunt transitione facta ad hostes. Unde proverbium nimis verum ortum esse scimus; Omnem transfugam vel apostatam esse persecutorem sui ordinis, vel eorum à quibus descivit. De qua re alias plura commodiore loco dici possunt; Jam redeamus unde digressi sumus. Ob hanc rem jure nostro aliquis, mox post reconciliationem, non censetur judex, aut testis idoneus, qui paulo ante erat inimicus, cum adhuc dubium sit, an remanserint quædam reliquiæ odii: sed expectandum est, ut amicitia longo tempore sit confirmata, & sint obliterata, oblivionique tradita omnium simultatum vestigia. Unde etiam Cicero non uno in loco inimicitias reconciliatas esse suspectissimas docet, Inprimis autem, ubi inquit: Ego cum omnes amicitias tuendas semper putavi summa religione & fide, tamen eas maximè, quæ essent ex inimicitiis revocatæ in gratiam propterea, quod integris amicitiis officium prætermissum, imprudentiæ, vel ut gravius interpretemur, negligentiæ excusatione defenditur: post reditum in gratiam, si quid est commissum, id non neglectum sed violatum putatur, nec imprudentiæ, sed perfidiæ assignari solet. Rectè itaque D. Hieronymus profitetur, se reconciliatas inimicitias purè colere, & non juxta Plautinam sententiam, altera manu lapidem tenere, panem offerre altera. Et alibi monet amicos post reconciliatam simultatem, etiam leves ut suspiciones fugiant, ne quod fortuito fecerint, consulto facere putentur. Hinc videmus plerunque evenire, ut simultates accedentibus præsertim conviciis & probris, quæ inter amicos conjunctissimos accidunt, implacabiles ferè esse soleant, & ista vulnera raro aut nunquam penitus, vel absque cicatrice coalescant: tantum abest ut benignitate aut beneficio vincantur. Etenim, quemadmodum omnis natura, quæ à sua specie degenerat, in multo deteriorem abiit, quam si eam natura ingenuisset, si hydrus vel natrix, sicut post Nicandrum & Aetium Mathiolus in suo herbario observavit, quando aquam elementum suum consuetum relinquit, & terram incolit, longè deterior evadit, & deinde Chersydrus appellatur: Ita hostes ex amicis facti omnium a-

Cap. accusato in 1. & gl. ibi 3. q. 1. Didac. Covar. c. 18. n. 3. pract. quæ

Pro Milon.

Ad Ruffin. In Ruffinum lib. 1.

Li. Sapient. cap. 22. cerrimè odiſſe ſolent adverſarios. Hoc admonere voluit Syracides ubi dicit: Qui conjicit in volucres ſaxa, fugat illas, & qui convicia facit amico, diſſolvit amicitiam. Si gladium eduxeris contra amicum, ne deſperes, fieri enim poteſt reconciliatio. Si adverſus amicum os aperueris, ne verearis, relinquitur enim compoſitio: excepta contumelia probri & ſuperbiæ & detectione arcani & ictu fraudulento. In his enim reſilient amici omnes. Hoc autem non ſolum inter extraneos, quos amicitiæ conſuetudo ſolummodo abſque ullo arctiore vinculo conſanguinitatis conjunxit, evenire videmus, ut exemplum ſatis recens extat in Sfortia & Bracio, quos Jovius duo belli fulgura nuncupat. In elogiis. Ii ab initio fraterna charitate inter ſe convincti, pari ſpe, parique induſtria militarunt, donec ambitione & ſuperbia diducti ex amicis hoſtes facti, uſque ad extremum ſpiritum multis prœliis inter ſe conflixerint, neque reconciliari potuerint: ſed etiam (dolendum ſane) inter eos idipſum contingere ſolet, qui conſanguinitatis vinculo arctiſſimo connexi ſunt. In l. cum oporteat C. de bon. quæ lib. Id quod Juriſconſulti, inter quos fuit Baldus, obſervarunt, ut odio inter eos neque interceſſione amicorum, neque alia ratione ſanari potuerint, donec ferro res definita ſit. Plutarchus in vita Æmilii Pauli. Pulchrum eſt itaque præconium Æliorum. Etenim ſedecim unius gentis Ælii, unam exiguam domum poſſidebant, uniuſque prædii fructibus ſe ſuſtentabant, unaque iſta in domo, multis cum liberis & uxoribus habitabant, inter quas Æmilii etiam, qui duos conſulatus geſſit, biſque triumphavit, filia fuit: neque eam paupertatis viri pudebat, quin virtutem potius, qua paupertatem ferebat, miraretur. Lib. 2. Elegans quoque exemplum concordiæ fraternæ adducitur à Juſtino hiſtorico, cum inter Arthementem & Xerxen filios Darii contentio de ſucceſſione in regno Perſarum mortuo patre eſſet, & minor majori non prælatus fuiſſet; Adeo enim fraterna contentio fuit, ut nec victor inſultaverit, nec victus indoluerit, ipſoque litis tempore invicem munera miſerint, & jucunda quoque inter ſe, non ſolum credula convivia habuerint, judicium quoque ipſum ſine arbitris, ſine convitio fuerit. Tanto moderatius tum fratres inter ſe regna maxima dividebant, quanto nunc exigua patrimonia partiuntur. Ideo pergit Plutarchus ibidem: Noſtro tempore, fratres & cognati, niſi regionibus, fluviis muriſque communia bona diſtinguant, longoque à ſe invicem ſint remoti ſpacio, altercandi finem nullum faciunt. Quemadmodum autem plura exempla tam vetera quam recentiora hac de re extant: ita unum ex priſcis, de duobus Hiſpanis agnatis, mihi præ cæteris dignum, ut ex Livio huic meditationi insereretur, viſum fuit. Lib. 28. ab V.C. Corbis & Orſua, inquit, patrueles fratres, de principatu civitatis, quam Ibem vocabant, ambigentes, ferro certaturos profeſſi ſunt. Corbis major erat ætate: Orſuæ pater princeps proximè fuerat, à fratre majori poſt mortem

ejus

ejus principatu accepto. Quum verbis disceptare Scipio vellet, ac sedare iras: negatum id ambo dicere communibus cognatis, nec alium deorum hominumve, quam Martem se judices habituros esse. Robore major, minor flore ætatis ferox, mortem in certamine, quam ut alter alterius imperio subjiceretur, præoptantes, quod à tanta rabie dirimi nequirent, insigne spectaculum exercitui præbuere, documentumque, quantum cupiditas imperii malum (sicut supra quoque aliquot exempla adduximus) inter mortales esset. Major usu armorum, & astu, facilè stolidas vires minoris superavit. Huc pertinet duorum fratrum Polynicis videlicet & Eteoclis filiorum Oedipi regis Thebanorum exemplum, quod apud veteres propter ipsorum odium perpetuum, est celebre. Inter illos enim non solum in vita nulla reconciliatio locum habuit, verum etiam quum in prælio mutuis vulneribus concidissent, unus rogus cadavera ipsorum conjuncta pati noluit. Unde Statius poeta: Cap. 86.

Ecce iterum fratres! primos ut contigit artus
Ignis edax, tumuere rogi, & novus advena busto
Pellitur, exundant diverso vertice flammæ.

Et Lucanus:

Scinditur in partes geminoq; cacumine surgit,
Thebanos imitata rogos.

Sic in quæstione illa gravissima, An nepos præferatur patruo secundo genito in successione avi, si nepos ipse natus est ex primogenito prædefuncto, allegant Jurisconsulti id, quod Ottone imperante accidit. Quum enim inter nepotem & patruum controversia de successione amicè sopiri non posset, judicavit, ut singulari certamine ostenderet, uter succedere deberet: tandem bis pugna inter eos secuta, nepos bis vicit, & judicio gladiatorio quæstio finita est. Memorabilis quoque, sed nimis tragica est historia, quæ à Bernardino Scardeonio, de geminis fratribus Limineis ex familia antiquiss. oriundis, recensetur. Legimus, inquit, ex hac gente fuisse aliquando duos fratres, qui per æstatem ruri noctu post cœnam, cum ambo sub dio in atrio domus, de diversis rebus diversa inter se loquentes, starent, suspicientes & contemplantes innumeras stellas, quas tunc forte sereno cœlo fulgere videbant: per jocum alterum velut ridendo dixisse: Precari se tot sibi boves esse, quot stellas fulgere conspiceret. Alterum mox itidem per jocum respondisse. Utinam mihi pratum esset, instar cœli latum: & ad fratrem conversum dixisse, Ubi tuas pasceres boves? At illum, In tuo prato, dixisse rursum alterum, Si nollem? Te etiam invito, alterum respondisse. Tunc me invito? inquit. Te etiam invito, ille respondit. Et ita altercando risu in iram, & mox ira in rixam, & in serium furorem converso, dum neuter alteri cedere vult, exertis utrinque Lib. 3. class. 13. in descriptione urbis Patavii.

gladiis, quibus fortè ambo erant infeliciter accincti, se invicem transfixerunt. Et hinc unus, illinc alter humi decidentes, exanimes in suomet [illegible]nguine volutantur, donec à domesticis, qui eos altercantes audierant, delati [illegible]

Lib. 14 hist. Venet.

domum fatali hora properante extincti sunt. Non minus tragicam & rece[illegible]tem historiam recenset Petrus Justinianus. Novus, inquit, insolitusque [illegible] in Hetruriæ finibus evenit. Nam ex Cosini Florentiæ Ducis liberis, Jo[illegible]nes Cardinalis, magnæ indolis adolescens, in venationem cum duobus fr[illegible]bus Hernando & Cartia, aliisque comitibus profectus, dum canes lep[illegible] assiduo, per latam planiciem cursu insecuti fuissent, feramque morsu [illegible]hendissent, in controversiam cum fratribus venit. Unusquisque eni[illegible]bus suis captæ prædæ palmam tribuendo, in dicacia verba invicem pro[illegible]re. Cardinalis autem probri impatiens, ut elati animi erat, Cartiam fratrem, cum quo jurgabatur, colopho percussit. Tum ille injuriam non ferens, [illegible]dio educto, Cardinali fratri in femore magnum vulnus intulit, quo paucis horis interiit: atque ipse à Cardinalis heri sui famulo sauciatur, patrique Cosmo ex illa infelici venatione inter ferarum spolia occisi filii corpus relatum est. Cartia quoque non multo post ex vulnere interiit. Ita levissima ex causa pater fratricidio filios amisit. Hucusque Veneta historia. Hinc a[illegible]aret, quod quemadmodum scintillula parva est res & penè dum cernitur, tamen non videtur, sed si fomitem comprehenderit, & nutrimenta sui, quamv[illegible] parvus ignis invenerit: mœnia, urbes, latissimos saltus, regionesque consumit: ita st[illegible]dium contendendi exiguum, sæpe odio occasionem præbeat, ex quo o[illegible]xa, eaque invalescente acerba existit æmulatio: hanc occulta subsequitur [illegible]vidia, & ex hac rursum animi exardescit acris ira, quæ homicidiis fœ[illegible]sam exhibet, nisi præstantioris, nimirum prudentiæ consiliis ea av[illegible]

Prov. c. 17.
Prov. c. 20.

Non frustra igitur Salomon dicit, Litis initium esse perinde, ac si alveu[illegible]perit aqua: Fugiendas itaque esse contentiones, priusquam iis implice[illegible]quis, & ibidem gloriosum est fugere litem, omnis autem stultus libe[illegible]xatur. Ne autem planè in exteris exemplis inhæreamus, parum abfuit, [illegible] nostro tempore, inter duos agnatos principes Imperii, simile aliquid accideret, si non improvisus casus intervenisset, & violenta consilia impe[illegible]t. Nostra enim ætas non caruit admirandis & propemodum inexplic[illegible]bili[illegible]s controversiis, quæ nonnunquam insperatos eventus habuere. Hoc aute[illegible] cum paucis cognitum sit, ego sicut à viro præcipuæ autoritatis, & diu [illegible]sato in aulis Marchionum cognovi, huic capiti inserere volui. Quum qu[illegible]rundam hominum turbulentorum, quorum nomina hîc referre non est necesse, inter illustrissimos principes Georgium & Albertum Casimiri [illegible], Marchiones Brandeburgenses, &c. non exiguæ exortæ essent simultates & tandem eorundem opera effectum, ut animi principum planè distra[illegible]

heres-

herentur, atque eam ob causam paternæ ditiones inter ipsos dividerentur, pactaque conventa ob eam rem solennibus scriptis conficerentur, accidit, ut Georgius Marchio (qui longa experientia rerum edoctus, perspicaci cura Albertum patruelem adolescentem instituere cupiebat) animadverteret, abuti nonnullos ejus juvenili fervore, ita ut eorum instinctu potius turbulenta consilia, quam pacata amplecteretur. Quare heroica quadam indignatione, attamen iræ præter modum indulgens, quum comperisset principem Albertum patruelem venisse Neostadium, re cum nullo ex suis consiliariis communicata, literas sua manu exaratas ad Albertum mittere constituit, quarum fuit argumentum: Cum omnino videat, se multipliciter falsis conviciis peti, & plurima contra decorum ab eo agi, nolle tamen se propterea bellum aliquod movere, & subditos miseros, insontes, & harum controversiarum planè ignaros, præter omnem culpam bello affligere, sed potius se, quamvis senem, provocare cum juvenem ad duellum, & monere modò suo honori consulere velit, ut ad certum diem, nullo planè ministro comitatus, eques cum equestribus armis principe dignis, in quandam vicinam sylvam (locum certum designans) veniat: ibi & ipsum equitem, eodemque modo armatum præsto ad futurum: ubi ambo remotis arbitris, aperto Marte congrediantur, deque tota causa concertent. Se enim (ut est mos Germanicè loquendi) canam suam barbam paratissimo ac planè intrepido animo, ipsius rufæ lanugini esse oppositurum, & experturum, utra esset melior. Cum his literis ad principem Albertum, ablegat puerum quendam nobilem, natione Polonum, severè illi injungens, ut nulli alteri nisi ipsi principi eas tradat. Puer jussa principis sui quàm primum exequi studens, statim ad iter sese accingit. Sed ecce jam equum conscensurus, ab alio suo sodali, qui planè aliud agens, incautius bombardulam, ut vocant, manuariam, tractat, per lasciviam globo trajicitur. Quo occiso litteræ ad Principem referuntur, & consilio ejus cognito, ob tam improvisum casum à Consiliariis ad saniora consilia convertitur. Misero etiam illi, qui fortuitam illam cædem perpetrarat, & ideo in fœdiss. carcerem fuerat conjectus, jam principis ira lenita, ab iisdem venia impetratur. Hæc facta sunt, anno Christi M.D.XLI. Dura sanè & atrocia sunt hæc quæ diximus, sed longè atrociores simultates inter liberos & parentes, planè contra naturam interdum oriuntur & exercentur. De qua re insigne extat exemplum apud Trithemium de Friderico Phittensi Comite, qui anno salutis MCCXXXIV. à proprio filio post longam carceris inediam crudeliter occisus est. Similem historiam habemus apud Philippum Cominæum, erat id temporis, inquit, Geldriæ dux Adolphus adolescens, qui uxorem duxerat ex familia Borboniorum. Is horribili & inaudita quadam audacia patrem suum de nocte, quum esset quieti se daturus, acerrima hyeme ceperat,

In Chronicis

De reb. gestis Ludovici XI Gallarum Regis lib. 5.

perat, & per quinque milliaria deductum abſque calceis, in teterrimum carcerem & obſcuriſſimum detruſerat, in eoque per ſex menſes cum detinuerat. Et hac demum occaſione grave fuit excitatum bellum à Duce Clivenſi, ſororio ſenis captivi, adverſus Adolphum. Intercedebat quidem Carolus, ut eos pacificaret, ſed fruſtra. Quumque pontifex etiam Romanus & Cæſar tandem ſeſe immiſcerent; Carolus illorum mandato, captivum Arnoldum è carcere liberavit. Adolphus enim quoniam & autoritatem pontificis atque Cæſaris, & Caroli quoque potentiam verebatur, non audebat ei petenti hoc negare. Vidi ipſe, quum ambo ſuam cauſam non ſemel apud Carolum, in coetu & concilio multorum hominum diſceptarent: Vidi quum pater filio offerret duellum, Carolus etſi cupiebat eos componere, magis tamen erat propenſus in filium, cui & Burgundiæ præfecturam & Geldriæ poſſeſſionem deferebat, uno tantum excepto oppido, Graviam vocant, quod eſt ad Moſam, Brabantiæ vicinum. Illud patri voluit ſervari, & ſimul tria florenorum millia quotannis, & tantundem ex annua penſione, & Geldriæ titulum. Ut eas conditiones Adolpho proponeremus, mihi fuit cum aliis me prudentioribus à Carolo mandatum. Verum ille reſpondit, ſe malle præcipitem dare parentem in puteum, & ſeipſum deinde eodem conjicere potius, quam ejuſmodi conditiones accipere, patrem jam præfuiſſe per totos quadraginta quatuor annos, æquum eſſe, ut tandem ad ſe quoque redeat principatus: ferre poſſe, ut ille quotannis habeat ad tria florenorum millia, ſed ea conditione, ut ex Geldria diſcedat, nec unquam eo revertatur. Hæc & id genus alia multa nobis parum equidem prudenter reſpondit, & accidit iſtud, quo tempore Rex Ambianum ademit Carolo, qui tum una cum his duobus, parente & filio [illegible] Dorlani, & accepto nuncio de occupato Ambiano diſceptationem intermiſit, & Heldinum ſe contulit. Adolphus autem ſumpta veſte Gallica, comitatus uno tantum famulo, rediturus in Geldriam, quum apud Namurcum trajiceret flumen, & pro vectura perſolveret, agnitus ab uno & altero, captivus Namurcum deductus eſt, & in carcere detentus fuit, donec mortuo Carolo Gandavenſes ipſum eriperent, eique bello, quod cum Tornacenſibus gerebant, præficerent: quo quidem in loco miſerabiliter fuit trucidatus, ultore & vindice Deo, qui ſcelus nullum ſinit impunitum. Hinc apparet verum eſſe quod vulgo dicitur, Amorem deſcendere potius, quam aſcendere, idcoque patrem minore moleſtia alere & tueri decem liberos, quam decem liberos unicum parentem. Illuſtratur hoc egregia hiſtoria, quæ olim Gandavi accidit, & adhuc ibi ære incisa conſpicitur. Quum enim pater & filius uterque propter enormia ſcelera morti adjudicati eſſent, Comes Flandriæ, cupiens periculum facere, in quo eſſet ardentior στοργὴ, dicitur conceſſiſſe alterutri vitam, qui alteri

tei caput præcideret. Tandē patrem multis argumētis ægre perſuaſiſſe filio, diu renuenti, ut carnificis officio in genitorē fungeretur. Unde leges Imperatoriæ ſtatuunt, in quæſtionibus habendis, prius filium quam patrē, ſed tamen eo præſente vel ſciente, torturæ ſubjiciendum, quod naturale ſit, patrem magis metuere pœnā, & gravius ferre cruciatus filij, quam proprij ſui corporis, ideoq; durius filij, quam ſui ipſius pœna affectum, facilius ad veritatis confeſſionem compelli. Sed revertamur, unde paulisper digreſſi ſumus. Merito laudatur Pomponius Atticus à Cornelio Nepote, qui ab eo ſe audiviſſe ſcribit, quod cum matre nonagenaria, quam ipſe natus annos ſexaginta ſeptem, extulit, nunquam in gratiam rediſſet; neque unquam cum ſorore, quam prope æqualē habuit, fuiſſet in ſimultate, tacite innuens, plus eſſe nō rediſſe in gratiam, quam non fuiſſe in ſimultate. Matrem enim nunquam offenderat; inter ipſum & ſororē etiam, ſi quid incidit offenſarum, nunquā exierunt in ſimultates, quæ tamen inter fratres & ſorores frequētes & acerrimæ ſolent exiſtere. Sane Ethnici ut de Chriſtianis, qui expreſſum mandatum divinū de parentibus honorandis habent, modo taceam, in eos qui parentes ſuos male habent, vel illis debitum honorem non reddunt, pœnam gravem cōſtituerunt. Talis eſt enim lex Platonis, quam integram, cum ſit memorabilis, aſcribere volui:

L. iſti quid. De eo quod met. cauſ. juncta gl. in verbo magis & paragr. fin. Inſtit. De noxal. action.

Eraſ. Roter. lib. 6. apopht.

Lib. 11. de legib.

SI QVIS MINUS QVAM DECET PARENTES COLAT, NEQVE MAGIS EOS QVAM FILIOS NEPOTESVE, ET SEIPSUM ETIAM DILIGAT, UT OMNIBUS OBSEQVIORUM OFFICIORUMQVE GENERIB. ILLIS OBTEMPERET, ILLORUMQVE VOLUNTATIBUS ET MANDATIS OBSECUNDET: PATER QVI NEGLIGITUR, VEL IPSE, VEL PER ALIUM, AD TRES DE LEGUM CUSTODUM COLLEGIO SENIORES REM DEFERAT, ET AD TRES QVOQVE DE MATRIMONIORUM CURATORIBUS EXIMIOS, ILLIS VERO HOC SCELUS SUO CURÆ, ET RE DILIGENTER EXPLORATA, IN LIBEROS INIUSTE AGENTES ANIMADVERTUNTO. SI IUVENES ADHUC FUERINT, PLAGIS ET VINCULIS AD TRIGESIMUM USQVE ANNUM, SI MASCULI FUERINT: SIN FOEMINÆ, AD QVADRAGESIMUM USQVE ANNUM, IISDEM SUPPLICIIS COERCENTOR. SI AUTEM EAM ÆTATEM EXCESSERINT, NEQVE DESINANT PARENTES NEGLIGERE, IMO ETIAM CUM ILLIS ACERBE ET DURITER AGANT: TUM AD MAGNA CIVIUM OMNIUM COMITIA PERTRAHUNTOR, ET EX OMNI COETU SENIORES DE RE QVÆSTIONEM HABENTO. DAMNATUM SENATUS HUIUSMODI POENIS PLECTITO, QVANTAS POTEST MAXIMAS ET ACERBISSIMAS MORTALIUM ALIQVIS PERFERRE ATQVE EXPENDERE. QVOD SI SENEX PATER FILIORUM ACERBITATE IMPEDITUS REM DEFERRE NON POSSIT, QVILIBET INGENUUS, SI REM AUDIERIT, EAM IPSE AD MAGISTRATUS DEFERRE TENETOR: NI FAXIT, IMPROBUS HABETOR, ET CUILIBET FAS ESTO EUM IGNOMINIÆ ACCUSARE. SI SER-

VUS REM INDICARIT, LIBER ESTO, ETSI VEL IN UTRIUSLIBET FUERIT POTESTATE, PARENTUM ILLORUM VEL FILIORUM, ID EST, EORUM QVI VEL MALE HABENT, VEL HABENTUR: A MAGISTRATU NULLO PERSOLUTO PRECIO LIBERATOR, SI CUIUSQVE ALTERIUS CIVIS: CIVITAS SERVI PRECIUM DOMINO RESTITUITO, ET SERVUM IUBETO LIBERUM ESSE, CURÆ VERO MAGISTRATUI ESTO, NE EI QVI REM DETULERIT INDICATIO FRAUDI SIET: Poſtremo non omittenda eſt lex Clotharij Regis, inter leges Alemann. xxxv. quæ fuit talis: Si quis Dux habet filium contumacem & malum, qui rebellare conetur contra ipſum patrem ſuum per ſtultitiam ſuam, vel per conſilium malorum hominum, qui volunt diſſipare provinciam; & hoſtiliter ſurrexerit contra ipſum patrem ſuum, dum adhuc pater ejus potens eſt, & utilitatem Regis poteſt facere, id eſt, exercitum gubernare, equum aſcendere, voluntatem Regis implere; & filius ejus vult eum diſhonorare, aut per raptum regnum ejus poſſidere: non obtineat, quod inchoat. Et ſi pater eum vicerit: & apprehendere potuerit, in ſua ſit poteſtate, aut exiliet eum de provincia, aut ubicunque tranſmittat eum, aut Regi Domino ſuo, & de hæreditate paterna amplius ad eum nihil pertineat, quia illicitam rem contra patrem ſuum fecit.

CAPUT XCIII.

Quare Bacchus pingatur cornutus. Et de variis modis inebriandi.



VUlgo Bacchi imago cornuta pingitur. Quum autem inter amicos hac de re diſputatio orta eſſet, quam ob cauſam olim & nunc cornua Baccho, tam in picturis quam in ſtatuis plerunque attribuerentur (nam conſtat ex hiſtorijs, eum virum militarem & acrem, ſed neutiquam tam monſtroſa forma fuiſſe) quidam putabant ei tanquam deo Ethnicorum olim radios appictos fuiſſe, eosque cornua denotare, ſicut enim Moyſes, licentia pictorum, paſſim cornutus in picturis conſpicitur, cum ex colloquio Dei radiatam faciem habuerit. Apud Hebræos enim radius & cornua ſunt æquivoca, ut Pierius vult. *In Hierogly.* Nonnulli cenſebant Bacchum more Indorum ex crinibus ſuis cornua faſtigiata inſtar criſtarum (non ſecus ac nonnullæ mulierculæ Venetæ hodierno die, neſcio unde deſumpto ritu faciunt) geſtaſſe, cum præſertim quidam cornua criſtas vocent, ut Virgilius;

Æneidos. ——— *Et rubra cornua criſtæ.*

hoc

hoc est, comas, quas Græci *κέρας* nominant. Unde & *κείρειν* tondere dicunt & cornua volunt cincinnos esse, sicut cornutum Lysimachum Regem in ejus numismatibus videmus. Eodem modo Armenij adhuc, & Lydi sacerdotes, cum hujusmodi cincinnis & capillis conspiciuntur, ut hæc & alia erudite observavit Lilius Giraldus. Moris etiam est Indis & Arabibus hodierno die, ut peregrinatores affirmant, ituris in prælium, ex proprio capillo sibi cornua & cincinnos nectere, & ita bicornes ad terrorē hostium prælia inire. Alij in ea sententia fuere, hac pictura, mystica admonitione, depingi sub imagine Bacchi, animum eorum, qui ebrietati dediti essent, ij enim vino onerati plerunque audaciores sese exhibere, eaque interdum attentare solent, quæ sobrij ne cogitare quidem auderent. Cornua igitur audaciam, & ferociam illam intempestivam, & momentaneam denotare. Quippe ij, cum ne vestem quidem interdum possideant, nec alimenta in crastinum habeant; regnant & exercitibus imperant, dum ebrij sunt; ac civitates ædificant, & pecunias his atque illis largiuntur. Talibus imaginationibus, & tanto errore corda ipsorum implet vini fervor, &c. Hoc confirmatur autoritate poetæ, ubi mores ebriosorum ita describit:

De diis gent. 8. syntag.

Basilius in descript. ebrietat.

——Tum pauper cornua sumit.

Et Horatius:

Lib. 3 od. 21. ad Amphoram.

Tu spem reducis mentibus anxiis
Viresq; & addis cornua pauperi,
Post te neq; iratos trementi
Regum apices, neq; militum arma.

Huc referri possunt, quæ idem Giraldus ex Porphyrio recenset. Cornua videlicet Libero patri & nonnullis aliis assignari, quoniam scilicet vinolentia protervitatem & contumaciam addere solet, quæ per cornua significetur. Cornua, inquit Festus, Liberi patris simulacro adjiciuntur, quem inventorem vini dicunt; eo quod homines nimio vino truces fiant. Quo etiam Horatius spectasse videtur hisce versibus:

In 2. Carm. Horat. super ea verba: Aureo cornu decorū.

Quid non ebrietas designat? operta recludit,
Spes jubet esse ratas, in prælia trudit inermem,
Sollicitis animis onus eximit, addocet artes.
Fœcundi calices quem non fecere disertum?
Contracta quem non in paupertate solutum?

Sic quoque Bacchum vel Dionysium, complures insanientem finxerunt, quod ij qui vino immoderatius utantur, fiant tumultuosi, ut Athenæus hoc asserit, ubi hosce versus addit:

Lib. 14. c. 8. dipnosoph.

Sic tibi, sic aliis nocuerunt dulcia vina,
Qui fusim potare solent, nec justa requirunt.

Eadem rès Baccho ſequentia aſſignavit epitheta, imprudentis, armigeri, Fulminei, inſani, audacis, martij, belligeri, effœminati, ſemihominis, bis nati: ſicut & alia quoque paſſim in autoribus veteribus reperiuntur. Eodem modo idem Athenæus dicit : Ex ebrietatis habitu cum Pardali & Tauro Bacchum comparare quosdam ſolere, quia ad vim converti temulentos faciat. Hoc ſane ſuperſtitioſa antiquitas thyrſo ſignificare voluit. Fuit enim thyrſus haſta Baccho attributa, ejus mucro hedera lambente protegebatur, quod ſignificabat, teſte Macrobio vinculo quodam patientiæ obligandos impetus furoris. Habet enim hedera vincendi obligandique naturam : vini vero calor ad furorem ſæpe hominem propellit: Notat inſuper Giraldus in allegato loco, quod Bugenem βουγενῆ Διόνυσον id eſt, bove genitum Bacchum, Argivi coluerint, unde Græcorum pleriq; ταυρόμορφον, id eſt, tauriformem Bacchum, & ταυροκέφαλον, id eſt, tauricipitem, item ταυρωπὸν ab Orpheo effingebant & appellabant, natumque ex Perſephone, ut Clemens & Euſebius tradunt. Quinimo etiam Taurus dictus eſt, & illi cornua attributa, & cognomen etiam factum ταυροκέρως, ut eſt apud Nicand.. Idem & ab Orpheo in hymnis βουκέρως Δικέρως. Hinc Ovidius:

In hiſt. deor. ſyntag. 8. — *In Stromat. l. 2. de præpar. Evang.* — *Commen. in Alexi ph.* — *Lib. 5.* — *Lib. 4.*

Accedant capiti cornua, Bacchus eris.

Diodorus autem cornua Baccho ideo attributa tradit, quia primus boves jugo junxerit, & Bacchus idem ſit qui & Oſiris. Idem tamen idcirco cornutum Dionyſium prodidit; quod Ammonis filius fuerit, qui arietino capite cum cornibus fuiſſe dicitur. Quamvis autem hæ cogitationes non ineruditæ ſint, tamen non negligendam eſſe arbitror opinionem ejusdem Athenæi, qui ut à Pomponio Læto refertur, ideo Bacchum cornutum pingi putat, quod veteres ad conciliandam majorem lætitiam, ut plenius ſe ingurgitarent, magnis cornibus potare ſoliti ſint. Is n. non ſolum cornutum fingi Bacchum, & taurina facie conſpici in Cyzico ſcribit: verum etiam addit, Philippum Regẽ cornu præbibere ſolitum his, quos perbenigne excipiebat. Ea forſitan, & ſimilia pocula, capto Perſeo ultimo Rege Macedoniæ, in triumpho Æmilij oſtentata fuere. Scribit enim Plutarchus, Crateres argenteos pocula in cornu formam tornata, pateras calicesque, ſingula pulcherrime ornata, craſſitieque & mole nimia ſpectanda in pompa geſtata eſſe. Idem Athenæus recenſet Athenienſium, aliorumque ritus, qui cornibus argenteis & aureis in convivijs uſi ſunt. Sic Cæſar ſcribit: Germanos cornua Urorum ſtudioſe conquirere, & à labris argento circumcludere, atque in ampliſſ. epulis ijs pro poculis uti:. Ejusmodi cornua ingentia magnæ capacitatis, laminis aureis argenteisve circa oram medium ac finem circundata, Friſijs & olim & hodie poculorum loco in convivijs uſitata eſſe, teſtatur Cornelius Kempius. Putat autem Athenæus Craterem à cornu, quaſi ceraterem (κέρας, enim cornu Græcis dicitur)

In vita Valentiniani. — *Lib. 11. c. 8.* — *In vita Æmilii.* — *Li. 6. de bello Gall.* — *De origine, ſitu, quali.*

dicitur) appellatum eſſe. Sane ejuſmodi cornua magnæ capacitatis, & ſingulari arte cum Gothicis rythmis cœlata, auroque & argento elaborata, ad nos quoque è remotioribus ſeptentrionalibus locis allata ſunt, quæ apud mercatorem quendam noſtratem, qui in illis regionibus negociabatur, magna cum voluptate, propter novitatem rei, vidi. Is affirmabat, in hodiernum diem, illos homines Septentrionales, præ cæteris poculistalibus cornibus delectari, & ſuaviſſime ex eis, ſæpiusque ad inſaniam uſque potare ſolere. Hoc quoque confirmat Olaus Magnus. Sciendum autem eſt, hanc vim inebriandi, non ſolum in nimio potu (ſive ex vino is ſit, ſive ex ſicera. Hæc enim, ut D. Hieronymus ſcribit, genus potus fuit, quod vinum imitabatur, vel ex frumento, vel pomis, vel ex palmulis, vel ex frugibus decoctum. Sic Galli omnem potum, qui inebriat, cujuscunque is generis ſit, cervoiſe, vel cerevoſiam nominant) qui cerebrum fumis prægravat, & rationi ſobriæ impedimento & nocumento eſt, exiſtere; ſed alio modo etiam inſaniam momentaneam, eamque voluntariam, excitare quoſdam de induſtria ſolere. Exemplum habemus vetus in Thracibus, qui epulantes focos ambire ſoliti fuerunt, herbarum ſemine ignibus injecto, cujus nidore capti, ebrij effecti ſunt, & velut temulenti jacuerunt. Babylonios quoque incenſo arborum fructu, & fumo hauſto, ita ebrios factos idem autor recenſet, ut tripudijs & cantibus exultarint. Noſtro tempore idem videmus in Mahometanis, quibus lege vini uſus interdictus eſt. Illi enim peculiarem potum, ex uva paſſa & aqua conficiunt, qui nec minus caput ac pedes tentat quam vinum, & ab ipſis Zerbet, aut, Tzerbet appellatur. Eodem modo opio frequentiſſime utuntur: item alio pulvere efficiente temulentiam (nonnulli ſemen cannabis contritum, vel ſolani maniaci eſſe contendunt) ut ad pugnam magis excitentur, & incendantur. Hodie Turci pulverem illum Maſslach vocant. Notum autem eſt opij ex papavere albo uſum, præſertim in aſſuetis, non tam torporem & ſomnum, quam levem inſaniam & furorem inducere. De hac autem re Bellonius, Nicolaus Nicolai, Thevetus, alijque peregrinatores plura indicant, atq; Wierus ſuis commentarijs de præſtigijs, caput peculiare hac de re inſeruit. Et extat in hiſtoria Scotica Buchanani exemplum memorabile, quomodo veneficio ſolani plantæ ſomniferæ, cujus magna copia in Scotia naſcitur; exercitus Suenonis Regis Norvegiæ dolo & inſidijs Scotorum victus & deletus ſit. Hac herba enim quum commeatus, qui in caſtra vehebatur, infectus eſſet; facile Norvegi ſomno vinoque graves, ab hoſtibus ſub ſpecie commeſſationis & benevolentiæ vincebantur & cædebantur. Imo ſæpenumero inter frumenta naſcitur lolium zizaniave quæ comeſta homines ebrios, & velut temulentos facit. Hoc mihi nuper cõqueſtus eſt villicus noſter in fundo paterno ad Auracum amnem. Ajebat enim

tate & quantitate Friſia c. 20. prope finem.

Lib. 13. de humano victu c. 38.

Ad Nepotianum.

Alexand. de Alex lib. 3. c. 11. genial. dier.

Lib 3. c. 19. Lib. 7.

ſe ignarum hujus rei panem inde confeciſſe, ſeque una cum ſua familia ad talem temulentiam & veluti amentiam, qualem in vita nunquam ſenſiſſet, ex eius eſu redactum fuiſſe, quæ tamen in ſomno, durante nihilominus aliquot dies gravedine capitis, rurſus abijſſet, monſtrabatq; mihi acervum hujus zizaniæ, quam ſegregaverat, quæ tantum colore nigricante à reliquo frumento diſcerni poterat, ita ut facile aliquis, qui ejus effectus neſciret, decipi poſſet. Juſſi itaque eum, & panem & acervum removere, ne periculum majus oriretur. Hæc zizania in Italia quoque frequens eſt, eamque Imbriacam, id eſt, herbam inebriantem appellant, & ex ea aquam parant ſtillatitiam ad quoſdam uſus ægris neceſſarios. Hujus etiam lolij vel zizaniæ meminiſſe videtur idem Wierus, ubi lepidam hiſtoriam recenſet. Eadem dici [illegible] ſunt de herba vel frutice Tabacca, quam ex India advenam, paſſim [illegible] horti noſtri producunt, de qua audiamus Benzonem, utpote ocul[illegible] ſtem. Is hanc mirabilem herbam vel arbuſtum, provenire apud Ind[illegible] dentales, præſertim in Inſula Hiſpaniola, unde ad noſtras regiones p[illegible] allata eſt, teſtatur. In hac Inſula, inquit: ut & alijs novi ejus orbis pro[vi]ncijs, arbuſta quædam naſcuntur modicæ magnitudinis, arundinum ferme ſpecie: folia ut nucis habent aut paulo majora, quæ ab indigenis (apud quos hic mos inolevit) plurimi fiunt, & ab ipſis quoque mancipijs, quæ Hiſpani ex Africa eo devexere. Ubi maturum eſt, ea folia ſtringunt, & in fa ciculos collecta ligataque in fumario ſuſpendunt, donec inaruerunt: quum que illis uti volunt, ſpicæ patriæ folium unum ejus herbæ uni folio in[illegible] eaque ſimul fiſtulæ aut tubi inſtar compingunt, & ejus capitum altero [illegible] admoto, alterum ori inſerunt, & ſpiritum flatumque ad ſe retrahunt. Denique tantum fumi ſorbent, ut ora, guttura, & capita impleant, t[illegible]terea patientiam præſtantes durantesque, quod voluptatis quam [illegible]cipiunt, non pœniteat, ſeque immiti illo fumo adeo inebriant, ut pen[it]us ſopito omni ſenſu è mentis poteſtate exeant. Reperiuntur etiam, qui adeo avide ac ferventer eum hauriunt, ut tanquam exanimes in terr[am] [illegible]dant, ibique maximam diei partem aut noctis velut ſtupefactis [illegible]us, & capti mente, jaceant. Nonnulli temperantius, & hactenus tan[tu]m ſorbent, quoad vertigine capitis corripiantur, neque ulterius progrediuntur. Quam peſtiferum, obſecro, & noxium hoc Tartareum venenum eſt? Mihi quidem perſæpe uſu venit per Guatimalam & Nicaraguam provincias iter facienti, ut domum Indi alicujus ingrederer, qui eam herbam deguſtaſſet, (quæ Mexicano idiomate Tabacco dicitur) & ſimul ac fœtor acutus tetri illius & vere diabolici fumi nares meas contigiſſet, cogerer præpropere [illegible]de excedere, & alio migrare. De hac vel ſimili herba multa ſcribit Petrus Martyr, qua Inſulani iſti abſorpta per nares in furorem vertantur, [illegible] illico

Lib. 3 c. 17. de præſtig.

Lib. 1. c. 26. hiſt. novi orbis.

De rebus Oceanicis & novi orbis dec. 1. l. 9.

illico tectis sursum deorsum moveri, & homines versis vestigijs ambulare arbitrantes. Eam autem herbam inebriantem, & sensus omnes depravantem ipse Cohobbam appellat.

Caput XCIV.

De nimia ingurgitatione: & quæ inde mala eveniant.

Retulit mihi nuper ex amicis quidam, nuptias nobilis cujusdam in Nariscis celebratas esse; in his fuisse proposita, ijs qui erant ex famulitio, præmia, qui plurimum meri ebibissent. Quum autem plerique strenue potando sese exercuissent: tandem unum ex illis palmam obtinuisse, qui decem & octo mensuras nostrates paucis horis exhauserat. Hæ faciunt secundum quorundam computationem paulo plus quam congios sex. Hæc cum audirem, venit mihi in mentem quod de Rege Mithridate legeram. Is enim ijs, qui avidius vorarent, ac biberent, præmia proposuit, & ipse in utroque genere victoriam (si vincere est ab intemperantia vinci) fœdissimam consecutus est. Etsi autem hæ ingurgitationes nimiæ, non dico in bene constituto regno vel repub. sed inter Christianos ferendæ non sunt, & absque dubio pœnas imminentes Germaniæ accelerant: tamen plerique non solum, qui sunt minorum, sed etiam qui perhibentur majorum gentium, laudi sibi ducunt, & strenui prædicantur, quibus vires sufficiunt, ut innumera pocula potando evacuare possint, immemores plane præterea præcepti Ecclesiast. ubi dicit: In vino virum ne te exhibeas. Quasi vellet dicere: Ne tuas ostendas vires in bibendo. Ubi etiam pergit vir sapiens: Vinum enim multos perdidit. Verum ita fieri necesse est, quando verarum rerum vocabula amittimus, & virtutes in vitia degenerant. Velut quidam nostro tempore solide doctus vir, sæculum præsens apertius deplorat; Siquidem, inquit, vitia & flagitia omnia tolerantur, non sicut quondam tempus fuit, quum homines peccare & delinquere pudebat, sed quasi vitium virtute sit præstantius: Sane divus Petrus inter libidines & proterviam gentium, vinolentiam, comessationes & compotationes etiam numerat, eaque vitia vitare Christianos jubet. An prætereà impune ista fiant, licet videre ex concione Jesaiæ Prophetæ, conquerentis de labruscis, quas protulit vinea Domini, pro botris & uvis: Væ, inquit, qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperam. Cithara & lyra & tympanum & tibia, & Sechar (id est, vinum vel quic-

Cap. 32.

Ep. 1. Pet. 4.

Cap. 5.

quicquid inebriat) in convivijs veſtris, & opus Domini non reſpicitis, nec opera manuum ejus conſideratis. Propterea captivus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam; & nobiles ejus interierunt fame; & [illegible]titudo ejus ſiti exaruit. Et paulo poſt: væ qui potentes eſtis ad bibendum vi-
Cap. 5. num, & viri fortes ad miſcendam ebrietates. Sic Amos Propheta objicit optimatibus Iſraelis, quod bibentes vinum in phialis, & cantantes ad modos lyræ atque electis unguentis ſe ungentes, non dolerent ob contritionem Joſephi, id eſt, non afficerentur rebus patriæ. Eadem minatur &
Cap. 1. monet Propheta Joel: Expergiſcimini ebrii & flete, & ululate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine, quoniam perijt ab ore veſtro. Gens enim aſcendet ſuper terram meam: fortis & innumerabilis, &c. Et Paulus Apo-
Ad Epheſ. ſtolus: Nolite, ait, inebriari vino, in quo eſt ἀσωτία, ſed impleamini [illegible]. Quo in loco D. Hieronymus dicit: Non poſſumus impleri ſimul [illegible] & Spiritu ſancto. Nam Apoſtolus hæc ut ἀντίθετα poſuit, quemadmod[illegible]bus dominis ſervire non valemus. Qui ſpiritu impletur, habet p[illegible]tiam, manſuetudinem, verecundiam & caſtitatem, qui vino, inſipientiam, furorem, procacitatem & libidinem. Hinc colligere poſſumus quam modeſta, caſta & ſobria ab initio inter Chriſtianos fuerint convivia, quæ Agapæ
In apolog. appellabantur. De qua re teſtis eſt locuples Tertullianus, ubi ait: Comedi-
cap. 39. tur quantum ad famem valet depellendam, tantum bibitur, quantum ſatis eſt pudicis & caſtis. Oratio auſpicatur & claudit cibum, confabulantur inter ſe quaſi Dominum præſentem habeant, qui audiat. Quumque ventum eſt ad aquam manualem, & lumina poſita ſunt, tum provocatur unuſquiſque, ut quantum è ſacris novit, aut de ſuo ingenio poteſt, cantet & diſſerat. Inde non egrediuntur ad vagationes aut libidines, ut qui ſciant no[illegible] quoque ſibi orandum eſſe: ſed eſt quaſi comederint & biberint diſci[illegible].
Lib. de pœn. Rectiſſime igitur D. Auguſtin. dicit, Ebrioſus ſi vinum ſorbet, ab illo a[illegible]orbetur: Deo fit abominabilis: ab angelis deſpicitur: ab hominibus [illegible]detur: à dæmonibus confunditur: conculcatur ab omnibus. Ebri[illegible]fundit naturam, amittit gratiam, perdit gloriam, incurrit damn[illegible] æternam. Sane prudens, attamen ſuperſtitioſa antiquitas, quum animadverteret vinum nimium & immoderatum præcipuum eſſe nequitiæ fomentum, in illa perſuaſione fuit ſignum Virginis vitem adverſari. Cavendum enim, ut Orpheus monet, ne Luna ſignum Virginis percurrente vit[illegible] ſeramus, eam enim Virgo odio proſequitur. Quumque animadverter[illegible] & illud incommodum, quod linguam præpedire ſoleret; ſtatuit Mercu[illegible] non vino, ſed lacte ad ipſam eloquentiæ dulcedinem indicandam, eſſ[illegible]plicandum, ad eamque rem Romæ vicum Sobrium nuncupatum [illegible]vit. Ut autem nimia & intempeſtiva crapula, ſicut diximus, non ſecus ac

omn[illegible]

omnia alia immoderata, merito & juste reprehenditur, & iis qui ea delectantur, à bonis vitio & probro datur: ita non fine causa Plutarchus vini *In Symposiacu.* modico usui inventionem & facundiam tribuit. Nonnulli, inquit, ingenio ad inveniendum apto, sed dum sobrii sunt, minus audaci & quasi concreto, quando ad pocula ventum est, thuris in morem a calore correpti exhalant. Enimvero metum, quo nulla alia res magis impedimento est consultantibus, vinum profligat, multas etiam alias affectiones illiberales & degeneres extinguit; & malignitatem ac simultates, tanquam duplices animi (ut ille ait) plicas explicat: ac verbis omnes utriusq; generis in animo adfectus detegit. Ad hæc libertatis dicendi, ac per eam veritatis fœcundissimum est vinum, quibus absentibus nihil peritia, nihil judicii solertia prodest. Unde doctiss. vir Adrianus Junius suum emblema *Emblem. 14.* sumpsit, ubi Bacchus juvenis & alatus depingitur, cum hac inscriptione: Vinum ingenii fomes. Voluit enim significare, vinum si modicum adsit, ut tristitiam sedare, ita ingenium agile reddere & alacre, nihilo secius, quam aves pennis evehuntur, uti à Pausania proditum est. Talis fuit *In Laconicis* Bonosus Hispaniensis origine Britannus, qui aqud Aurelianum Imp. summo in honore fuit. Is si quando legati Germanorum venissent, ut Aventinus ex Flavio Vopisco, ut puto, refert; ipsis propinabat, ut hosce inebriaret, atq; ab his per vinum cuncta secreta cognosceret. *Lib. 2. annal. Bojor.* Ipse quantumlibet bibisset, semper securus & sobrius, & adhuc in vino prudentior. Recte itaq; Plinius dicit, quod neq; viribus corporis utilius aliud, neq; e *Lib. 14. cap. natur. hist.* voluptatibus perniciosius, si modus absit. Hæc mihi meditanti venerunt in mentem ea, quæ Herodotus de Æthiopibus, qui Africam ad Australe *Lib. 3* mare incolunt, & Macrobii appellantur, scribit. Quum enim sub specie legationis speculatores ad eos misisset Rex Cambyses, usq; dona quæ afferrent, tradidisset, amiculum videlicet purpureum, aureum torquem tortilem, & armillas, unguentum pretiosum, & cadum vini Pœnicei; Regem Æthiopum sumpto amiculo primo rogasse quidnam esset, & quomodo confectum. Quumq; legati de purpura, ejusq; tinctura edocuissent; Dolosos, respondisse, homines dolosa expetere vestimenta. Exponentibus deinceps legatis de monili tortili & armillis, ejusq; ornatu & precio: Regem risisse, atq; ratum vincula ea esse, vincula robustiora apud se esse dixisse; multosq; captivos aureis compedibus manicisq; nexos ostendisse. De unguento eadem sensisse, quæ de vestimento purpureo. Verum ubi ad vinum pervenerit, ejusq; conficiendi rationem audiverit; majorem in modum delectatum ejus potu. Post interrogasse legatos, quibusnam rebus vesceretur Rex, & quam longissimum tempus à Persis viveretur? legatos respondisse vesci Regem pane, exponentes rationem pinsendi, perfectissi-

mumq; diu vivendi ſpacium homini Perſæ proponi octoginta annos. Ad hæc Æthiopem nihil ſe mirari dixiſſe, ſi ſtercore viventes paucis viv erent annis. Nam ne tot quidem annis victuros, niſi hoc vino acceptum referrent. Hæc de illis Æthiopibus Macrobiis ex Herodoto aſſcribenda duxi. Sane Indi occidentales illi, quos pleroſque Hiſpani noſtro tempore ſubegerunt, tam barbari non ſunt, quin guſtata vini Hiſpanici dulcedine, eum potum reliquis præferant. Ita enim ſcribit Benzo: Omnium rerum, quas Hiſpani in Indiam tranſtulerunt, nulla Indis gratior acceptiorq; extitit quam vinum: & quanquam ipſi è Maizio aliiſque rebus fictitia vina & potus moliantur; vulgo tamen dicunt, non ita iis quæ ipſi faciunt, ali vires vigoremq; animi, recreari ſpiritus, ventrem excalefieri, nec ſomnos ita dulces ſuavesq; conciliari, ut illo Caſtellæ. Sed ut ad certamina noſtra de plus bibendo revertamur, libet adjicere, quid hac de re ſentiat Basilius in deſcriptione ebrietatis. Certaminis hujus, inquit, arbiter & moderator eſt diabolus, præmium victoriæ peccatum. Qui enim plus meraci hauſerit, is adverſus alios præmia conſequitur. Revera gloria illorum eſt ignominia. Siquidem inter ſe contendunt, ſed ſe ipſos ulciſcuntur. Quæ ratio turpitudinem eorum, quæ ab illis fiunt, aſſequi poteſt? *Omnia* inconſiderantia plena ſunt, omnia confuſione. Victi ſunt temulenti, & qui vicerunt, ſunt itidem temulenti, & quæ ſequuntur. Similes monitiones ſunt Plinianæ, ubi mores ebrioſorum deteſtatur. Alii, inquit, moruſera loquuntur, rediturasq; per jugulum voces non continent, quam multis ita interemtis.? Hoc ipſum Græci demonſtrare voluerunt, quibus Bacchus Lyæus eſt: Latinis vero liber. Ob eam rem explorandis adoleſcentium ingeniis convivia nonnunquam indulta Plato ſcribit, quo illi ad potum ſe largius invitarent, ut omnia ſua ſtudia cupiditatesq; omnes proferrent, & ab intimis præcordiis effunderent. Olim quoque, ut conferamus vetera cum recentioribus, ſimiles concertationes, de quibus initio diximus, apud Ethnicos in uſu, ſed non absq; noxa fuiſſe, patet ex Plutarcho. Alexander enim Magnus ſepulto Calano Indo, multos ex amicis & ducibus convocavit ad cœnam, certamenq; poculorum, coronamq; ei, qui plurimum meri ebibiſſet, propoſuit. Victorem autem hujus certaminis Promachum quendam extitiſſe, qui ad quatuor choas proceſſerat, ac victoriæ præmium nactum talentum. Verum cum tres dies tantum ſupervixiſſe: reliquorum vero compotorum XLI. mortuos, teſtatur Chares Mitylenæus, oborto poſt ebrietatem vehementi frigore: qui etiam in ſuis hiſtoriis dicit, ſicut allegatur ab Athenæo, hoc certamen ab Alexandro ob Indos ſtudioſos vini, ut illis gratificaretur inſtitutum fuiſſe. Quod autem nimia & intempeſtiva ingurgitatio & temulentia non ſolum mortem, ut demon-

Lib. 2. c. 17. hiſtor novi orbis.

In fine li. 14. nat. hiſtor.

In vita Alexandri.

Lib. 10. c. 12.

demonstratum est, acceleret, sed etiam mentis alienationem adducat *ingeni* ipsius vocabuli indicat. Temulentia enim quid aliud est, quam voluntaria insania, qua vino nos ingurgitantes, non ignoramus mentem nostram fore capiendam, vincendamque: Unde temetum dictum ajunt, quod tentet ac labefactet nimirum mentem, deniq; & membra. Quo respexit poeta:

Tentatura pedes olim vinctura'q; linguam. *Lib. 2. Georg.*

Idque confirmat exemplo memorabili Plinius. Dicit enim Antiochum Regem à sodalibus, quos temulentus in convivio pulsaverat, occisum fuisse: ibi interpres addit: Præsenti docemur exemplo, ebrietatem non absq; ratione à celeberrimis autoribus voluntariam insaniam dictam esse, sed ita etiamnum, ut si in plures paulo extendatur dies habitus is, etiam manifestarius evadat furor. Quod etiam Seneca observavit, dicens, consuetudine insaniæ durata, vitia vino concepta, etiam sine vino valent. Hinc Ambrosius abundantiori vini usu homines, velut immutata naturæ vi, equos fieri hinnientes, & pedibus omnia conculcantes ait. Maximinus quoque Imp. vinolentia & ebrietate usq; adeo absorptus fuit, sicut Eusebius memoriæ tradidit, ut inter potandum insaniret, & mente captus redderetur, ac talia temulentus præciperet, quorum postea sobrietati restitutum pœniteret. Augustinus itaq; ad sacras virgines recte definit ebrietatem hoc modo: Ebrietas est flagitiorum omnium mater, culparumq; materia, radix criminum, origo vitiorum, turbatio capitis, subversio sensus, tempestas linguæ, procella corporis, naufragium castitatis, amissio temporis, insania voluntaria, ignominiosus languor, turpitudo morum, dedecus vitæ, honestatis infamia, animæ corruptela. Ob eam causam sex indicia observantur, quæ plerunq; crapulæ deditos comitantur. Alarum elatio: titubatio & tremor: delirium sermonis: dolor capitis: dementia, ut tandem siderati intereant. Huc spectat Ægyptiorum opinio, quibus persuasum fuit, vitem ex fuso in terram Gigantum sanguine pullulasse, unde & amentiam & furorem inesse vino, sicut Pierius observavit. Hos effectus ebrietatis animadvertit quoque Isocrates, ideoq; potandi consuetudinem fugiendam esse censet. Menti enim, inquit, vino obrutæ idem accidere videmus, quod curribus auriga excusso. Siquidem currus spoliati rectore nullo ordine rapiuntur: animus quoq; ratione orbatus in multos errores incidit. Hoc ipsum egregia & lepida historia illustrat Athenæus. Juvenes, inquit, quidam ob ebrietatem amentes, vino calefacti, eo usq; dementiæ processerunt ut se in triremi navigare, & mare magnopere esse perturbatum arbitrarentur. Deinde ita dementes facti sunt, ut omnem domus suppellectilem una cum lectis projecerunt. Nam visus erat navis gubernator, navem exonerari oportere tempesta-

Cap. 14. De vir. illu. 10.

Lib. 8. c. 15. eccles. hist.

Lib. 53. hieroglyph.

Ad Demonicum.

Lib. 2. c. 1. Dipnosoph.

peſtatem, dixiſſe. Sed quum multi congregarentur, diriperentq; ea quæ projecta fuerant, neq; tamen juvenum dementia idcirco, vel die ſequenti deferbuiſſet; acceſſerunt militum duces in domum, ubi laborantes nauſea etiam tum juvenes jacebant, quibus interrogantibus, reſponderunt juvenes, ſe ob tempeſtatem defatigatos ſupervacaneis oneribus navem exonerare oportuiſſe. His admirantibus dudum juvenum ſtuporem, unus eorum juvenum, qui major ætate reliquis eſſe videbatur: Ego, inquit, o Tritones, ob timorem me in hos thalamos projeci, ut quam maxime liceret, inferius jacerem. Veniam igitur duces mentis eorum alienationi concedentes, jubentesq; non plus vini bibere, quam conveniat, eos dimiſerunt. Juvenes gratiam ſe habere faſſi ſunt, nam ſi portum poſt tantam tempeſtatem attigerimus, dixit quidam; vos manifeſte ſervatores noſtros inter cæteros Deos marinos in patria noſtra conſtituemus, tanquam nobis ſalubriter apparentes. Hinc domus illa Triremis dicta eſt. Non fruſtra igitur Solomon dicit, Ebrium eſſe ſimilem dormienti in medio mari, & dormienti in faſtigio mali. Et Heraclitus ſtultitiam celari difficile : in vino vero impoſſibile eſt. Rectiſſime Seneca etiam dixit, animum hominis vino nimio turbari, & nihil aliud eſſe quam voluntariam inſaniam, quæ hominem efficiat ſui ignorantem, item capitis vertiginem gignat, & ingenium obrutum prorſus ſepeliat. Quare optimo jure amicitia illa, quæ inter pocula, ut plurimum, contrahitur, vitrea à quibusdam dicitur. Nonnunquam enim fit, ut inter potandum ſimus amiciſſimi & humaniſſimi : At mane concocto vino, illa humanitas & conjunctio, quæ arctiſſima videbatur, plerunq; ſimul cum vino evaneſcit, vel potius ita aceſcit, ut nonnunquam in ferinam rabiem vertatur. Hoc ſemel atq; iterum obſervavi in equitibus noſtratibus, non procul ab Argentorato, aliis ad Regem Galliæ, aliis ad principem Condæum militatum diſcedentibus, & veluti ſub præcone, ut Plutarchus de equitibus Romanis ait, proſtantibus, atq; iis, qui plus dediſſent, ſe adjungentibus. Hi ubi in iiſdem diverſoriis forte convenissent, & vino incaluiſſent; fratres, conſanguinei, & affines inter ſe erant, paulo poſt in bello ſe mutuo interfecturi. Non omittendum poſtremo, quod olim Manduci larvata effigies ad ſubmovendam turbam comparata inter cæteras ridiculas & formidoloſas imagines ire ſolebat in antiquorum pompa, pando ore, magnis maxillis, lateq; dehiſcens ingentem dentibus ſonitum faciens. Hanc perſonam egregie ſuſtinere potuiſſet Mimus ille Phago, cujus Flavius Vopiſcus mentionem facit. Ait enim, eum uſq; eo multum comediſſe, ut uno die aprum integrum, centum panes, vervecem & porcellum comederet, biberet autem infundibulo appoſito plus orca. Orca enim Varroni vas vinarium teres eſt, quod Itali hodie Bot-

De vita Bruti.

In Aureliano.

Bottacio vocant. Plinius vero orcam vocat cadum salsamentarium, quod Itali Barile de tonina appellant. Ex hoc genere fuerunt quidam Philœni, vel potius, ut Athenæi verbo utar, Philotoconistæ, qui optavere, ut in balænas converterentur, dum modo mare mutaretur in pretiosissimum vinum, in quo continuo volutandum illis foret. Quid autem obsecro illis aliud accideret, quam Georgio Clarentiæ comiti, qui ob suspicionem affectati Regni ab Eduardo IV. hujus nominis Rege Angliæ, fratre suo, jussus mori, & genus mortis quod sibi magis placeret, eligere, voluit vino malvatico suffocari. Conjectus igitur in vas plenum hujus vini, illud sorbendo tandem ibi submersus est. Certe ejusmodi hominum (si modo homines, non amphoræ, doliave pertusa, nominandi sunt) sepulchris inscribendum esset epitaphium cujusdam parasiti, repertum Romæ extra portam Capenam, ubi olim sepulturarum monumenta apud veteres Romanos posita erant, quod est ejusmodi:

HEVS HIC SITVS EST OFFELLIVS BVRATIVS BIBVLVS
QVI DVM VIXIT AVT BIBIT AVT MINXIT. ABI PRÆCEPS.

Non multum dissimile est Epitaphium Timocreontis, ut à Lilio Gyraldo ex Athenæi libro X. ut puto, refertur: *De poetar. historia.*

πολλὰ πιὼν καὶ πολλὰ φαγὼν καὶ πολλὰ κακ' εἰπὼν
ἀνθρώπους, κεῖμαι Τιμοκρέων Ῥόδιος.

Multa bibens, & multa vorans, mala multaq; dicens
Ipse viris, jaceo Timocreon Rhodius.

Caput XCV.

De conversione in arboribus, aliisque rebus, circa brumalem diem.

His, qui rei rusticæ & hortensis studiosiores sunt, persuasum vulgo est, circa natalem Servatoris nostri, qui incidit, ut apud nos receptum est, quotannis in diem XXV. Decemb. succum vel animam vegetativam in arboribus ex radice sursum ascendere, cum antea in hyeme deorsum in radicem transierit, idq; mirabili proprietate & conversione naturæ. Etsi autem & alia circa id tempus accidere solent, de quibus omnibus reddi ratio non potest, ita ut

potius miraculoſa quam naturalia videri poſſint; ut de pomis conſtans fama & opinio eſt, quæ in nocte Nativitatis & florent, & una fructus, licet immaturos, producunt: tamen concedendum eſt, multa ſuperſtitioſa à ſacrificulis conficta eſſe, ut majorem devotionem hominum circa id tempus proprii lucri cauſa (licet propter res ſalutiferas eo tempore geſtas, circa id merito ſanctiſſimis actionibus & cogitationibus unuſquiſque occupatus eſſe debeat) excitarent. Ea autem quæ de arboribus ſupra dixi, non tantum ſimilia vero ſunt, ſed conſtat à veteribus quoq; mirabilem converſionem

Lib. 9. c. 7. arborum aliarumq; rerum circa Brumam obſervatam. Ita enim ſcribit A. Gellius, vel ut nonnulli volunt Agellius: Vulgo & ſcriptum & creditum eſt, folia arborum brumali & ſolſtitiali die converti, & quæ pars eorum fuerat inferior, atq; occultatior, eam ſupra fieri, atq; exponi ad oculo [illegible] ſolem. Quod nobis quoq; ſemel atq; iterum experiri volentibus [illegible]

Lib. 1. ludicra hiſt. propemodum viſum eſt. Quam rem & alii docti viri, & Suetonius [illegible] Tranquillus, ſatis compertam eſſe ſatisq; ſuper ea re conſtare affirm[illegible], nervias in fidibus brumali die alias digitis pelli, alias ſonare. Ciceroni[illegible] oq;

Lib. 2. de divinat. locus memorabilis eſt: ubi ex Stoicorum placitis, ita refert: *Probatum eſt à Stoicis in ipſa bruma muſculorum jecuſcula augeri: Pulegium aridum florere brumali die: item inflatas rumpi veſiculas, & ſemina malorum, quæ in iis mediis incluſa ſunt, in contrarias partes ſe vertere: oſtreis & conchyliis contingere, ut cum Luna pariter creſcant & decreſcant:* Quare non abſq; ratione Franciſcus Rueus de gemmis lib. 1. dum hunc Ciceronis locum citat, ita dicit, Nonne à veteribus obſervatum eſt, quarundam arborum, oleæ inquam populi albæ & ſalicis folia, ſolſtitiali tempore, converti: fieri etiam ut ipſo brumali die frondes quædam revireſcant? Ut & hæc Marcus Varro ſtupenda diſcrimina nominarit, quibus videlicet anni tempus diſcer[illegible] & ex foliorum verſura ſolſtitium; ex recens autem erumpente quarun[illegible]

In libro de odoribus. herbarum virore, brumalis dies internoſcatur. Huc referri po[illegible] quæ Theophraſtus ſcribit. Hujuſmodi, inquit, naturæ conſenſio atq; [illegible]o in aliis etiam quodammodo evenit: Vinum enim quum uva efflor[illegible], tentari videtur, & allia cœpæq; tum acerrimi ſunt odoris, quum in terra germinant. Sed præterea accidit, ut una etiam ipſa germinent: atq; omnino omnia quæ unica conſtant radice, modo non exaruerint, germinationis tempore moventur, cum inſita cuiq; vis ſolicitetur & exercitetur. Sed o-

Variar. lection. lib. 13. cap. 13. mnium iſtorum admirationem facile ſuperat, quod in adipe urſino [illegible] qui latebrarum tempore exundat, intumeſcensq; vaſa implet, ita enim [illegible] verſione Turnebi legendum putat Muretus, non coctas carnes urſinas [illegible] aſſerventur, certo quodam tempore anni, quo latere urſi & ſupra modum

pin-

pinguescere, altissimo somno oppressi solent, increscere, ideoq; Plinium non satis ex fide hæc ex Theophrasto retulisse dicit.

CAPUT XCVI.

Quæ dicantur larvata funera, Et de quibusdam miris mortis generibus.



DUI non ita pridem ab amico quodam meo interrogatus, quæ fuissent apud veteres larvata funera. Hæc enim verba dicebat, se nuper in quodam libro legisse. Cui, quum mihi eo tempore nihil aliud in mentem veniret, respondi, apud Italos usitatum modo esse & olim fuisse, cadavera defunctorum preciosissimis vestibus induta, & lectis splendide exornatis imposita, palam publice efferre, ita ut unusquisq; defuncti faciem, & ex vestibus & ornatu sexum noscere possit. Hoc etiam apud Græcos Impp. ni fallor, usitatum fuisse ex Pompon. Læto apparet, ubi dicit: Quum defunctæ Fabiæ conjugis Heraclii funus efferretur; puellam forte quandam per fenestram spuisse, tetigisseq; elatum cadaver: ideoq; illam, nulla facta mora comprehensam, & rogo Fabiæ impositam, vivam exustam. *De origine Mahumetis.* Non raro autem Italos solere faciem fucare, præsertim fœminarum & puellarum, ut mortuæ interdum venustiores appareant, quam viventes, ita ut non cadavera, sed statuæ videantur, Constare item illud ex eo, quod de Britannico Cæsaris Tiberii Claudii ex Valeria Messalina filio, qui & Germanicus vocatur, memoriæ traditum est. Quum enim à Nerone fratre suo adoptivo veneno sublatus esset, hocq; fratricidium apparentibus livoribus, & maculis, quas toto corpore venenum excitarat, abunde perditum esset; Nero ad contegendas eas, corpus gypso liniri jussit. Verum quum id efferretur, decidente copioso imbre, detersum est tectorium, & sceleris immanitas omnibus patuit. Sic imagines funerum apud Romanos usitatas fuisse, quum mortuos Imperatores consecrarent, ut loco numinum, quæ Indigetes appellabantur, deinceps colerentur, sicut post Dionem & Herodian. hæc Constantinus Landus Complani Comes elegantissime describit. Hoc ipsum præterea Antonium Pisonem, & Thomam Procacium, in eleganti libro Italico, cui titulus est, *Funerali Antichi*. & describere & depingere. Item cæremonias, quæ mortuis Regibus Galliæ, teste Joanne Tilio, adhibentur,

Lib. 4. in Miscell. de veterũ numis. in consecratione D. Antonini Pii. In discur. de numis. antiqu. litera l signata nu 6. Tabula 5. & 6. l. 2. de obitu sepulturaq; Regum. l. 1. Electarũ c. 6.

Cap. 21.

tur etiam hoc nomine vocari posse. Mea igitur tunc sententia fuit, funera talia non immerito personata & larvata dici posse, nihil enim distare mortuorum faciem à larvis depictis. Verum quum hac de re diligentius cogitarem, incidi in monumentum, quod Romæ adhuc conspicitur: ex eo, ni fallor, rectissime explicatio hujus nostræ quæstionis sumi poterit. Apparet enim inde, ut opinor, olim ea larvata funera dicta fuisse, quando cadavera ipsa, ruina ædium detrita, vel alio casu mutila, propter deformationem publice oculis exposita efferri non potuerunt; sed loco eorum vel larvæ quædam, quæ eorum faciem repræsentabant; vel plane involuta, & vestibus tecta. Nam cadavera in honestiss. veste efferri moris fuisse, quæ in vulgo civium & in tacito funere toga vulgata fuit; in magistratibus toga prætexta in Censoribus purpurea toga; multis eruditis rationibus, & veterum historicorum autoritate asserit Justus Lipsius vir solida eruditione, & ex[illegible] judicio præstantiss. ubi quoq; librum singularem de funeribus promit[illegible]. Sic supra ex Plinio allegavimus, Scipionem Æmilianum obvoluto capite [illegible]latum, ne livor vel tumor in ore appareret. Ut autem non solum hoc, sed triste & miserabile mortis genus duorum conjugum in thoro conjugali oppressorum, rectius cognoscatur, epitaphium ipsorum huc asscribere volui:

ASPICE VIATOR Q. SER. TVLLI ET DVLCICVLÆ SPON. MEÆ. RANCILIÆ VIRG. SIMVL AC POST INDE. QVID FACIAT LICENTIOSA SORS LEGITO. IN IPSA FLORIDA ÆTATE CVM ACRIOR VIS AMORIS INGRVER. MVTVO CAPT. TAND. SOCERO E. ET M. SOCR. ANNVENTIBVS SOLENNI HYMEN. NVPT. COPVLAMVR. SED O FATVM INFELIX NOCTE PRI. CVM IMPORT. VOLVPTATIS EX. LI. FAC. EXTINGVERE. ET D. MV. VOTA COGEREMVR REDD. HEV. IPSO IN ACTV DOM. MARITALIS CORRVENS AMB. IAM EXTRE. CVM DVLCITVDINE LÆTISS. COMPLICATOS OPPRESSIT. FVNESTAS [illegible] NEC NOVI QVID FECISS. PVTA NON ERAT IN FATIS TVM [illegible] LONGIOR HORA CARI PARENTES LVCTV NEC LACRYMIS [illegible] ERA AC LARVATA NOSTRA DEFLEATIS FVNERA NE REDDATIS INFELICIORA. AT VOS NOSTROS DIVTVRNIORES VIVITE ANNOS, OPTIMI LECTOR AC VIVE TVOS.

D. M.

Eodem genere mortis olim quoque Eupolis filius Niciæ Atheniensi[illegible] prima nocte nuptiarum ex ruina thalami una cum uxore extinctus est. [illegible]

In Ibin. Ovidius:

Sit tibi conjugii nox prima novissima vitæ,
Eupolis ut periit & nova nupta modo.

Rave-

Ravennatis etiam cujuſdam libidinoſiſſ. fœminæ, inſolitum genus mortis, non ſine ipſius perpetua infamia poſteritati traditum eſt, cujus monumentum Ravennæ conſpicitur cum tali inſcriptione:

F. L. DICAT.

CINERES ET OSSA LAODICEÆ PHILOCAPTÆ HIC SITA SVNT PERPETVÆ MEMORIÆ FACTI ET INFAMIÆ CAVSA. QVÆ INSTABILI VENERE EXHAVSTA SVBTER VIVO VIRO MORTVA EST, VIX. ANN. XXIII. MENS. VIII. D. IV.

INFELICISSIMI PARENTES TACITO NOMINE EXTRA SORTEM AD RVDERA POSVERE. & FORAGINEM EXVRIENTEM.

SSS.

BST. FFFFF.

RR.

Rectè itaque Seneca ſcribit: Quorundam vitam mors in medio flore præcidit: aliorum interrupit ipſa principia: alius inter cœnandum ſolutus eſt: alterius ſomno continuata mors, aliquem concubitus extinguit. *Epiſt. 67.*

Caput XCVII.

De profanis & religioſis Ethnicis.

Etſi apud Ethnicos major pars fuit, qui immortalitatem animæ vel deriderent, vel certè de ea dubitarent, tamen multi conſtanter eam crediderunt, & putarim etiam, ſi liceret dicere, non paucos ex iis de reſurrectione carnis guſtum aliquem, & non vulgarem notionem habuiſſe, ut ex nonnullis argumentis & monumentis, ſi modo ea non recentiora ſunt, quam vulgo cenſetur, apparet, ita, ut ſæpius miratus fuerim, quomodo in tantis tenebris, quibus immerſi fuerunt, ſolummodo ex doctrina ſapientiæ humanæ, tantam lucem in articulo omnium difficillimo, aſſequi potuerint. Ex his Plato diſciplina inſtructus Pythagorica μετεμψύχωσιν ponit, genus quoddam reſurrectionis, quod Phariſæi (quæ ſecta ſub Johanne Hircano Simonis Macchabæi filio primum orta eſt in populo Dei, depravata doctrina cœleſti) ab Pythagoricis, teſte Joſepho, mutuati ſunt. Phariſæi, inquit, incorruptam quidem animam

Lib. 1. c. 17. Eccleſ. hiſt. eſſe dicunt, ſed eas tranſire in alia corpora: Similis etiam Manichæorum fuit error, ut Ruffinus teſtatur. Theopompus quoque ſcribit, Zoroaſtris fuiſſe opinionem, omnes aliquando reverſuros in vitam, M. Varro & Plinius, in lucem rediiſſe tradunt plurimos, verum id quod de Aviola conſulari, Corſidio & Gabieno ſcribitur, in primis memorabile eſt. Æſopum quoque diis adeo carum fuiſſe, in Suidæ hiſtoricis legimus, ut revixerit, ſicut Tyndareus Hercules & Glaucus. Zenon præterea Stoicus eſſe inferos docuit, & ſedes piorum ab impiis eſſe diſcretas: & illos quidem quietas ac delectabiles incolere regiones, hos vero luere pœnas in tenebroſis locis, atque in cœni voraginibus horrendis. Id etiam Socrates non ignoravit, quum ad Anytum & Melitum criminatores ſuos ſimulans ſe dicere, revera dicebat ad judices: Anytus & Melitus interficere me poſſunt, incommodo aut detrimento afficere non poſſunt. Apertius autem Plutarchus ſuam ſententiam declarat, ex qua apparet, eum ſacrorum librorum & præceptorum non vulgarem cognitionem habuiſſe. Enimvero inquit, ſi quis naturam animæ noſtræ vel ignoquo modo ſubodoratus ſit, ſecumque reputaverit tranſitum ex hac vitæ conditione ad aliam meliorem fieri per mortem, aut certè non deteriorem, profecto is non modicum jam viaticum habet, quo ſe ad ſecuritatem animi, ac tranquillitatem conferat, mortis ſcilicet contemtum. Et paulo poſt: Menandro ita reſponderi poteſt: Non eſt omnino dicere: Vivus hoc non patiar, ne ſit ſane: at eſt dicere: Vivus hoc non faciam, non mentiar, non veteratoria verſutia circumſcribendis hominibus utar, non intervertam, non inſidioſè captabo. Omiſſis autem modo iis quorundam ex primo genere hominum monumenta præ cæteris mihi memorabilia viſa ſunt. Igitur Sardanapalus potentiſſ. Aſiæ Rex, delitiis, ſicut ſus luto, prorſus immerſus, omnium mortalium profaniſſimus fuit. Qua de re teſtis eſt, ut de tota ipſius belluina vita taceam, (adeo enim aſſidua animum oblectatione perfuderat, ut ne puncto quidem temporis, voluptatis ſenſu carere poſſet) monumentum ipſius locuples. In eo enim ſculpta fuit imago, dextræ manus conjunctis digitis, veluti ad ſonum elidendum, in eoque literis Aſſyriis hoc inſcriptum, ut Athæneus ex Ariſtibulo refert:

In fragmentis. *Lib. 7 c. 2. hiſtor.* *In tranquil. animi.* *Lib. 11. c. 12. dipnoſoph.*

SARDANAPALUS ANACYNDAXIS FILIUS ANCHIALEN ET TARSUM UNO DIE CONDIDIT. EDE, BIBE, LUDE, RELIQUA NE DIGITORUM QUIDEM STREPITU DIGNA SUNT.

Lib. 4. Geograph. Strabo autem ex Chœrilo poeta hos verſus ſubjicit:

Cum te mortalem noris, præſentibus exple
Deliciis animum, poſt mortem nulla voluptas,
Namq; ego ſum pulvis, qui nuper tanta tenebam.

Hac

Hæc habeo quæ edi, quæque exsaturata libido
Hausit, at illa manent, multa & præclara relicta.
Hoc sapiens vitæ mortalibus est documentum.

In hoc monumentum, (teste Cicerone) quum aliquando incidisset Aristoteles, substitit, partemque primam epitaphii quum legisset, ait: Ecquid aliud in bovis, non in Regis sepulchro scripsisset? Deinde quum posteriores versus legeret, risit, dixitque: Hic ea se mortuum habere dicit, quæ ne vivus quidem habuit, nisi quam diu deglutiebat. Habuit sanè Aristoteles justas causas reprehendendi tam profanam inscriptionem, & bellua potius quam Rege dignam, cum ipse de immortalitate animæ non solum certus fuerit, sed etiam ulterius suas cogitationes, præter Ethnicorum morem direxerit. Ferunt enim eum moribundum dixisse, Fœde hunc mundum intravi: anxius vixi: perturbatus egredior, causa causarum, miserere mei. Hujus quoque rei Plutarchus mentionem facit. In Sardanapali, inquit, inscriptum monumento, hoc visitur: Hæc habui quæ voravi, quæque per injuriam abstuli. Quis istis dicteriis tum voluptariam vitam neget, tum impietatem, tum injuriam, violentissimamque improbitatem promi? Rectè itaque Crates ab eodem Plutarcho laudatur. Is enim cum legeret hos Sardanapali versus, mox apposuit. Hæc habui didici studio quæ pulchra: Camenæ me quibus instruxere. Hunc Sardanapalum deinceps alii plures, immemores futuræ vitæ, imitati sunt, sicut ex eorum monumentis posteris hoc notum esse voluerunt, quorum unum conspicitur in Aragoniæ urbe clarissima, sicut ab Appiano refertur, tale videlicet:

Lib. 5. Tusc. quæst.

De fortuna & virtute Alex. Mag. lib. 5.

In antiquitatibus.

QUO VADAM NESCIO, INVITUS
MORIOR, VALETE POSTHUMI.
M. POSTHUMIUS EQUES.

Simile Romæ in domo Petri Chiavelucii Notarii legitur;

DIS MANIBUS.
SEXTI PERPENÆ FIRMI.

VIXI QUEMADMODUM VOLUI, QUARE
MORTUUS SUM NESCIO.

Item ibidem prope forum Judæorum.

JULIA B. PRISCA VIX. AN. XXVI.
Q. CLODIUS HILARUS VIX. AN. XLV.
NIHIL UNQUAM PECCAVIT NISI
QUOD MORTUA EST.

Patavii quoque hodie adhuc viſitur epitaphium Pæti, in ædibus Cartulariorum ad D. Thomam Apoſtolum.

M. E. R. S.

D. POPILIVS PÆTVS. GN. LABEF. POETA
COS. DESIG. FRATRI SVOB. M. F.
HVNC SOMNO ÆTERNALI PATRIA RETINET.

Item Brixiæ:

D. M.

QVI ME VOLENT.
VALETE MATRONÆ MATRESQVE
FAMILIAS VIXI ET VLTRA
VITAM NIHIL CREDIDI. ME
VENERI ALVMNÆ ADDIXI.
QVOS POTVI PELLEXI FILTRIS:
ET ASTV. VIRO HVMATO:
NON VIDVA FVI NEC MARITI
NOMEN ADEPTA: QVÆSO NON INVIDETE.
PORTIA FAMILIA EST: VENERIS DOMVS.
ILLICIVM CVPIDINVM: CAVE VIATOR.
NE ME DIV CALCATAM CALCES.

Huc referri poſſunt verſiculi Hadriani Cæſaris, quos moriens, ut Ælius Spar. memoriæ tradidit, compoſuiſſe dicitur. Ex quibus apparet, quam is perplexus & dubius fuerit, quodque nullum certum religionis & fidei ſuæ ſaltem opinione habuerit fundamentum; licet in colendis ſuis diis, & ſacris eiſdem conſtituendis ſedulus & diligens fuerit.

Animula vagula, blandula,
Hoſpes, comesq; corporis,
Quæ nunc abibis in loca,
Pallidula, rigida, nudula,
Nec ut ſoles, dabis jocos?

Conſtat igitur pleroſque ethnicos non ſolum in magna ſecuritate immemores futuræ vitæ, impiè vixiſſe, illoſque impunè hoc feciſſe, ſed etiam perpetua monumenta ſuæ profanitatis ad poſteritatem extare laudi ſibi duxiſſe. Imo Ariſtoxenus Philoſophus, ſicut à Lactantio citatur, aſſerere auſus fuit, nullam omnino eſſe animam, etiam quum vivit in corpore, ſed ſicut in fidibus ex intenſione nervorum effici concordem ſonum; atque cantum, quem Muſici

Lib. 7. cap. 13 de divina præmio.

Musici harmoniam vocant; ita in corporibus ex compage viscerum, ac vigore membrorum vim sentiendi existere, quo nihil delirius dici potest. Majore autem admiratione dignum videtur, quod in populo Dei Sadducæi, qui corrupti philosophia Græca, multa cum Epicureis habebant communia, palam carnis resurrectionem, Angelos & spiritus impugnare & negare ausi fuerint, sicut ex sacris literis videre licet; cum tamen Justi vel Justitiarii ab omnibus nuncupari voluerint. Zaddic enim Justus Hebræis est. Quis porro sine rubore, vel potius horrore, proferre audet; non paucos reperiri, qui etsi Christiani perhiberi volunt, tamen præcipuum articulum fidei suæ, vel non credere aut in dubium vocare, vel etiam omnino impugnare audent ut nostro tempore de Serveto & aliis memoriæ proditum est, qui etiam animæ mortalitatem asserere conati fuere. Hoc ni fallor, M. Anton. Zimara innuere voluit, ubi quærit, propter quam causam Clerici & Monachi mortem præ aliis ægre ferant ac perhorrescant? Utrum, respondet, quia natura eorum frigidi cordis extat, & melancholia est? An quia prorsus funditusque interire se animadvertunt, quandoquidem nec in propria, nec in posterum natura consistunt, ubi ex vita migraverint: Manichæi sane, ut ex Augustino liquet, resurrectionem carnis fore negabant, pro qua corporum μετεμψύχωσιν substituebant; ut supra quoque attigimus, per quam humanæ animæ in alia corpora migrarent, eorum nempe, quos quisque in hac vita amasset vel etiam occidisset: ut, qui muscam vel murem occidisset; in muscam vel murem mutaretur: atque ut ulterius delirare pergebant, contrariam sortem illi sortiretur homo, quam hic quisque nostrum habuisset: dives nimirum in pauperem, pauper in divitem renasceretur, sicut etiam Epiphanius hanc ridiculam opinionem notavit. Hinc superstitionis hujus asseclæ imitantes Pythagoræorum nugas & Encratistarum furores & hæresin esum carnium vitarunt, eodem modo & ovorum atque lactis nefas arbitrati ex ullo animantis genere quicquam degustare, ne ut salse Tertullian. ait, bubulam de aliquo proavo quisquam obsonaret. Quid autem obsecro veris Christianis absurdius hac opinione aut quid illis reliquum solatii esset, si spes alterius vitæ felicissimæ post tot ærumnas illis aufferretur? Recte itaque post Apostolum Ignatius dicit: Si in hac vita tantum in Christo speramus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Si mortui non resurgunt edamus & bibamus, cras enim morimur; Hoc vero modo affectis nobis, quod discrimen erit inter nos & canes, & asinos, qui futurorum nullam habentes rationem, solum edendi, & ejus quod tunc subsequi solet: nimirum coeundi appetitum habent; Destituti enim sunt ratione, mentem intus gubernante: Non frustra igitur tam diligenter inculcat D. Paulus Philippensibus suis, Deum nos e mortuis excitaturum, pro efficacitate qua

Problem. 50

De hæresib.

1. Cor. 15. Epist. ad Tarsenses.

In epist. ad Philip. c. 3.

De adverſa valetudine. ſibi poteſt omnia ſubjicere. Huc ſpectat doctrina Chryſoſtomi. Quum inquit, videris juſtum premi & vexari adverſa valetudine, & innumerabilibus aliis adverſitatibus præſentem vitam finire, dic ipſi : Niſi eſſet reſurrectio, & judicium, neutiquam Deus tanta mala paſſum, nullo bono fruitum, ſineret hinc demigrare. Unde planum eſt, quod aliam ipſis vitam paravit, præſente hac ſuaviorem, ac multo optabiliorem. Enimvero quanam id ratione conſiſteret, quod improbos multos præſentem hanc vitam in deliciis degere paſſus eſt, juſtos vero multos innumerabilibus reliquit malis: cum ſit & appelletur juſtus, noveritque juſtè cuique pro meritis gratiam referre, *De reparat. lapſi.* &c. Et idem Chryſoſtomus dicit: Providit bonitas Dei, ut in hac brevi & exigua vita agones eſſent, & labores: in illa vero quæ æterna eſt, corona & præmia meritorum ut labores quidem cito finirentur: meritorum vero præmia ſine fine durarent. Non ſolum autem hunc articulum reſurrectionis diabolus, hoc quo diximus modo impugnare conatus fuit, ſed etiam ſpecioſo prætextu contraria ratione hominibus perſuadere voluit, ſi veram doctrinam Chriſti & Apoſtolorum contemnerent ſuaſque nugas ſectarentur, eos planè immortales fore: Ad hanc rem uſus eſt opera Menandri Samaritani, ſeipſum ſervatorem dicente, cœlitus ex inviſibilibus ſeculis ad ſalutem hominum miſſum, ac docente, non poſſe quemquam aliter etiam angelos mundi hujus opifices vincere, niſi primum ad hoc magica experientia à ſe tradita & baptiſmate ab ipſo accepto inducatur: quem ſi ſortientur, ſempiternam immortalitatem etiam in hac præſenti vita acquirant, , nec amplius moriantur, & ſiquidem apud ſe perpetuo maneant, ſenectutis ex- *Lib 3.c 26. hiſt. eccleſ.* pertes immortales futuri ſint, ut Euſebius memoriæ tradidit. Ubi ex Juſtino Martyre de hoc Menandro plura recenſet. Menandrum, inquit, quendam & ipſum Samaritanum ex vico Caparattæa ortum, Simoniſque diſcipulum & à dæmonibus percitum, atque Antiochiæ conſtitutum, multos per magicam artem ſeduxiſſe cognovimus, & ſectatoribus ſuis, quod morituri non eſſent, perſuaſit. Et jam quoque nonnulli ſunt, qui hoc de illo fateantur. Erat itaque diabolicæ operationis propoſitum, per hujuſmodi magos Chriſtianorum nomine tectos, magnum illud pietatis myſterium per magiam infamare, & per eoſdem Eccleſiaſtica dogmata, quæ animæ immortalitatem, reſurrectionemque mortuorum concernunt, convellere: verum qui hos ſervatores complexi ſunt: veram ſalutis ſpem amiſerunt. Alios vero malitioſus dæmon, quum à ſyncero erga Chriſtum Dei effectu excutere *Lib.6.c.17. hiſt. eccleſ.* non poſſet, eos quos hæſitabundos, & in utramque partem nutantes reperit, ſibi appropriavit. Idem Euſebius ſcribit, exortos eſſe alios in Arabia, qui animas in hoc præſenti tempore una cum corporibus mori ac corrumpi, & in futura reſurrectione ſimul cum illis vitæ denuo reſtituendas dixerunt. Sed

ad

ad Ethnicos nostros revertamur. Ex altera quoque parte non minus memorabilia testimonia religiosorum Ethnicorum, & qui certam spem futuræ vitæ conceperunt, extant, Nam tales versus in urna quadam magna Romæ leguntur:

D. D. S.

VRNA BREVIS GEMINVM QVAMVIS TENET
ISTA CADAVER
ATTAMEN IN COELO SPIRITVS VNVS
ADEST.
VIXIMVS VNANIMES LVCIVSQ. ET FLA-
VIVS. IDEM:
SENSVS AMOR STVDIVM VITA DVOBVS
ERAT.

Eodem modo ibidem in tabula marmorea legitur:

AULI EGNAT,I I.

AVLVS PALATEINA EGNATIVS PRISCILIANVS
ARTE SVPER GEMINA NOBILIS ET
SOPHIA.
DVM VIXI DIDICI QVÆ MORS QVÆ VITA
HOMINI ESSET.
ÆTERNA VNDE ANIMÆ GAVDIA PERCIPIO.

Egnatiæ autem gentis numismata plura extant apud Antonium Augustinum in familiis Romanis. Et Veronæ tale monumentum Feliciani cujusdam extat. Id licet Appianus inter suas Antiquitates ponat, tamen an inter antiqua locum habeat, cum præsertim mihi indicatum sit, Felicianorum familiam adhuc ibi florere, affirmare non audeo:

MIHIMET FELICIANVS VERONEN. SACRVM CONST. QVI INQVIETVS VIVVS NVNC TANDEM MORTVVS NON LVBENS QVIESCO. SOLVS CVR SIM QVÆRIS? VT IN DIE CENSORIO SINE IMPEDIMENTO FACILIVS RESVRGAM.

D. M.

AVRELIO BALBO VITA INTEGERRIMO MORIBVSQVE ORNATO QVI SE QVIETIORIS PERFECTIORISQVE VITÆ DESIDERIO EX NEGOCIIS CIVILIBVS IN QVIBVS FVERAT CVM LAVDE VERSATVS IO-
VIS

VIS OPT. MAX. BENEFICIO DVCTO HIC IN SPE RESVRRECTIONIS QVIESCENTI LOCVS PVBLICE DATVS EST.

Huc referri etiam poteſt Attilii Grammatici Comenſis monumenti inſcriptio, quæ fuit ſub ejus ſtatua in patria, talis:

Morborum vitia, & vitæ mala maxima fugi:
Nunc careo pœnis, pace fruor placida.

Notandum ſanè eſt, quod adhuc notæ in monumentis antiquiſſimis reperiantur, ex quibus apparet, qui immortalem animam eſſe vel crediderint vel deriſerint: paſſim enim conſpiciuntur ſculptæ in marmore & in ære, abſque ulla inſcriptione, portæ ſemiapertæ, vel clauſæ. Illis indicatum fuit defunctis perſuaſum fuiſſe, tranſitum eſſe ex hac vita ad alteram. His autem poſteritati ſignificare voluere, cum corpore & animam interire. Hoc me admonuit Romæ quidam doctiſſ. & antiquitatis ſtudioſiſſ. vir cujus nomen de induſtria non exprimo. Ideoque primum monumentum in hoc genere obſervavi in Capitolio, ubi nunc eſt palatium Conſervatorum (ſicut hodie appellatur) ibi in tabula marmorea artificioſè figuræ ædificiorum ſculptæ ſunt, in medio autem ejus apparet porta ſemiaperta. Alterum vidi in monte Cœlio, non procul à veſtibulo templi Johannis Lateranenſis, in quo conſpicitur aliquis planè nudus intrare portam, majore ex parte apertam, & quaſi conetur eam omnino pandere, Tertium huic ſimile Florentiæ prope templum cathedrale. Huc ſpectant & figuræ in Trebiæ monumento, cujus ſupra mentionem fecimus. Ut autem illos Gentiles cultiores, apud quos ſtudium Philoſophiæ mirum in modum floruit, & qui cum ratione aliqua ſuperſtitionibus dediti fuere, vel potius inſanire: ſiquidem ii inter quos abſque dubio fuit Plato & Ariſtoteles ex libris Moyſis (non enim vetuſtius ſcriptum extitiſſe opinor, licet Græci de Homero & Heſiodo glorientur, qui longè poſteriores fuerunt. Nam ſicut in Cornelii Nepotis fragmentis legimus, vixerunt ante Romam conditam annis circiter centum & quinquaginta, & ut L. Caſſii Heminæ fragmenta teſtantur, poſt bellum Trojanum annis plus CLX.) & Biblus, cum præſertim opera ſeptuaginta Interpretum, juſſu Ptolomæi Philadelphi Regis Ægyptii, ii divini libri in linguam Græcam, quod accidit anno Mundi termilleſimo ſexcenteſimo nonageſimo quarto, ſecundum Joſephum, tranſlati fuerint, commonefieri potuerunt de reſurrectione carnis. Hoc ita eſſe apparet ex oratione Conſtantini Magni ad Sanctorum cœtum; quæ adjuncta eſt Euſebii Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, ubi inter alia ita dicit: Quia etiam Pythagoras, qui modeſtiam admodum exercere, & ſilentium egregiè præter cæteros amplecti præ ſe ferebat, deprehenſus eſt falſo ementitus eſſe. Quæ

Cap. 51.

Lib. 12. c. 2.

re. Quæ enim jam olim à Prophetis prædicta fuissent, tanquam sibi, dum in Ægypto versabatur, essent separatim à Deo patefacta, Italis tradidit. Huc referri possunt ea quæ Bodinus in Methodo historica ex Simplicij comment. refert, Aristotelem videlicet literas ad Callisthenem dedisse, ut tantisper Chaldæorum antiquitates ac monumenta conquireret, dum alij prædæ intenti Babylonem diriperent. Tum Callisthenem rescripsisse, conquisita diligenter à se Chaldæorum monumenta, seque reperisse historiam annorũ M.CCCC.III. qui numerus ad unguem congruit cum sacra historia Moysis & Philonis, si ab Alexandro Magno regrediamur ad illud tempus, quo primum dispersos tradit filios Nohæ in orbem terrarum, ac Semi gentem in terra Senaar ad Orientem Armeniæ, in qua navis illa salutaris constiterat, sedes quæsiisse. Hinc postea, ni fallor, orta sunt tam egregia edicta Divorum Fratrum & aliorum Imperatorum leges, quæ insertæ sunt Pandectis Justiniani, ne inquietarentur ossa corporum eorum, qui justæ sepulturæ traditi, id est terra conditi fuere: neque loco moverentur, nisi jussu Pontificum vel principum: Utinquam hosce Philosophos Gentilium omittamus, qui fabulis imbuti Græcis & Ægyptiacis, aut omnino nihil, ut Lactantius ait, sciunt, idque ipsum pro summa scientia præ se ferunt: aut qui non perspiciunt etiam quæ sciunt: aut qui, quoniam se putant scire, quæ nesciunt, inepte arroganterque desipiunt: mirum Indos illos occidentales alioquin parum à brutis distantes, & Idololatriæ crassissimæ & absurdissimæ præter omnem rationem immersos, non tantum immortalitatis animæ, sed etiam resurrectionis corporum (qui articulus sapientiæ humanæ, cui potentia divina ignota est, omnium difficillimus, imo absurdissimus esse solet, carnem videlicet in terram, terræque pulverem resolutam, & quasi ad nihilum redactam resurgere denuo atque reviviscere) gustum aliquem habere, id quod tum sepulturæ eorum ritus indicant, tum quod Hispanos spe auri & argenti eruentes & perscrutantes sepulchra ipsorum, orare solent, ne ossa humatorum dissipent, quo videlicet illi ocyus & minore negocio resurgant, ut Aug. Zarat. & Benzo testantur. Præterea de incolis idololatris insulæ Virginiæ ante pluscculos annos ab Anglis inventæ, quæ Americæ versus Septentrionem conjungitur, ita scribit Thomas Hariotus: Animæ immortalitatem etiam credunt; Eam statim atque à corpore soluta est, transferri secundum opera quæ fecit, vel ad Deorum sedes perpetua felicitate fruituram, vel ad ingentem fossam seu scrobem (quam in extremis mundi finibus, procul ab ipsis versus occidentem sitis, esse censent) ad perpetuum ignem: eum locum ipsi Popogusso appellant, & ibi recenset aliquot exempla de ijs qui in vitam redijsse dicuntur: Eodem modo Osorius scribit Indos Orientales Narsingenses animum immortalem credere, & post hanc vitam præmia

Lib. 1. de oral.

Subri. de religios. & sumptib. fun.

Lib. 6. c. 18. de vero cultu.

Lib. 1. c. 11. histor. Peru. Lib. 3. c. 20. histor. novi orb.

Lib. 4.

bonis, improbis autem ſupplicia eſſe judicio divino conſtituta. Imo ut idem Benzo refert, Indis illis Peruanis Guaiuacavam Regem ſuum, dum olim viveret, adeo carum & venerabilem fuiſſe, ut cum hodie etiam lugeant, ac vulgo perſuaſum habeant, illum ad vitam propediem revocatum iri, regni gubernacula ſuſcepturum. Jacet, inquit, in Quitenſis urbis finibus, majorum ſuorum tumulis illatus, cum immenſa auri & argenti elaborati copia, hominum fœminarum animaliumque omnis generis ac piſcium effigie, Hiſpani ſedulo ſepulchrum ejus à compluribus Indis, etiam tormentis vehementiſſimis, quæſivere; ſed fruſtra. Neque illi unquam eum locum indicio ſuo prodiderint, etiamſi omnes ad unum interficiantur. Quod ſi Hiſpani in ejusmodi monumenta inciderent, quale fuit Semiramidis Orientis Reginæ potentiſſimæ: fortaſſe cautiores efficerentur, ne oſſibus defunctorum, ſpe eruendi auri ita inſultarent. Ea enim monumentum cum tali inſcriptione, ſibi fieri curavit: QVICUNQVE EX Regibus pecuniæ inopiam ſenſerit, conditorio recluſo, ſumat inde quicquid viſum fuerit. Id quum legiſſet Darius, ut qui auri foret avidior, ſepulchrum juſſit recludi, ſed in eo pecuniam invenit nullam, at talem reperit inſcriptionem: NI MALUS vir fores & pecunia prorſus inexplebilis, non utique mortuorum loculos moveres. Exprobratio ſane lepida in ſacram auri famem. Eundem morem ſepeliendi, ut pauliſper à propoſito digrediar, cum auro & argento, olim apud Romanos uſitatum fuiſſe, apparet ex Ulpiani reſponſo, qui tamen hiſce verbis prohibetur. Non oportet ornamenta cum corporibus condi, nec quid aliud hujusmodi, quod homines ſimpliciores faciunt: Hinc infertur, quod quis precioſioribus rebus ſepeliri non debeat, licet ipſe hoc mandaſſet, ſicut in l. fin. § fin. de auro & argento legato, videre licet. Eodem modo de Braſilienſibus barbaris Lerius ita ſcribit. Non modo immortalitatem animæ credunt, ſed pro certo quoque habent, poſt mortem eorum animas qui virtutem coluerunt (virtutem autem illi definiunt ſuo more, nempe ultionem ſumere de hoſtibus, & quamplurimos mandere) poſt altiſſimos montes evolantes patrum & avorum ſuorum animis aggregari, ibique in amœniſſ. hortis, perpetuis delicijs ac tripudijs lætum ævum agere: Ignavorum contra manes qui ſine ulla propugnandæ patriæ cura inglorij vixerunt, abripi ab Aignan (ſic illi Cacodæmonem vocant) & cum eo ſempiternos inter cruciatus vivere.

Lib. 2. c. 3.

In l. & ſi quis paragr. non oportet de religioſ. & ſumpt. fun. eo tit. de religioſ & ſumpt. fun. & in l. fin. paragr. fin. de auro & argēto lega.

Cap. 16. navig. Braſil.

Caput XCVIII.

De dicto: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.

FERUNT hoc dicto Christi Servatoris nostri: Omnia quæcunque volueritis, ut faciant vobis homines, hoc itidem faciatis eis, M. Aurelium Severum Alexandrum, Juliæ Mameæ Augustæ, vel Christianæ, vel Christianorum patronæ, filium, ita delectatum fuisse, ut id in palatio & publicis operibus perscribi jusserit. Imo Ælius Lampridius refert, eum Christo templum facere & inter deos recipere eum constituisse quod & Hadrianus cogitasse fertur, qui templa in omnibus civitatibus sine simulachris jusserat fieri, quæ hodie idcirco, quia non habent numina, dicuntur Hadriani, quæ ille ad hoc parasse dicebatur: sed prohibitus est ab his, qui consulentes sacra, repererant, omnes Christianos futuros, si id optato evenisset, & templa reliqua deserenda. Ut autem ad dictum nostrum aureum revertamur, inde Edictum ex Ulpiano, qui Alexandri præcipuus fuit consiliarius, sumptum, & propter summam æquitatem in Pandectas à Justiniano sub titulo: Quod quisque juris in alterum statuerit, ut ipse eodem jure utatur, insertum esse, notum est. Fuit autem ejusmodi: Qui magistratum potestatemve habebit, si quid in aliquem novi juris statuerit: ipse quandoque adversario postulante eodem jure uti debet. Si quis apud eum, qui magistratum potestatemque habebit aliquid novi juris obtinuerit, quandoque postea adversario ejus postulante eodem jure adversus eum decernetur. Scilicet ut quod ipse quis in alterius persona æquum esse credidisset, id in ipsius quoque persona valere patiatur. Ea de re & Valer. Max. nonnulla exempla recenset: & in primis quoque memorabile est, quod sicut omnes interfectores Cæsaris violenta morte, & iisdem gladijs, quibus cædem perpetraverant, perierunt: Ita etiam hoc Gordiani percussoribus Cordus evenisse scribit. Omnes enim quicunque illum gladio appetiverunt, qui novem fuisse dicuntur, postea interemptis Philippicis, sua manu suisque gladijs & ijsdem, quibus illum percusserant, interijsse dicuntur. Fuit autem is Gordianus ultimus ex Imperatoribus Gordianis, & fraude Philippi præfecti prætorij Arabis humili genere oriundi, interfectus. Et conspiciuntur Romæ in monumento quodam antiquiss. sed mutilo & obscuro inter alia hæc verba:

Lib. 2. *Lib. 2.* *Lib. 8. c. 6.*

AB ALIO SPERES ALTERI QVOD FECERIS.

Et ibidem in alio monumento talis eſt inſcriptio:

ASPULENA GERIA VIX. ANN. XXII. QVOD QVISQVE VESTRUM OPTAVERIT MIHI ILLI SEMPER EVENIAT VIVO ET MORTUO.

Hanc ſententiam variis verſibus Jambicis aliquando expreſſit D. parens meus piæ memoriæ.

Quod vis tibi fieri, hoc idem fac alteri,
Fac alteri, quod ipſe vis fieri tibi.
Fac alteri, tibi ipſe quod fieri cupis.
Quod tibi vis ut homines faciant, idem fac hominibus.
Hoc fac aliis quod cupis fieri ab aliis tibi,
Quod tibi ne vis fieri, id & alteri ne feceris.

Hoc dictum, quod ex lege naturæ promanat, olim veteres ſapientes ſecuti ſunt. Lycurgus enim legiſlator Lacedæmoniorum celeberrimus, nihil unquam in alios ſtatuit, quod ipſe non ante ſervaverit. Idipſum Mahometes etiam inter ſua octo præcepta inſeruit, quæ ſuis Muſulmanis, tanquam cœlitus à Gabriele Archangelo ſibi per manus tradita, ſubdole inculcavit. Cujus præcepti memor eſſe debuiſſet Baiazetes. I. captus à Temiro Scytha, qui vulgo Tamerlanes dicitur. Is enim ab hoc interrogatus, ſi in ejus poteſtatem veniſſet, quid factum fuiſſet, ferociter reſpondit: Equidem te, ſi fortuna propitia meam in poteſtatem veniſſes, ferrea concluſum cavea mecum hinc inde circumducerem. Quo Temir audito, mox è ferro caveam parari juſſit, & in eam carceris loco Bajezetem incluſit, donec contumeliarum impatiens caput ad illam illideret, & animam indignabundus efflaret, ſicut latius in Annalibus Turcicis refertur. Sed pergamus in propoſito cœpto. Lucianus ſane eadem quæ diximus innuere viſus eſt, ubi facete Menippum introducit, decretum apud inferos ſancitum recitantem, ut divitum animæ, quæ rurſus in vitam remittendæ eſſent, in aſinos demigrarent, ... nec in tali rerum ſtatu ad multa annorum millia aſini ſemper ex aſinis renati onera ferrent, atque inſuper à pauperibus ſicut ipſi pauperibus feciſſent, agitarentur. Debuiſſet item hujus præcepti meminiſſe quidam ex iis, qui in arce quadam Selandiæ à Carolo VI. Rege Gallorum capti fuerunt. De quibus Rob. Gaguinus ita ſcribit: Captivis aliquot quum mortem Carolus remitteret, mori maluerunt: quorum unus tametſi ſanguinis gradu alios contingeret, eos tamen ſupplicio afficere, ſi ſalvus evaderet, obtulit. Itaque inhumanis carnifex concaptivos conſanguineosque necavit. Deteſtatus autem Rex hominis impietatem, pari eum pœna plecti jubet. Huc referri quoque poteſt hiſtoria memorabilis, quæ Romæ accidit. Hanc Benno Cardinalis ſicut à Balæo refertur ita recenſet: Henricus Imperator ſolitus erat frequenter

In Necromantia.

Lib. 9. c. 3. hiſt. Franc.

De actis Ro-

terire ad orationem, ad Ecclesiam sanctæ Mariæ, quæ est in monte Aventino Pontifex autem quum per exploratores suos omnia ejus opera diligenter inquireret, locum, in quo frequentius Imperator, vel stans, vel prostratus, orabat, notari fecit, & quendam promissa pecunia ad hoc induxit, ut supra trabes Ecclesiæ occulte lapides magnos collocaret, & ita aptaret, ut de alto super caput orantis Imperatoris demitteret, & ipsum contereret. Quod minister tanti sceleris quum festinaret implere, & lapidem magni ponderis super trabes aptare vellet, lapis pondere suo eum traxit, ac fracta sub trabibus tabula & lapis ille & miser homo, Dei judicio, in pavimentum Ecclesiæ cecidit, & eodem lapide contritus penitus est. Hujus rei gestæ ordinem postquam Romani cognoverunt, pedem illius miseri fune ligaverunt, & triduo per plateas urbis ad exemplum trahi fecerunt. Imperator autem solita clementia jussit eum sepeliri: Recte & vere itaque Sapientiss. Rex monet: Fodiens foveam in eam incidet, & volvens saxum, in ipsum impinget. Postremo omittenda non sunt, quæ in historia persecutionum Valdensium, Pedemontium incolentium, à Christophoro Richardo Biturige nuper latinitate donata de Joanne Martino Trombantio Briguerano legimus. Is enim, inquit Christophorus Richardus, quum usquequaque se Augruniço pastori nares abscissurum jactare solitus esset, non multo post à lupo furibundo cōpressus fuit; qui illi nasum dentibus avulsum deglutivit, unde subito perijt. Neque ex illo auditum est, cuiquam lupum illum damni aliquid attulisse. Memorabile quoque exemplum reperitur, in Narratione de quinta Gallorum in Floridam navigatione sub Guorguesio, Anno M. D. LXIV. quæ cum altera Gallorum in eandem Americæ provinciam, duce Laudoniero anno M. D. LXIV. navigatione, additis pulcherrimis figuris, typis Wechelianis, sumptibus vero Theodori de Bry, nuper Francofurti edita est. Ibi enim quum tria castra munita Hispanorum à Gallis auxiliantibus illis incolis barbaris expugnata uno fere impetu essent, Hispani qui reliqui facti sunt cum superioribus adducti, postquam præfectus illis injuriam insignem, qua totam gentem Gallicam immerito affecissent, exprobrasset, omnes suspensi sunt è ramis earundem arborum, è quibus Galli prius suspensi ab ijs fuerant: quorum unus, qui quinque Gallos strangulaverat, culpam agnoscens, justum Dei judicium, sibi meritas pœnas irrogantis confitebatur. Sed loco tituli, quem Petrus Melendesius Gallis imposuerat, his verbis Hispanice scriptis; Hoc non facio, tanquam Gallis, sed tanquam Lutheranis; Gourguesius tabulæ abietinæ ferro candenti inscribi jussit: Hoc non facio tanquam Hispanis, vel nautis; sed tanquam proditoribus, homicidis & latronibus, &c. Ideo autem ab irritatis Gallis in Hispanos captivos sævitum hoc modo est, quod Melendesius ille præfectus Hispanorum ante

man Pontif. Lib. 1. in vita Greg. 7.

In Proverb. cap. 26.

pluſculos annos tam Gallos in iſto loco, quem nuper arcis inſtar muniehrant, præſidio relictos; quam reliquos, duce Joanne Ribaldo præfecto Regio naufragos, inermes & ſeminudos in littus ejectos, Mendeſiique fidem datam ſecutos, (nam extrema neceſſitate & fame coacti ampliſſimis promiſſis ejus fidentes, eos ſalvos & incolumes fore, ſeſe dediderant) circiter nongentos utriusque ſexus, pecudum more mactare & interfici juſſerat. Sicut integra hiſtoria de hac clade conſcripta, & lugubris libellus vel Epiſtola ſupplicatoria Regi Galliarum Caroli IX. ejusdem nominis, oblata per viduas, orphanos, cognatos, affines, &c. quorum conſanguinei per Hiſpanos in ea Galliæ antarcticæ parte quæ vulgo Floridæ nomen invenit crudeliter trucidati perierunt, (talis enim eſt titulus) abunde teſtantur: Manet itaque veriſſimum id, quod olim prolatum fuit ab oraculo:

οἷατ' ἀνὴρ ἔρξει τοῖον τέλος αὐτοῖ ἱκάνει.
Qualia quisque facit, talis finis manet ipſum:

Verum cum hæc meditatio magnam cognationem cum ſequenti habeat, ea quæ hic deeſſe videntur, ex illa petere ſtudioſus lector poterit.

CAPUT XCIX.

De pœna Talionis.

Lib.1.c.5. Ethic.



ARISTOTELES allegat Pythagoræorum ſententiam, qua definitur ſimpliciter jus, id quod viciſſim defertur, & reciprocata affectione ſeu pœna. Idque jus volunt Rhadamanti perhiberi:

Quod fecit, ferat. hæc fuerit directio juris.

Unde talionis pœna originem ſuam traxit, quam Græci appellant ἀντιπεπονθὸς, alij eam nominant ταυτοπάθειαν: à nonnullis vocatur Retaliatio. Reciprocas taliones vocat etiam Cæcilius apud Gellium. Hanc pœnam in veteri teſtamento conſtitutam & uſitatam fuiſſe, patet ex lege Moſaica, & illuſtratur exemplo Regis Adonibezeci, qui amputatis pollicibus manuum & pedum occiſus eſt, quum itidem antea ſeptuaginta Regibus feciſſet. Legibus quoque XII. Tabul. hæc pœna continebatur his verbis, ut vulgata lectio habet: SI MEMBRUM RUPERIT MEUM, E PACTO TALIO ESTO. Vel ut Cujacius vir doctiſſ. & eruditæ antiquitatis peritiſſ. legendum putat; SI MEMBRUM RUPIT, NI CUM EO PACIT, TALIO ESTO. Scribit enim antiquum fuiſſe verbum PACO pro paciſcor. Quod & Feſtus notat. Cato quoque hujus legis mentionem facit. Si quis, inquit, membrum rupit, aut os fregit; talione proximus

Exod.21. Levit.24. Deut.19. Libro Sophetim vel Iudicum c.1. Tit. de injur.

Li.4. Orig.

ximus ulciscitur. Quid autem Christus, unicus Servator noster, de hac lege doceat, apud Matthæum videre licet. Alibi quoque expresse dicit: Qua mensura metimini, eadem remetientur alij vobis. Et in libro Sapientiæ legimus. Quod per quæ quis peccat, per eadem etiam puniatur. Et Habacuc Propheta exclamat: Quia tu spoliasti gentes multas, reliqui te quoque spoliabunt. Nam lege Dei, lege naturæ, & lege omnium gentium, receptum est pro æquissimo, ut quisque expectet sibi irrogandum quod alteri privata cupiditate intulerit. Ideo dicit Deus: qui effundit sanguinem, hujus sanguis effundetur. Et: si quis in captivitatem duxerit, in captivitatem abijt, si quis gladio occiderit, oportet eum gladio occidi: Etsi autem in nostris legibus hujus pœnæ passim mentio fit, & inprimis adversus judicem, qui delatum ad se crimen punire neglexerit, statuitur, ut eandem pœnam pati debeat, quam alijs indulsit, & dissimulando remisit, quo modo & olim accusatores regulariter se inscribere ad similitudinem supplicij tenebantur, si in accusatione deficerent, & ita jure puniebantur: Tamen olim talionis supplicium Prætorum clementia revocatum est, & hodie non solum ea pœna fere in desuetudinem abijt; sed etiam illæ inscriptiones desierunt, & in eorum locum satisdationes vel cautiones successerunt, ut in Constitutionibus Imperij, præsertim de pace publica sancita in Comitijs Augustanis Anno M. D. XLVIII. videre licet. Affert autem Gellius duas caussas, legis scilicet incommoditatem, & rependendæ pœnæ, id est, retaliandæ difficultatem. Licet calumniatori, si convictus fuerit, & suæ pœnæ talionis, hodierno die constitutæ, neque abrogatæ sint. Ei enim fiet, quod fratri suo fieri voluit, inquit lex divina. Hoc testatur Jovius in suis historijs, ubi exemplum, quod Neapoli accidit, sane memorabile, recenset. Aliud non minus memoriæ dignum refert Justinianus, de Alexandro Bono, de quo propter calumniam supplicium sumptum est. Imo in constitutionibus Imperij pœnalibus apparet nonnulla hujus pœnæ vestigia adhuc reliqua esse. Et novis Constitutionibus Electoralibus Saxonicis peculiaris titulus de jure Retorsionis vel Talionis, insertus est, ubi statuitur, quatenus & erga quos hoc jus locum habeat. Verum ut ad nostras meditationes historicas veniamus, memorabile exemplum pœnæ Talionis recenset Johannes Dubravius Episcopus Olmucensis his verbis, quum res gestas Caroli IV. Cæsaris attingit: Pro tribunali Carolo sedente, sacerdos quispiam utroque oculo à viro quodam nobili patrono suo privatus, propterea quod illum erroris in religione arguisset, injuriam querebatur suam. Non ibat inficias Zachora, id nobili huic cognomen erat: sed per animi impetum, quem tunc in potestate non habuisset, facinus admissum excusabat, offerebatque pecuniam

pro

Matt. 5. c. 7.
Genes. 9.
Apocal. 13.
L. ult. C. Ne sanct. bapt. iteretur.
l. Libellorũ paragr. item subscribere ꝫ.
Et L. si cust. de accusat.
l. 3. ubi DD. C. Qui accus non poss.
2. C. de exhib. reis l. ul. C de accus.
l non prius. C. de calum.
cum simil. l. 20 l. 1. parag. 1. ad. l. Corn. de Sicar.
Auth. Omnes peregrini. C. com. de suc.
Deu. c. 19 ad fin. Lib. 30.
Li. 11 de rebus Venetis.
Tit. 68. de falsis testib.
Tit. 107.
Tit. 18.
Tit 38.
In hist. Bohem. lib. 22.

pro ſatisfactione arbitrio judicum æſtimandam. Interpellavit dicentem Carolus atque hanc tulit ſententiam. Non poſſe in hoc caſu ſatisfactionem absque talione ſibi conſtare, quando cœco in integrum reſtitui oculi nequeant: ſed oportere Zachoram pariter atque Sacerdotem perdere oculos ſuos, neque enim aliter jus eſſe æquabile. Hactenus ille. Olim quoque Aſiaticæ gentes ad Talionis pœnã inclinatæ fuere, ſicut apud Herodotum de quodam Hermotimo, & Panionio Chio legitur: quamvis non inficias eam iræ & vindictæ nimium illum indulſiſſe, & talionis terminum exceſſiſſe. Niſi forte rationes Imperatoris Juſtiniani, qui talioné in caſtratores permittit, ſecutus ſit. Ille enim quum captus ab hoſtibus & huic venundatus eſſet, juſſit illum caſtrare. Ducebat n. Panionius ille ex hoc impuriſſimo quæſtu, quem factitabat vitã. Nam quos pueros forma præditos coemerat, eos caſtrabat, ductosque aut Sardeis aut Epheſum magna pecunia venundabat. Etenim apud Barbaros, ait Herodotus, precioſiores Eunuchi ſunt, quam qui nõ ſunt caſtrati, in omni genere fidei gratia. Hoc quoque Cyrus apud Xenophontem ſentit, ideoq; illis ſui corporis cuſtodiam præ cæteris commiſit. In ſacris autem literis, quod omittendum non eſt, nomen Eunuchorum non ijs ſolis, qui natura tales ſunt, verum etiam alijs principum ſervis attribuitur. *Hermotimus* ille quum ad Regem Xerxem cum alijs muneribus deductus eſſet, progreſſu temporis ex omnibus Eunuchis maximo in honore apud eum eſt habitus. Quum autem Rex adverſus Athenas moveret è Sardibus, per id tempus Hermotimus cujusdam negocij gratia deſcendit in agrum *Miſium*, qui à Chijs incolitur, ſed Atarneus vocitatur. Ibi inventum Panionium, atque agnitum allocutus eſt, & multis & communibus verbis primum recenſens ei, quæ per illum eſſet aſſecutus bona; deinde pollicens, [illegible] gratiam illius meriti foret relaturus, ſi homo cum ſuis domeſticis illuc commigraſſet. Ea oratione libenter audita, Panionius contulit ſe illuc cum uxore & liberis. Quem poſteaquam cum omni re familiari adeptus eſt Hermotimus, his verbis affatus eſt: O omnium poſt homines natos ſceleſtiſſime, qui ex nefandiſſ. negociatione quæſtum facis, quid aut ip ſe ego, aut meorum quiſpiam, tibi, vel tuorum cuipiam mali feci, quod ex viro neutrum me reddidiſti? putabas fore, ut quæ nunc machinabaris, laterent deos? qui juſta lege utentes, te infandorum opificem tradiderunt in manus meas? ut de pœna à me tibi irroganda queri non poſſis. Huc ubi exprobravit homini, filijs in conſpectum ejus adductis, qui quatuor erant, coegit patrem illorum genitalia reſcindere: quod quum coactus feciſſet, filij ſui adacti ſunt ejus virilia abſcindere. Ita ſupplicium ab Hermotimo in Panionium redijt. Hactenus Herodotus. Etſi autem, ut paulo ante attigimus, olim apud Aſianos ſicut hodie apud Turcos fit, Eunuchi vel caſtrati (qui ab illis Chadi vel

Had

In Vrania.

Nov. conſt. 142. cap.

Lib. 7.

Hadi nominantur) in magno precio & autoritate fuere, quod etiam posterioribus temporibus apud Græcos Imperatores accidit: tamen Romanis Imperatoribus & legibus ii semper invisi fuerunt, & inter eos habiti qui neque virorum, neq; mulierum numero haberi possent, sicut videre licet apud Val.Max. ubi Genutius quidam, qui sibi ipsi genitalia membra amputaverat, tanquam obscœna persona indignus fuit habitus, qui aliquid ex testamento caperet, siquidem, inquit, perinfame fuit hujus monstri tertiive generis hominum inquinata voce, sub specie petiti juris tribunalia pollui. Lib.7.c.7. Eodem modo acerba insectatio horum est in quadam epistola Basilii ad Simpliciam. Et apud Claudianum ista descriptio Eunuchorum legitur in Eutropium:

Alter quos pepulit sexus, nec suscipit alter
Exsecti Veneris stimulos, & vulnere casti.
Mæsta duplex ætas inter puerumque senemque
Nil medium.
Adde quod Eunuchus nulla pietate movetur
Nec generi natisque cavet,

Hæc mihi meditanti, venit in mentem historia non illepida, quam ex Luitbrando Diacono Ticinensi refert Alciatus; quam, licet enim paulisper a proposito divertere, si huc ascriberem, non inconvenientem putavi. Theobaldus, inquit, Umbrorum Dux adversus Græcos, qui Beneventum tenebant, bellum gerebat. Is quoscunq; ex hostium exercitu captivos facere poterat amputatis virilibus dimittebat, donec quædam mulier ante eum gemebunda hominum Deûmque fidem implorans constitit: Quid, inquiens, Theobalde, fœminæ egimus, ut bellum nobis indiceres? Haudquaquam nos Amazones sumus, sed Minervæ operibus deditæ, armorum usum nullum tenemus. Quid ergo virorum nostrûm testes amputas, nosq; nostris voluptatibus privas? Sunt oculi, sunt nares, sunt manus, quin ad ea quæ nostro usui natura concessit, belli jura producis? Quo sermone delectatus Theobaldus, ei pœnæ modum imposuit. Optimo sane jure, ut opinor reprehensus fuit Theobaldus ille à muliercula Beneventana, non tantum ex illis privatis causis ab ea adductis, sed potius, quia ignorare is non debuerat, eos qui abscissis virilibus facerent Eunuchos, esse inimicos & destructores naturæ, cum ita non solum liberorum procreationem impediant, sed etiam plerunq; ex multis paucissimi evadant incolumes, usq; adeo (utor enim verbis Justiniani Imperatoris) ut quidam ex his, qui servati fuerunt, sub nostro aspectu deposuerint è nonaginta ægre tres servatos esse. Unde legibus Cæsareis tales, bonis confiscatis, pœna capitis puniuntur, æque ac si hominem occidissent. Eodem modo ple-

Lib.4.c.4 Li.7. parergõn jur.c. 23.

Constit.142. tit.42. L.3.§.qui hominem. & l.Cornelia §.consti.

tutum. Ad leg. Corn. Sicar. L. Iudai. C. De Iudæis L. 1. & 2. C. de Eunuchis. L. in metallum C. de pœnis. In vita Trajani. plectuntur, qui pueris præputium virgæ virilis circumcidunt, ut faciunt Judæi. Ex quo apparet, genitalia membra non eſſe ullo modo lædenda, & in eos, qui ſecus faciant graviſſimam pœnam ſicut in crimine læſæ Majeſtatis, conſtitutam eſſe. Immo ſicut prohibetur, ne pro delicto ſtigmatibus aliove modo deformetur facies hominis, ſic quoq; infertur, neminem genitalium abſciſſione torquendum. Ea enim pœna in jure non eſt permiſſa, ſed potius prohibita. Quoniam autem in hanc materiam obiter incidimus, mirum eſt, quod Ariſtoteles dicat; Omne animal caſtratum plus manſueſcere, excepto homine, qui non manſuetior, ſed ferocior efficitur. Quod tamen licet interdum eveniat, plerunq; tamen fallat. Idq; multis exemplis demonſtrari poſſet. Memorabile præterea dici poteſt, quod Dion de ſpecu Hierapolitano ſibi compertum ſcribit: Ciſterna inquit, undiq; circumſepta ſtat, quam ſuper theatrum conſtructum eſt: ſpirat aura omnibus animantibus noxia, intereuntq; cuncta protinus, quæ halitum olfactumve hauſerunt. Hi duntaxat impune peſtifera alioquin ſpiramenta hauriunt, quibus genitalia exciſa ſunt. Cauſa facti incomperta mihi adhuc eſt, quanquam diligentiſſime *Lib. 23.* perſcrutatus de ea fuerim. Eadem refert Amm. Marcellinus. *Poſtremo* non omittendum eſt, quod Eunuchi non calveſcant, nec ſint podagrici, ſecundum Hippocratem, Galenum & Ariſtotelem. Sed hæc de Eunuchis παρέργως quippe, ut præcipit Cato, nonnunquam ſeriis jocoſa miſcenda ſunt: & redeamus, unde digreſſi ſumus. Quemadmodum autem olim tam apud Græcos, quam apud barbaras gentes, pœna talionis frequens fuit; ſic etiam nunc a-*Capite 4. de Magiſtrat. Athenienſ.* pud Turcos ea uſitatiſſ. eſt. Sicut apud Areopagitas forma talis judicii fuit, ſicut Gulielmus Poſtellus obſervavit. Conjecto, inquit, reo in vincula (finge de cæde agi) per præcones & apparitores vocabantur interfecti hominis neceſſarii, domeſtici, parentes, amici, quorum arbitrio (quod hodie judicii æquitate fit) de pœna ſtatuebatur, ferebaturq; ſententia ſecundum damni accepti rationem. Qui mos quia eſt Turcis hodie in uſu, à me referri amplius poteſt, Cadhi, quod nomen apud Arabes judicem ſignificat, comprehenſo reo homicida, curat ſtatim ſiſti parentes perempti, & ſi illi deſint, neceſſarios, aut illos, ad quos ex illius vita utilitas provenire poterat. Alioquin ſi deſint illi nomine Principis & legum more procuratoris aut advocati Regii juris ſcripti & talionis pœna punit. Rogat præſentes, utrum malint hominem talione aut mulcta puniri, ferturq; pro illorum voto, ſi tamen modum non excedat, ſententia. Æſtimant hominem ſolidum ſexaginta Aſprorum millibus, quæ ſumma ad noſtram pecuniam æſtimata, mille & ducentos aureos nummos reddit. Nam Aſprum genus argenteæ monetæ eſt noſtro Caroleo nummo pene par. Id æris compenſat mortus damnum, Dimidium hominis dimidii loco adjudicatur. Dimidius homo eſt,

cui

cui pes, manus, oculus, aut præcipuæ partis usus deest. Paris proportionis ratio in corporibus aut in utilioribus partibus observatur. Hæc Postellus. Huc referri potest, ut materiam Talionis prosequamur, quod de Tamerlane Scytha Lonicerus refert. Cum ei in minore Asia lacrymabunda mulier se obtulisset, querens ab ejus milite nullo dato precio coctum lac, parumq; casei erepta esse, statim consistere exercitum jussit. Agnito igitur Rex per pectus se præsente aperiri corpus jussit, in cujus stomacho lac, quod mulieri eripuerat, fuit inventum. Cui supplicio talionis mulier designata erat, nisi ejus rei, qua se spoliatam questa erat, signa fuissent inventa. Similis historia etiam invenitur apud Georgovizium, ubi dicit, Janizarum accusatum à muliercula se præsente in Damasco pedibus suspensum rursum lac evomuisse, ideoq; strangulatum fuisse.

Lib. 1. histor. Turcic.

Lib. de Turcorum moribus.

Caput C.

Mitiorem sententiam, quando subest causa, in pœnis sequendam.

Etsi laudabile, boniq; Judicis officium est, delicta commissa non sinere impunita, cum præsertim pinguior victima mactari Deo nequeat, quam homo sceleratus, ut ait Seneca; recteque dicitur: Is qui parcit malis, nocet bonis. Id quod etiam sacræ literæ testantur in exemplo Phineæ, qui Israelitam scortantem cum Madianitide, una cum scorto transfixit. Quod factum ita gratum Deus sibi fuisse profitetur, ut eo furorem iræ suæ placatum, & à populo Israelitico aversum esse affirmet. Et alibi dicit Propheta veri Dei ad Regem Achabum: Quoniam dimisisti virum dignum morte, erit anima tua pro anima ejus, & populus tuus pro populo ejus, siquidem bonorum salutem custodit, qui malos punit. Habemus etiam ea de re insigne Ludovici, cognomento Divi, Galliæ Regis exemplum, sicut Annales Galliæ testantur. Is enim quum forte aliquando ex Psalmis Davidis preces ad Deum conciperet, & aliquis, qui pro reo quodam capitalis criminis gratiam peteret, intervenisset, & Rex, quasi aliud agens annuisset; mox vero incidisset in versiculum Psalmi CVI. ubi dicitur: Beati qui faciunt justitiam omni tempore: protinus revocari jussit cum cui gratiam concesserat, eamq; irritam fecit, memorabili edita sententia, Principem qui punire potest crimen, nec punit,

Lib. 3. Reg. cap. 20.

non minus coram Deo reum eſſe, quam ſi id ipſe perpetraſſet. Pietatis eſſe opus non ſævitiæ, juſtitiam facere. Huc referri poteſt hiſtoria Herkinbaldi, quæ ex autore neſcio, quo refertur in Itinerario Philippi Regis Hiſpaniarum in Belgium à Chriſtovalle Hiſpanice diligenter conſcripto hiſce verbis: Herkinbaldus vir magnificus, præpotens & illuſtris, in judicio non acceptans cauſam pauperis, ut potentis: agnati tanquam ignoti ſemper æqua lance judicavit: hic dum graviter infirmus lecto diſcumberet, in proxima camera tumultum rigidum clamoresq; fœmineos exaudivit. Cui quidnam eſſet, ſciſcitanti, ab omnibus celata eſt veritas. Sed tandem quidam ex pueris, ut veritatem diceret, ſub oculorum evulſione commonitus, paucis aſſerit, reſpondendo: Domine, ſilius ſororis veſtræ, quem omnes poſt te primum timent, colunt, & venerantur, puellam oppreſſit, & hæc ſunt cauſa clamoris. Quo audito & re plene cognita, ſenior ſuum nepotem cariſſimum ſuſpendi mandavit, quod Seneſcallus, cui id juſſum fuerat, ſe facturum ſimulans, egreſſus juveni nunciavit, admonens eum, ut ad tempus lateret. Poſt horas autem aliquot Seneſcallus ad infirmum rediens, ſe impleſſe quod juſſeræt, mentitus eſt. Quinto vero die juvenis exiſtimans avunculum de culpa immemorem, aperto oſtio cameræ introſpexit, quem ut infirmus vidit, blandis verbis advocans ad lectum reclinare permiſit. Herkinbaldus itaq; capillorum arrepta cæſarie, ſui conſanguinei caput læva manu retorquens & dextra cultellum gutturi ejus valide infigens, zelo

L. 1. C. de Episc. audien.

juſtitiæ occidit eundem. Ad id reſpexerunt leges quoq; noſtræ, quæ ſtatuunt, quod, quando facinoroſi dimittuntur impuniti, contaminentur lætitiæ & gaudia hominum: Id tamen omne intelligi debet cum grano (ut dicitur) ſalis, videlicet in atrocioribus & notoriis criminibus, ne præbeatur materia delinquendi ob ſperatam impunitatem, ſed deterreantur ſcelerati atrocitate ſupplicii, judicem non debere mitiorem eſſe lege, vel conſuetudine. Quando vero cauſa aliqua apparet mitigationis, vel dubium aliquod, præſertim in facto emergit, tunc non audiendi ſunt ἀκριβοδίκαιοι, (ita enim ab Ariſtotele vocantur ii, qui ſtrictum jus æquitati præferunt) ſed ſemper facienda eſt interpretatio in benigniorem partem, quæ ſcilicet tendit ad liberandum non ad obligandum.

L. ea quæ de regul. juris l. abſentem de pœnis.

Unde Marcellus Juriſconſultus dicit: In re dubia benigniorem interpretationem ſequi non minus juſtius eſt quam tutius. Sanctiusq; hoc caſu eſt nocentem dimittere, quam innocentem condemnare. Idipſum eo diligentius conſiderandum eſt iis, qui ad conſilia adhibentur.

Robert Gaguin. lib. 10. hiſt. Franc. c. 2. in vita Caroli VII.

Siquidem ſemper fuere iniqui conſultores, qui affectione mala vel aſſentatione cœci, inſontes pro nocentibus, ut cum principibus gratiam inirent, damnare magis, quam abſolvere curarent. In eam enim partem propenſiores ſunt in quam principis animum proclivem vident. At

tutius

tutius est, dicunt canones, propter misericordiam reddere rationem, quam propter crudelitatem. Idq; illustratur exemplo Jacobi Carrariensis Principis Patavini, sicut à Bernardino Scardeonio recensetur. Hoc, inquit, tanti viri postremum facinus minime tacendum est, quod in novissimo pene spiritu dignum memoratu fecisse perhibetur. Nam facta sui potestate omnibus, quicunq; queri de se vellet, laxatis foribus liber aditus patebat, ut si forte aliqua in re quempiam defraudasset, præsens ipse indicaret, redditurus quicquid injuste acceperat. Interim quum omnes ejus dicta, factaq; maxime approbassent; quidam arroganter petiit, pecuniam ob remissam sibi capitis damnationem restitui, tanquam indebite solutam. Cui Jacobus generoso spiritu, sed exili voce (animam enim exigua vitæ spe jam trahebat.) Si tunc justitia in te reddita fuisset respondit, nunc quod injuste facis, queri de me non posses. Nam capitalis criminis reus eras factus, & ejus pœna in pecuniam non in tuam, neq; in meam, sed in Reipub. gratiam commutata est. Quare abi bone vir, & qui hactenus malus fuisti, mutatis in melius moribus, vir bonus esto: cum, si pecunia reddatur tibi, tu quoq; caput (quod æquum est) pariter reddas necesse sit, id enim ea pecunia redemisti. Nullius ego mihi peccati propterea male conscius sum, nisi forte quod mitius, quam merueras, mulctatus fueris. Huc referri etiam potest, quod cuidam ex Regibus Galliæ morio quidam respondit. Quum enim Rex de quodam conquereretur, qui homicidii veniam petebat, & diceret, Atqui jam tertium homicidium est: Quid ais, inquit Domine, immo primum duntaxat homicidium perpetravit: tu secundum & tertium. Nam si primi veniam illi non dedisses, unicum illud commisisset. Ut autem historias recentiores prosequamur, illustrantur præterea hæc quæ diximus, egregio exemplo, quod recenset Cominæus. Quum enim Carolus, Dux Burgundiæ, pace cum Leodiensibus confecta ab iis obsides accepisset, ea conditione, ut si quid contra pactiones facerent, integrum esset ipsi supplicium de illis sumere; Leodienses autem furente populo, ut est levis & inconstans, immemores fidei datæ violata pace Carolum rursus ad arma concitassent: deliberatum fuit, quid de obsidibus statuendum esset. Multi putabant eos necandos, inter quos fuit Contæus vir maximæ authoritatis apud Carolum: obtinuissetq; tam crudelis sententia, nisi Imbercortus Ambianus Carolum ad mitiorem sententiam, quæ à majori parte consiliariorum approbata fuit, flexisset. Quum Contæus tam atrociter dixisset in obsides, qui simpliciter persuasi, & suorum fidem secuti, pro salute patriæ in eas angustias & discrimen devenerant; ex nostris, inquit Cominæus, quidam ad me tacite, Vides, ait, Contæum, licet ætate sit gravis, firma adhuc esse valetudine? sed ausim affirmare, quando-

Lib. 3. class. 13. descrip. Patavii.

De reb. gestis Ludovi. XI. & Caroli Burgundiæ Ducis l. 2.

quidem adeo crudeliter ſententiam dixit, intra annum eſſe moriturum. Atque ita quidem accidit. Cum hiſtoria hac ex Cominæo recitata, convenit id, quod Benzo de Attabaliba Rege potentiſſ. in Inſula Peru memoriæ tradidit. Is enim quum captus eſſet ab Hiſpanis, eiq; libertas jurejurando promiſſa fuiſſet, ſi tantum aureorum & argenteorum vaſorum dediſſet, quantum implendo cœnaculo, in quo erat, ſufficeret ad id altitudinis, quo ſublime elata manu pertingi poſſet, isq; hoc præſtitiſſet: (ſuperavit autem ſumma precii pro ejus redemptione perſoluti cum eo, quod præda contractum erat, duos auri milliones, id eſt, vicies centies aureorum Caſtellanorum millia) tamen poſtea illi laqueo gulam fregere. Ergo, inquit, Benzo non ſine omine, ac Dei nutu contigit, ut omnes qui de necando Attabaliba conſenſerunt poſtmodum infelicem vitæ exitum invenirent, multi ênim in illa ſententia fuerant, eum ſoluto pretio redemtionis, ſicut conventum erat, dimittendum. Alii ſuaſerant, ut ad Cæſarem in Hiſpaniam mitteretur. Quod & ipſe cognita tam dura ſententia flagitavit. Hæc mihi in mentem venerunt, quum nuper quidam magnæ apud ſuos dignitatis vir, & noſtri nominis ſtudioſiſſimus, in captivum quendam diuturno ſqualore carceris fere enecatum, privata, uti dicebatur, ſimultate aſperior in dicenda ſententia capitali fuiſſet, aliiq; ne eum offenderent, illi contradicere non auderent. Nam quum mihi forte iſtac iter facienti hoc indicatum eſſet, ſtatim ei metuere cœpi, quum eſſet alioquin licet grandævus, attamen firma valetudine. Accidit autem, ut pluſculos poſt dies, quum ſicut conſueveram, officii cauſa eum accedere vellem, illum ſubito & improviſo morbo plane decumbentem, & propemodum animam agentem invenirem, ita ut poſtridie ex hac vita decederet. Sane Draco, unus ex Legulatoribus Athenienſibus, tam aſper in puniendo fuit, ut de eô Demadis oratoris dictum celebretur: Ejus leges non atramento, ſed ſanguine ſcriptas fuiſſe. Ideoq; Herodicus, ut ſcribit Ariſtoteles, Ejus leges non hominis, ſed draconis eſſe dicere ſolitus. Et ob hanc cauſſam leges ipſius dictæ ſunt funebres, vel, ut Pauſanias ait, φονικοὶ νόμοι. Qua ſeveritate Draco tantum contraxit invidiæ, ut in theatro apud Æginam, populari tumultu omnium conſpiratione, injectu multæ veſtis præfocaretur, & ejus leges quoniam videbantur impendio acerbiores, non decreto juſſoque, ſed tacito illiteratoq; conſenſu Athenienſium obliteratæ ſint: Ex hac ſchola fuit quidam ex judicibus Gallicis; de quo ita ſcribit Henricus Stephanus in præfatione, quam præfixit elegantiſſ. & utiliſſ. libello ſuo, cui titulum fecit: Juris civilis fontes & rivi. Ejus, inquit, hæc erat perpetua cantilena, de ſene quidem; Suſpendite, ſuſpendite, alia multa furta commiſit: De juvene autem, aut etiam puero, Suſpendite, ſuſpendite, alia multa committet (ſed majo-

Lib. 5. cap. 5. hiſt. novi orbis.

In Rhetoric.

Gellius lib. 11. c. 18.

majorem gratiam Gallicum idioma habet: *Pendez, pendez, ilen à bien faict d'autrez.* Et *Pendez ilen fera bien d'autrez.*) Sed tu Draco, aut Draconiſta ſaltem nullumne Dei miſericordiæ ſimul & potentiæ relinquendum locum putas: Si ſenem, & quidem jam decrepitum miſeratus ejus mutare animum poteſt, pueri animum, quis ad omnia veluti certus eſt, mutare non poterit, &c. Caveant igitur ſibi Draconiſtæ, qui in ſuis obſtinatis opinionibus propemodum expertes omnis humanitatis, nimisq; indulgentes affectibus, nihil niſi ſanguinem, cædes, gladios, & ignem, elato animo, ſpirare videntur, ne & ipſis dictum ſit: Viri ſanguinarii, doloſi & malitioſi, ne dimidium quidem tempus ætatis ſuæ vivendo complebunt, neq; dimidium perficient eorum, quæ inſtituunt & agunt: è medio curſu ſuo tollentur, Et, —— Frangit Deus omne ſuperbum. Nam qui ſua intemperantius amant, & reliquos omnes deſpiciunt, obſiti rationis, citiſſime præcipites dantur, ut reliqua ſua omnia, quum fata urgent, penitus evertant. Pulcherrima itaq; admonitio eſt Claudiani:

—————— diis proximus ille eſt,
Quem ratio, non ira movet, qui facta rependens
Conſilio punire poteſt: mucrone cruento
Se jactent alii, ſtudeant feritate timeri,
Adductoq; hominum cumulent æraria cenſu.
Lene fluit Nilus, ſed cunctis amnibus extat
Utilior, nullas confeſſus murmure vires.

In Panegyr. de conſulatu Manlii Theodori.

Hoc vitio Carolum Burgundum, cujus ſupra mentionem fecimus laboraſſe Jovius & alii teſtantur. Genii enim ſui captum ſenſumque, quam alienæ prudentiæ placita ſequi maluit, quaſi arrogantis & elati ſupra æquum ingenii eſſet amicorum bene conſulta contemnere, & contra peculiari ſententiæ ſuæ ſemper adulari. Quæ res pleroſq; perdidit. Quare ſalutaris monitio eſt Menelai apud Euripidem:

Si vela tendas nimium, navis mergitur:
Sed ſi relaxes, rurſus vehitur tutius.
Odit Deus nimis vehementes impetus,
Odere cives: gratior eſt moderatio.

Recte itaq; M. Antonius Zimara ex Ariſtotele in propoſitâ quæſtione, *Problem. 2.* quamobrem præ cæteris animalibus homo maxime ſuperbiat, poſtremo ita ratiocinatur: An illud reſpondebo, hominis ſuperbiam ex ſui ignoratione provenire: Quippe ſi ſe inter ſtercus & urinam conceptum fuiſſe

remi-

reminiſcetur, ſi ſe nudum in lucem prodiiſſe animadverteret; ſi ſe cum miſeriis & laboribus vitam ducere perpenderet; ſi tandem ſe mortis vinculis aſtrictum penſitaret, non utiq; ſuperbiret. Unde Flaminius prope finem Pſalm.38. Theodoretum allegat, ſentientem DEUM minari ibi, iniquos judices ſic caſuros, ut diabolus cecidit, qui ob ſuperbiam & injuſtitiam dejectus eſt de altiſſimo dignitatis gradu, in quo Deus illum collocarat; & addit: Quidam vocabulo principum hoc loco exiſtimant ſignificari tyrannos, qui ad inferos præcipitarentur. Hoc conſideravit Bodinus, ubi dicit: Ex omnibus Imperii legibus nullam ſanctiorem eſſe, quam quæ vetat, principum reſcriptis ullam rationem haberi, niſi æquitati perinde ac veritati conſentanea ſint. Et hoc illuſtrat exemplo. Dicit enim, quum Henricus Rex Galliæ, Italum ſervum in carcerem duci juſſiſſet, non adjecta cauſſa, judices hominem liberaſſe, prius tamen admonito Rege qui juſſerat illum condemnari, quum diceret ſe hominem in ſcelere turpiſſimo deprehendiſſe, quod evulgari nollet. Judices nihilominus reum damnare noluiſſe, & liberatum eſſe. Hunc tamen poſtea juſſu Regis in flumen Sequanam noctu demerſum; ne inſolentia facti populum perturbaret, & paulo poſt aliud exemplum recenſet. Quum Ludovicus XI. inquit, exitium Curiæ Pariſiorum intentaret, niſi leges à ſe latas promulgaret; patres, re intellecta, purpurati Regem adeunt. Tum ille: Quæ cauſſa vos huc impulit? Ut mortem reſpondit Lavacrius, potius oppetamus quam leges iniquas ferri patiamur. Rex oratione præſidis, & mirabili conſtantia magiſtratuum perterritus, eos humaniter accepit, & leges quas promulgari juſſerat, coram lacerari mandavit, juratus ſe nihil poſthac, niſi quod æquitati congrueret, edicturum. Ut autem ad obſides noſtros Leodienſes revertamur. Diſputatur quidem à Juriſconſultis, Quando reus traditis fidejuſſoribus in caſu, quo pœna mortis ſit irroganda, aufugit, ita ut fidejuſſores eum exhibere non poſſint; an puniendi ſint ipſi pœna mortis. Pro affirmativa quidam ſuas rationes allegant, & exemplum Appii Claudii Conſulis, qui teſte Dionyſio Halicarnaſſeo trecentos obſides in forum adduxit, atq; ſpectante populo & approbante, virgis cæſos ſecuri percuſſit, quemadmodum & Livius ſcribit, Tarentinorum obſides deductos in Comitio, virgisq; cæſos approbante populo, de ſaxo Tarpejo dejectos eſſe. Sed obtinuit ſententia negativa, utpote mitior: alioqui ſequeretur abſurdum ut innocentes condemnarentur, & leges volunt, quod pœnæ debeant tenere ſuos autores. Cæterum cum paulo ante ex Pſalmo Davidis * allegatum ſit, Viros ſanguinarios & doloſos non dimidium tempus ætatis ſuæ complere; attamen non raro accidere videamus, ut ejusmodi malitioſi cruenti & verſipelles homines decrepitam ætatem attingant, ſicut multis exemplis tam veteribus quam recentib⁹ hoc illuſtrari poſſet, idq;

In Methodo hiſt. c. 9. circa medium.

Lib. 6.

Lib. 5. dec. 3.

l. ſancimus, C. de pœnis 23. q. 5 c. cū homo & gl. ibi § damn. num. 4. De pace conſil. Bald & Roder. Suar. de fide in cauſ crim.

** Pſalm. 55.*

gentı-

gentiles mirifice torsit, qui ab hoc nodo sese extricare sapientia propria nequivere, quemadmodum videre licet apud Ciceronem, qui miratur Dionysium seniorem tyrannum sanguinarium & sacrilegum, non solum regnum Siciliæ duodequadraginta annos obtinuisse, sed etiam mortem in lecto suo quiete obiisse. Hunc, inquit, non Olympius Jupiter fulmine percussit; non Æsculapius misero diuturnoq; morbo tabescentem interemit: atqui in suo lectulo mortuus triumphãtis in modum in rogum illatus est, eamq; potestatem quam per scelus nactus est, quasi justam & legitimam hæreditatis loco filio suo tradidit. Huc referri possunt ea, quæ Machiavellus de Cæsare Borgia (quem Jovius sanguinario ingenio, immaniq; sævitia veteres tyrannos æquasse censeri posse, & viroso sanguine, execrabiliq; semine progenitum scribit) memoriæ tradidit. Hic enim fretus patris sui auctoritate & potentia (is fuit Alexander VI. Pontifex Romanus) quum imperium totius Italiæ animo suo concepisset, & spe sua veluti devorasset, eamq; ob causam principes & nobiles omnes, quos sibi impedimento futuros rebatur, vel vi & dolo è medio sustulisset, vel hoc facere decrevisset, tandem deceptus sua spe, veneno, quod aliis præparaverat, per imprudentiam hausto, in lectulo periculose decumbens, & sicut existimabatur (vis enim tunc vigore juventutis, & medicamentis, superavit vim veneni) morti proximus dixit, se adversus omnia pericula, quæcunq; sibi evenire possent, multo ante remedia quæsiisse, præterquam adversus mortem, quippe nunquam cogitasse, se tam cito moriturum: Immemor sane doctrinæ Democratis, qui, sicut à Porphyrio citatur, dicere solitus fuit: *Imprudenter & impie vivere, non tam esse male vivere, quam diu mori.* Visum fuit itaq; operæ precium esse, in hujus centesimi capitis, & libri primi operarum subcisivarum fine asscribere, quomodo Flaminius locum allegati Psalmi 55. explicet, est enim hæc explicatio plena consolationis & pietatis, utque verum fatear mihi nimis inhærenti verbis Davidis, nõ levem scrupulum exemit. Ejus igitur verba sunt hæc: Immatura mors homini pio nunquam potest accidere. Integritas enim vitæ, vel in prima adolescentia tempus maturum mortis affert, neq; dicendus est aliquis parum diu vixisse qui pure sancteq; vixit. Quin etiam vir pius sive senex, sive juvenis mortem obeat, explevit tempus suum. Quippe qui semper paratus sit, ad discedẽdum, & bene maturum censeat, quacunq; die ipsum Deus istis corporis vinculis liberare voluerit. Contra impius vitam sibi longam semper pollicetur, immo, perinde ac si immortalis, ita vivit. Quo quidem fit, ut nunquam is expleat tempus suum, atq; excessus è vita semper ipsi tanquam juveni immaturus est, etiamsi centum confecerit annos. Quanquam igitur homines vitiosi & improbi aliquando ad extremam senectutem perveniant, tamẽ verissima est hæc sententia: Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos. Hanc suam sententiam

Donat. Acer.

In elog. illust. virorum.

In Psal. 68.

tiam & explicationem idem Flaminius ſuper verbis: rebelles autem habitabunt, &c. repetit. Sed fac inquit, impios & contemptores Dei vel in florentiſſimis urbibus, atq; in maxima rerum omnium affluentia vitam perducere ad extremam ſenectutem: tamen hæc ſententia veriſſima eſt. Ut enim vir pius, quocumq; loco ætatem agat, in cœlo eſt: ſic impius ubiq; miſer eſt, & tanquam relegatus in vaſtam & deſertiſſimam ſolitudinem, quæ ipſi omnem *Super 55. Pſ.* vitæ hujus fructum auferat. Eodem modo verba Regii Prophetæ nuper explicavit Conradus Heresbachius in ſuis ſcholiis in pſalmos Davidicos, accu-*Cap. 6. & 7.* ratiſſimis & utiliſſimis. Et huc reſpexiſſe videtur Eccleſiaſtes Salomonis, ubi dicit: Eſt juſtus periens in juſtitia ſua, & eſt ſceleratus prorogans dies in improbitate ſua. Etſi genuerit aliquis centum filios; & annis multis vixerit, & multi fuerint dies annorum ejus, nec tamen anima ejus fuerit bonis ſaturata, ac ne ſepulturam quidem conſequatur: an non dicam fœtum immaturum, ab ortu editum tali homine meliorem eſſe? Venit enim in vanitate, & in tenebris ambulat, & nomen ejus caligine involvetur. Etiam ſolem non videt, nec acquieſcit in ulla re: ac ut vivat bis mille annis, non tamen ei bene erit. Et *Cap. 8.* paulo poſt: Etiamſi peccator centies malefaciat & diu vivat, tamen ſcio, quod bene erit timentibus Deum, qui reverentur faciem ejus, & non erit bene impio, nec longi erunt dies ejus, ſed ſicut umbra tranſibunt, qui non timent faciem ejus.

FINIS.

INDEX

INDEX RERUM ET VERBORUM, IN HIS MEDITATIONIBUS, MEMORABILIUM.

A.

INDEX.

INDEX.

Bren-

Cala-

Canum

Caro-

Cheru-

Cogita-

INDEX.

Cosmus

D.

Durin-

INDEX.

G.

H.

INDEX.

Sss *statura*

I.

Ioan-

Lari-

Libe-

M.

Mutus

O.

Pri-

Saty-

Terra

FINIS.